INSTITUTIONES
JURIS ECCLESIASTICI

MAXIME PRIVATI

ORDINE DECRETALIUM.

AUCTORE

JAC. ANT. ZALLINGER

AD TURRIM

SS. THEOLOGIAE AC JURIS UTRIUSQUE

DOCTORE

ET IN LYCEO CATHOLICO AUGUSTANO
AD S. SALVATOREM SS. CANONUM
PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO

LIBER III. DECRETALIUM.

ROMÆ MDCCCXXIII.

TYPIS ANTONII BOULZALER

Quidquid in sacratis Deo REBUS --- — injuste agitur, pro Sacrilegio reputatur: quia sacra sunt, et a quoquam violari non debent. c. *Quae multoties*. X. de R. J.

PRÆFATIO.

Duplex præfandi caput pro tertio hoc Decretalium libro propositum mihi est. Alterum ipsa præbet argumenti atque instituti ratio: alterum Pagellæ Wirceburgensium, quas *Literarios* ipsi vocant, suppeditaverunt. Utrumque expediam brevi.

Scriptionis institutum poscit in primis, ut Titulos præsentis Libri Decretalium, non minus quinquaginta, quorum secutus sum ordinem, ad pauciora capita et velut Sistema quoddam revocem, quod memoriam non obrueret, vim cogitandi ordinata quadam rerum serie occuparet. Posteaquam primo de *Personis* in Hierarchia constitutis, de Ecclesiastico dein foro, ac *Judiciorum* forma binis præcedentibus tractatum est libris; tertius, quem præ manibus habemus, de *Rebus* agit Ecclesiasticis, iisque maxime, quæ Ecclesiasticas attingunt personas.

Civilis quidem Jurisprudentia suos habet in hoc genere speciales titulos. In institutis *de Rerum Divisione, et acquirendo earum Dominio*: in Digestis *de Divisione Rerum et Qualitate.* Nihil hujusmodi de diversitate atque natura Rerum Ecclesiasticarum a S. Raymundo in sua Decretalium

collectione propositum fuit; quamquam ea, quæ in Civili Jure indicatis jam locis de Rebus maxime corporalibus commemorantur, ad Titulum duodecimum Libri II. *De causa possessionis et Proprietatis* referri soleant, atque eodem a me loco, inde a primis repetita principiis fuerint exposita. Hic autem tertius liber qui Rerum Ecclesiasticarum propria est sedes, jura respicit incorporalia potissimum, eaque spiritualia, aut his annexa; uti patet ex Tractatu de Beneficiis, Decimis, juris patronatus. Horum jurium expositio ad hæc summa capita videtur reducenda.

I. Principio libri sacræ regulæ proponuntur de privata Clericorum vita ad omnem honestatem componenda, sanctitati status consentaneam. Unde priores bini tituli inscribuntur. *De Vita et Honestate Clericorum*: *De Cohabitatione Clericorum et Mulierum*. Proposita hæc forma clericalis vitæ refertur dein ad statum conjugii, ut dispiciatur, anne et quatenus alter status cum altero conjungi, aut ab uno ad alterum transiri queat; quod fit titulo; *De Clericis conjugatis*. Appendix quædam hujus primæ tractationis rejecta est ad calcem hujus libri: *Ne Clerici vel Monachi secularibus Negotiis se immisceant*. Ad utrosque pertinet negativum hoc vitæ officium,

Clericos et Monachos; sed ad Monachos multo magis; quorum de statu in decursu titulorum ante tractari debuit, quam exponi idem commode posset.

II. Secunda velut parte de omni agitur re Beneficiaria, modisque adipiscendi Præbendas ac dignitates, atque etiam digne sustinendis. Unde pro tempore Beneficiati ægrotantis, et Sedis maxime Episcopalis vacantis provisum est per jura Capitulorum, in quæ tum administratio transit jurium Episcopalium. Eodem igitur referri debent Tituli: *Ne Sede vacante aliquid innovetur. De his, quae fiunt a Praelato sine consensu Capituli. De His, quae fiunt a majori parte Capituli. Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur.*

III. Quia officio spirituali Beneficiatorum annexum est jus percipiendi reditus temporales; idcirco ad jura Ecclesiarum, et Personarum Ecclesiæ de acquirendis atque administrandis rebus temporalibus transitur inde a titulo XIII. hujus libri: *De Rebus Ecclesiae non alienandis.* Cum enim pii Principes ac Fideles pro obuendo Dei cultu, ejusque Ministris alendis liberalissime pecunias profuderint; multi autem ex adverso reperiantur dissoluti, et sacrilegi homines, quibus, ne cum de rebus quidem agitur Deo oblatis,

præceptum : *Non concupisces*, cordi est, caveri debuit, ne bona ecclesiarum temere distraherentur. Inde ab eo titulo sequuntur formæ contractuum, acquirendi temporalia bona, vel transferendi. Ad idem argumentum referri debet non modo Titulus XXV. *De peculio Clericorum*; verum et sequentes bini tituli: *De Testamentis et ultimis voluntatibus. De Successionibus ab intestato.* Hæc enim ad res pertinent temporales. Quia Sanctuarium Dei hereditaria successione possideri nequit.

IV. Ab Ecclesiis, et Clericis generatim descenditur ad Parœcias et Parochos; iisque Titulo XXVIII. *De Sepulturis* vindicatur jus sepeliendi fideles, et jus funeralium, quod quidem ipsa præcedens Testamentorum et successionum mentio primo in memoriam vocare debet: dein jus habendi certo districtu Parochianos subditos, jus Decimarum etc.

V. A Parœciis et Parochis progressio fit ad genus aliud Ecclesiarum et Personarum ecclesiasticarum, nempe ad Religiosos, eorum domus, et capellas.

VI. Explicantur dein onera Ecclesiarum, et personarum generis utriusque, Secularium et Regularium. Tit. *De Jure Patronatus. De Censibus, Exactionibus et Procurationibus.*

VII. Communis pariter utriusque generis Ecclesiarum. Personarumque est celebratio divini cultus, et universa res Liturgica; de qua agitur inde a Titulo: *De consecratione Ecclesiae vel Altaris*, ac sequentibus aliis; quibus demum adjungitur norma per Canones præscripta *de Ecclesiis aedificandis vel reparandis*, ac *de Immunitate Ecclesiarum, coemeterii, et Rerum ad eas pertinentium*;. quæ quidem Immunitas sanctitate divinarum rerum et functionum, titulis proxime præcedentibus exposita, manifesto nixa est.

Atque hic Rerum Ecclesiasticarum ordo præsentem conficit librum, quem si studiose terant iidem, qui Prælectiones audituri sunt, evenient profecto, ut non privati tantum Scriptoris commentationes quasdam de Jure sacro arripiant, sed Canonici Juris publice propositi, receptique cognitionem hauriant, progressibus deinceps in omni Jurisprudentia faciendis perutilem.

Superest alterum præfationis caput, quo Wirceburgensibus Criticis faciendum est satis. Eos responsum expectare jussi, cum in *Notitiis Literariis*, ut ipsi vocitant, Sectione XLVI. ad diem 9. Julii hoc anno in librum subsidiarium I., quem *Isacogicum* inscripsi, maledicos dentes infixis-

sent ipseque tum perficiendo hoc tertio Decretalium libro, aliisque essem occupationibus distentus. Evenit dein, ut Ephemerides Ecclesiasticæ, quæ Romæ excuduntur in ipsa nempe orbis catholici luce, et Religionis arce, idem meum opusculum, ejusque singula capita accuratissime recenserent, literatisque commendarent, dispari sane, et a Wirceburgensibus longissime dissentiente judicio; quem honorem Isagoge mea jam ante tulerat ab Auctore Ephemeridum, quæ idiomate gallico Trajecti ad Mosam prodeunt. Hæc cum expenderem, parum absuit, quin mutato proposito, quavis jam responsione Wirceburgensi obtrectatori danda supersedendum judicarem; cum præsertim inscitus Rabula nil fere egerit, nisi ut nuda asserta sua, conviciaque deblateraret hodiernæ Novatorum feci communia, non flagello critico, quod mihi minabatur, sed trita jam magniloquentia, atque impudentia armatus; cui nimirum larva, qua nomen obtegit, verecundiam detraxit, et vulgaris linguæ usus spem fecit, imperitis faciendi fidem criminationum, quam facere Eruditis non posset. Etsi autem neque scriptionem meam, neque nomen ulla egere defensione putem, refert tamen, etiam Exteros, ad quos Wirceburgensia folia perventura haud

sunt, opportune cognoscere, quas de rebus gravissimis opiniones publicis typis spargant Wirceburgenses, aut impune spargi permittant.

Scripseram ego, uti in libello Isagogico pro disciplinis sacris fieri necesse est, de Ecclesiæ auctoritate divinitus instituta, ex qua Religionis summa capita discenda nobis, tenendaque essent, addens §. XX. *Decreta Romanorum Pontificum, et Conciliorum decisiones, et Venerabilium Patrum in rebus sacris consentientes sententiae ipsam exibent Ecclesiae vocem et auctoritatem.* Hæc, inquit Criticus Wirceburgensis, assertio, qua ad Decreta Romanorum Pontificum respicit, penitus falsa est, *si disjunctive* sumatur; quia Ecclesiæ vox et Auctoritas non magis in Decretis RR. Pontificum sita est quam totum consistit *in singulis partibus.* At ego in primis *non disjunctive* sumsi; neque is disputandi erat locus; sed generales Scripturarum sententias de divina et infallibili Ecclesiæ auctoritate indicavi. Sane docuit universa antiquitas, ex Apostolicis fontibus salutarem doctrinam maxime hauriendam esse: in definiendis fidei controversis *praecipuas partes* esse Romanorum Pontificum, docent ex catholicis Scriptoribus ii, qui minimum auctoritati Eorundem attribuunt: Eosdem

Caput esse visibile Ecclesiæ, Catholicorum nemo negat. Criticus tamen non plus ei dare videtur, quam *singulis partibus* totius Ecclesiæ. Sed importunus homo, quo animo sit in Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem et Magistram, adeo prodit, ut vel lecto in Isagoge mea Romani Pontificis nomine turbari, atque excandescere in me videatur. Docueram ego §. 82. Canones particularium synodorum jus commune non facere, nisi ad hoc velut fastigium eleventur ab universali Pastore: *Quae autem ab Episcopis per orbem dispersis, aut in Conciliis oecumenicis congregatis definiuntur aut decernuntur, vim, et auctoritatem praecipuam a Capite universae Ecclesiae habent.* Hanc vocat assertionem *erroneam.* §. 90. Ex Ballerinio exposui, quid ad Pontificiam Fidei definitionem requiratur. Præpropere negat homo infestus, Romano Pontifici jus competere. Fidei definitiones edendi; idque jus Pontificibus abjudicare ait Canonistas *omnes qui ratione pollerent.* §. 98. De singulari divini Spiritus assistentia ex Christi promisso feci mentionem. At is audacter negat, ullum ejusmodi promissum a Christo factum fuisse. §. 108. Concilia œcumenica a RR. Pontifice confirmari debere docui. Hinc vero sequi ait ea

Concilia subesse Pontifici, meque Constantiense et Basileense Concilium mendacii arguere. De ea, quæ passim fit, comparatione potestatis et auctoritatis Conciliorum generalium cum potestate et auctoritate Papæ, scripseram ego §. 117. perquam odiosas in eo genere disputationes ab hominibus malevolis excogitatas fuisse, ad imminuendam nempe Apostolicæ Sedis auctoritatem, et Ecclesiarum pacem atque unitatem infringendam. Quibus verbis paulo post hæc addidi: *Petrum* SINGULIS APOSTOLIS *Praelatum fuisse a Christo, fatentur. Ostendant ergo ex Verbo divino, scripto vel tradito, locum quendam in quo* COLLEGIUM APOSTOLORUM *fuit praelatum Petro.* Ex his suspicatur Criticus Wirceburgensis, Papam Concilio generali superiorem a me censeri; aitque, ad id confutandum opus non esse multis verbis: satis esse, illud commemorare, Romanum Pontificem in personales Petri prærogativas — ejus Theopneustiam non successisse. Quasi Episcopi, dum in Conciliis congregati ex mente hujus Critici infallibiliter de fide decidunt, ob id in Theopneustiam Apostolorum Verbum divinum exarantium successissent. Confundit imperitus homo assistentiam extrinsecam Spiritus sancti cum *Theopneustia*,

seu divina inspiratione, quæ Scriptoribus SS. Scripturarum propria fuit. Addit dein: *omnes* eas prærogativas, quæ a Servatore in Petrum collatæ fuissent, alia occasione concessas fuisse toti corpori Apostolico; at certe non excluso Petro. Aut ostendat Scripturæ locum; cum præsertim cit. §. 117. provocatus a me fuerit. Rem omnem paucis verbis comprehendit Alvarus Pelagius l. 1. de Planctu Ecclesiæ. c. 55. *Petro ergo dictum est fine aliis et non aliis sine Petro ut intelligatur sic ei attributa potestas ejusmodi, ut alii sine ipso non possint ipse sine aliis possit ex privilegio sibi collato, et concessa sibi plenitudine potestatis.*

Tria Præterea Criticus reprehendit speciatim; nam reipsa totum improbat, et explodit, quod scripseram. §. XLIII. Analisin divini Codicis texens, alia in eodem esse dogmata communia utriusque Testamenti scripsi: *ceu de Unitate Dei et Trinitate personarum, quae apertius revelata est in novo Testamento.* Hanc Criticus *Cabalisticam* vocat interpretationem, ignorans haud dubie notionem subjectam voci, qua ipse utitur; ac videtur id velle asserere, nullam penitus SS. Trinitatis cognitionem penes homines ante Christi adventum fuisse. At summi theologi Trinitatis mysterium ex compluribus veteris Testamenti locis comprobant; nec

in animum induco, Patriarchas aut Prophetas, de quibus iidem loci agunt, dixisse aut scripsisse inspirante et illuminante deo, quæ nullo penitus modo ipsi intellexerint.

Ad designandam notionem et veluti characterem *sancti Ecclesiae Patris* requisita a me fuit 1. antiquitas, 2. Doctrinæ præstantia, 3. vitæ sanctitas. Ultimas binas notas ex hac notione tollendas putat Criticus; quia sancti Ecclesiæ Patres nihil penitus sint, quam *Testes Apostolicae Doctrinae*: ad testem autem generatim nec apparatus eruditionis, nec sanctitatis fama requiratur. Est hic manifestus error, primum, quod scio, in orbem protrusus a P. de la Borde, Presbytero Oratorii in Gallia, homine factioni Jansenianorum addicto in opusculo: *du Temoignage de la verite dans l' Eglise.* Is enim ut Presbyteros inferioris ordinis in Hierarchiam Ecclesiæ Regentis intruderet, ita docuit, consensum SS. Patrum etiam in dignitate Episcopali constitutorum et definitiones Conciliorum generalium præcise valere per modum testimonii de sensu anteriore, seu traditione perpetua totius præcedentis Ecclesiæ. Hic error invicte refutatur in opusculo Augustæ Vind. edito an. 1757. quod inscribitur: *De Turbis Galliae modernis Sacerdotium inter*, et

parlamentum Regium; in quo praeter alia memorabilia documenta, pag. 139. exponitur. Sistema la Bordii *de conditionibus requisitis ad infallibilem definitionem Ecclesiae*, cum subjunctis pag. 143. Animadversionibus; per quas Criticus errorem, si velit, dedoceri potest. Patrum nomine multo maxima ex parte comprehenduntur Episcopi primorum seculorum, qui et doctrina et vitæ sanctitate Ecclesiam illustrarunt, et nunc etiam illustrare non cessant. Porro ejusmodi Patres non modo Apostolicæ doctrinæ *Testes*, sed *Pastores*, verique *Judices* controversiarum extiterunt. Quando *doctrinam* nominavi, noris, velim, Critice non a me novam Hermeneuticen vestram, non novam Criticen vestram, non novam Philosophiam vestram, sed doctrinam Evangelii, scientiamque veræ Religionis intelligi. Errores, quos de Usuris proprie talibus videris adoptasse. Deo adjuvante Libro V. Decretalium castigabo. Quod de humanæ rationis vi et Philosophia scripseram, miror, quod improbes. Equidem a te, tuique similibus philosophiam doceri me non patiar. Utinam ejus, quam commendatis. Philosophiæ amaros fructus soli devorare deberetis hoc ævo.

SERIES TITULORUM

LIBRI III. DECRETALIUM.

LIBER III.

TITULUS I.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

TITULUS. II.

DE COHABITATIONE CLERICORUM ET MULIERUM.

ARGUMENTUM.

I. Honestas Clericorum, cujus fundamentum exponitur, §. 1. et §. 2. spectatur in morum integritate, victu, vestitu, habitatione, et occupationibus a statu clericali non abhorrentibus. §. 3. seq. II. Circa hæc summa auctoritas et cura penes Episcopos est. §. 7.

§. 1.

Eorum, qui ad statum clericalem *promoveri avent*, *persona* diligenter examinatur quoad statum externum, seu fortunæ, quoad naturalia bona corporis et animi, et quoad supernaturalia quædam bona; quemadmodum exposui lib. I. Decret. §. 445. Tit. *de filiis Presbyterorum*, et sequentibus Titulis quatuor. *Promotis* vero totius vitæ ratio, et honestas præscribitur statui clericali congrua, quæ deinceps, cum de rebus, causisque Clericorum agitur, semper præ oculis habenda est. Ea vitæ ratio sita est I. in morum integritate, II. victu, III. vestitu, IV. habitatione aut consuetudine cum aliis, V. in occupationibus

studiisque; quorsum ea referes, quæ ad animum relaxandum aliquando necessaria sunt. De hac vita et honestate Clericorum SS. Concilium Trid. Sess. XXII. c. 1. de ref. sic præcipit. *Nihil est, quod alios magis ad pietatem et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim a rebus seculi in altiorem sublati locum conspiciantur; in eos tanquam speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Quapropter sic decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus nil, nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant: levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.*

§. 2. Fundamentum igitur Canonum de vita et honestate Clericorum præcipientium est I. Sublimitas et professio status clericalis, vi cujus a rebus seculi segregati et in sortem Domini vocati exigunt specialem honorem, reverentiam, privilegia, sustentationem ex rebus Dei et patrimonio Christi. II. Ratio exempli laicis propositi in fugiendis non peccatis tantum, sed etiam periculis peccatorum, nam *quoniam proni sunt sensus hominis ad malum ab adolescentia sua; sicut ex sensualitate vergit caro in culpam; ita vigore spiritus præcedente, et subsequente divina gratia, animus niti debet ad veniam, et remedia semper inquirere, quibus irruentes occasiones mortis valeat declinare.* Quare removenda sunt a Clero, *quæ aut delictum in se, aut occasionem habent delinquendi* c. 9. h. t. in part. decisa. Nulla facilior est, crebriorque excusatio Laicorum ad vana spectacula et diaboli pompas concurrentium,

quam si iisdem Clericos interesse norint. *Qua libertate laicos corripere poterunt Sacerdotes, cum tacite sibi ipsi respondeant, eadem se admisisse, quæ corripiunt?* Concil. Trid. Sess. XIV. de ref. in Proœmio. III. Gravior Pastorum Ecclesiæ de Clericis sibi subjectis cura, majorque istorum subjectio (§. 69. lib. II. Decret.). Hinc Pontifex, qui c. 10. h. t. in part. decis. a Deo constitutum se agnoscit, ut evellat vitia, plantet virtutes, destruat iniqua, et ædificet honesta, sic disserit: *Licet hujusmodi nostræ solicitudinis labor generaliter debeat ad omnes extendi, -- tamen specialiter ad Clericos, -- ne quid appareat in illis, quod obfuscet candorem Ecclesiasticæ puritatis.*

§. 3. Hoc posito fundamento ad vitam et honestatem Clericorum pertinet I. *Integritas morum*, quæ ex animo rite composito, a levitate et perturbationibus immuni proficiscitur, et in gestu, incessu, sermone, actioneque gravitatem quandam seu moderationem præ se fert. II. *Victus.* Concil. Trid. Sess. XXV. c. 1. de ref. exemplo Patrum Carthaginensium etiam ab Episcopis exigit, ut *modesta suppellectili et mensa ac frugali victu contenti sint*; imo *cum in eo loco sæpe otiosi sermones oriri soleant, ut in ipsorum Episcoporum mensis divinarum Scripturarum lectio admisceatur.* Sess. II. Præsertim *a crapula et ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant -- nec ad bibendum quispiam incitetur: cum ebrietas et mentis inducat exilium, et libidinis provocet incentivum.* c. 14. h. t. ubi additur ex Conc. Gen. Lat. IV. *Illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo se obligant potatores; et ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, et calices fæcundiores exhaurit.* conf. Ordinat. Politicam Im-

perii an. 1577. Francofurti editam. Ad evitandum ebrietatis periculum statuunt Canones, ut Clerici *tabernas prorsus evitent*, *nisi forte causa necessitatis in itinere constituti.* c. 15. serventque in adeundis conviviis moderamen. can. 2. seqq. dist. 44.

§. 4. III. *Vestitus* Clericorum is sit, *ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant.* Hinc *oportet Clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre.* Concil. Trid. Sess. XIV. c. 6. de ref. ubi non Clericorum, sed *Episcopi* judicio statuendum a Tridentino permittitur, quænam vestis eorum ordini ac dignitati conveniat (*a*). Huc pertinet, ut Clerici comam, vel barbam profane non nutriant. c. 4. et 5. Usus crinium fictorum extra Sacrificium Missæ (imo in his partibus ex causa etiam sub eo) alicubi toleratur, modo evitetur nimia vanitas, et inanis ostentatio: alibi sub gravibus pœnis etiam excommunicationis prohibetur. Vetitum etiam est, gestare annulum, *nisi quibus competit ex officio dignitatis* (aut gradu Doctoratus) c. 15. vel arma, nisi in itinere propter pericula. c. 2.

(a) Bened. XIV. de Syn. Lib. VII. c. 59. n. 1. Concedamus Eruditis affirmantibus, quinque prioribus seculis civiles clericorum vestes, modestia tantum, non forma a communibus, Laicorum vestibus discrepasse, vestium tamen talarium usus valde antiquus est apud Clericos; recentioribus etiam seculis color niger vestium passim præcipitur. Certe cavendum, ne vestis sit auro vel argento ornata, ne viridis, multicolor, ad vanitatem vel luxum composita. Clem. 2. h. t. innovata a Conc. Trid. l. c. Causa XXI. q. 4. per tot. De necessitate habitus clericalis pro conservando privilegio fori conf. Lib II. Decret. §. 61. N. III. IV.

§. 5. IV. *Habitatio Clericorum* sumi potest primo *materialiter*, quo sensu Concil. Trid. Sess. XXV. c. 1. de ref. præcipit Episcopis, non solum, ut *modesta suppellectili -- contenti sint, verum etiam in tota domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum ac vanitatum contemtum præ se ferat.* Dein *formaliter* quoad consuetudinem, et convictum, de quo extat Titulus II. *de cohabitatione Clericorum et mulierum*, aut etiam quoad familiaritatem cum aliis sub eodem tecto non viventibus. SS. Canones volunt primo, ut quivis Parochus Clericum penes se habeat, cujus ministerio in divinis officiis et regenda schola utatur c. 3. de vit. et hon. Cler. aut si plures uno loco sint Clerioi, ut in communi vivant. c. 9. eod. Dein monent Episcopum, *ne permittat cum Clericis mulierculas habitare, nisi forte de illis personis existant, in quibus naturale fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari.* can. 9. de coh. Cleric. et mul. Imo optandum, *ut neque illas, quas Canones concedunt, matrem, amitam, et sororem retineant: quia instigante diabolo et in illis scelus perpetratum repetitur, aut etiam in pedissequis earundem.* c. 1. de coh. Cler. Consuetudo servitii causa tolerat feminas provectioris ætatis, atque eas tantum, quæ omnem fugerint suspicionem. can. 16. dist. 32. De modo procedendi contra Clericos, qui concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo, vel extra detinere, aut cum iis ullam consuetudinem habere audent, speciatim agit Concilium Trid. Sess. XXV. c. 14. de ref. Eodem pertinent alii canones toto tit. de cohabitatione Cler. et mul. Singularem mentionem meretur cap. 7. ib. ubi vetatur, ne fideles a Clerico, qui *notorie* concubinarius est, Ecclesiastica

Sacramenta percipiant, ejusve Sacrificio intersint; non quod talia Sacramenta et Sacrificia aut nulla penitus sint, aut contemnenda; qui fuit error Eustathianorum (*b*). Clarissima sunt ejus capituli verba: *Aliud est, a talium officis abstinere, ut peccandi licentia ceteris auferatur, et hujusmodi ad pœnitentiæ fructum trahantur; atque aliud, si tanquam falsa, in fornicatione jacentium talia mysteria respuantur.*

(b) Eustathiani uti nuptias universe criminabantur, sic ex isto errore Sacrificia conjugatorum contemsere. Contra hos actum est in Concilio Gangrensi celebrato inter annos 362. et 370. Gratianus ejus Canones resenset maxime dist. 30. ubi lectu digni imprimis sunt Canones 3. 4. 5. 16. Ceterum in fornicationem prolapsus in officiis evitari non debet, *nisi peccatum hujusmodi sit notorium per sententiam, seu confessionem factum in jure, aut per evidentiam rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit.* c. ult. de coh. Cler. Etsi vero contra hujusmodi flagitiosos Clericos in sacris Ordinibus constitutos variæ pœnæ, et cautelæ contra relapsum præscriptæ fuerint, noluit tamen Alexander III. ut ii ad *abjurandas* concubinas compellantur, *ne in eandem fornicationem instinctu diabolicæ fraudis redeuntes, perjurii reatum incurrant.*

§. 6. V. *De occupationibus Clericorum* Canones volunt, ut *se in officiis ecclesiasticis et aliis bonis studiis exerceant diligenter* c. 15. de vit. et hon. Cler. Sunt quædam opera, quæ per se abhorrent ab honestate clericali, ceu mimis, joculatoribus, histrionibus intendere cit. c. 15. multoque magis, si Clerici insaniæ suæ ludibria ipsi exerceant. c. 12. X. et c. un. eod. in 6. Si ludant ad aleas, vel taxillos, aut etiam hujusmodi lusibus intersint. cit. c. 15. Huc refer quæstum

usurarium. c. 2. confectionem et usum auri et argenti Alchymici. Extrav. un. de crim. falsi int. com. officia item sordida, ceu macellarii, cauponis, coquendæ cerevisiæ pro questu, pingendi chartas lusorias. Clem. 1. de vit. et hon. Cler. Sunt alia negotia, quæ laicis quidem conveniunt, sed Dei famulos a rebus divinis, aut mansuetudine status clericalis abstraherent; de quibus agendum est tit. ult. hujus libri: *Ne Clerici vel Monachi secularibus negotiis se immisceant*; postquam nempe de Regularibus, eorumque statu præmissa fuerit tractatio.

§. 7. Cura invigilandi vitæ et honestati Clericorum Episcopis incumbit, qui pro observandis iis, quæ *per Canones copiose ac salubriter sancita fuerunt*, vel pœnas per eosdem dictatas Canones, vel *majores suo arbitrio* imponere possunt: *nec appellatio executionem hanc, quæ ad morum correctionem pertinet, suspendet. Siqua vero ex his in desuetudinem abiisse compererint; ea quamprimum in usum revocari, et ab omnibus adcurate custodiri studeant; non obstantibus consuetudinibus quibuscunque, ne subditorum neglectæ emendationis, ipsi condignas, Deo vindice, pœnas persolvant.* Ita statuit SS. Concil. Trid. Sess. XXII. c. 1. de ref. Specialis Episcopo auctoritas ab eodem Concilio Sess. XIV. c. 6. de ref. tribuitur in præscribendo, imponendoque honesto habitu clericali *omnibus Ecclesiasticis personis, quantumcunque exemptis, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacunque Ecclesiastica obtinuerint* (c). Adde Sess. XXIV. c. 12. de ref. v. *Vestitu insuper.*

(c) Ex his patet, quis nomine Clericorum hoc loco veniat: quid respondendum sit, si contrariam

consuetudinem objiciant, si Canones hosce ad Clerum inferiorem et ignobilem detorqueant; si opponant, peccatum non esse, hoc illove modo vestiri, spectaculis interesse etc. Qui denique vitam ad Canones exactam nimis injucundam, tœdioque plenam dicunt, satis indicant profecto, quo spiritu subrepserint ad pinguiores præbendas, et quibus agantur studiis.

TITULUS III.

DE CLERICIS CONJUGATIS.

ARGUMENTUM.

I. Indicantur tituli Decretalium, in quibus de matrimonio et clericatu agitur comparate §. 8. *II. Spectari potest matrimonium post ordines minores vel majores contrahendum.* §. 9. 10. *III. Aut susceptio ordinum post matrimonium contractum.* §. 11. *IV. Sacer cœlibatus Ecclesiæ occidentalis defenditur.* §. 12. *seq.*

§. 8. Præscripta Clericis vivendi norma et honestate quæritur *primo*, anne et quatenus ordines minores vel majores jam suscepti impedimento sint matrimonio postea contrahendo, et quos effectus juris tale matrimonium habeat. De *valore* quidem matrimonii post ordines minores, et de *nullitate* post majores vel sacros contracti, ex instituto agitur Lib. IV. Tit. VI. *qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt.* De aliis effectibus matrimonii post ordines minores vel majores initi tractatur hoc loco. *Secundo* anne et quatenus matrimonium primo contractum impedimento sit ordinibus postea suscipiendis, aut qua conditione conjugati promoveri ad ordines queant. De qua re itidem agitur

Tit. XXXII. h. l. *de conversione conjugatorum*, ubi per conversionem maxime transitus a statu conjugali ad statum religiosum, at præterea etiam ad statum clericalem intelligitur, uti patet ex c. 5. et 6. ejus tituli. Proprius hic quidem est agendi locus de cælibatu sacro, et disciplina Ecclesiæ Occidentalis et Orientalis in eo genere, quantum libelli angustiæ sinunt.

§. 9. *Post minores ordines* jam susceptos validum contrahi potest matrimonium, et ex causa etiam licitum. Effectus matrimonii sic contracti est I. Ut talis minorista ipso jure amittat beneficium ecclesiasticum, si quod habuit, consequenter teneatur illud ante omnem Judic s sententiam dimittere, ac fructus post nuptias forte perceptos restituere. c. 1. 3. 5. h. t. conf. Lib. I. Decret. §. 362. n. 1. additur tamen c. 3. Si tales *Ecclesiis, quibus intitulati fuerant, de possessionibus aut aliis bonis aliquid contulisse noscuntur: cum ab earundem Ecclesiarum ministerio fuerint, et beneficio sequestrati: ad ipsos recta via debent absque contradictione redire.* II. Si Clerici ejusmodi post matrimonium contractum privantur beneficiis jam possessis, multo minus postea ad sacros ordines, et ad ecclesiastica beneficia, aut administrationes possunt admitti. c. 2. h. t. nisi forte castitatem voverent perpetuam, et unicam ac virginem duxissent uxorem. cit. c. 2. Sed hæc exceptio pertinet ad alium casum, de quo agetur §. 11. (*a*) III. Post contractum matrimonium non coguntur deferre habitum et tonsuram; imo id sæpe in vituperium et contemtum Ordinis ecclesiastici cederet. c. 7. et 10. IV. Qua conditione Clericus conjugatus gaudeat privilegio fori et Canonis, dictum est Lib. II. Decret. §. 61. n. IV. V. SS. Con-

cil. Trid. Sess. XXIII. c. 17. de ref. ubi functiones ordinum minorum restitui cupit, sic adjungit: *Si ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis Clerici cælibes præsto non erunt; suffici possint etiam conjugati, vitae probatæ, dummodo non bigami, ad ea munia obeunda idonei, et qui tonsuram et habitum clericalem in Ecclesia gestent.*

(*a*) Ex c. 6. ejusque summario, et ex c. 7. h. t. colligitur, cum Clericis conjugatis circa retinenda beneficia dispensari posse. Ceterum si Episcopus Clerico conjugato scienter contulit beneficium ecclesiasticum, non per ipsum, sed per Superiorem eo privari debet. c. 5. h. t. Simile quidpiam decernitur c. 5. de filiis Presb. Adeo nemo permittitur in Jure, impugnare factum proprium.

§. 10. *Post majores ordines* jam susceptos invalidum est matrimonium. Toto tit. qui Clerici vel vovent. matr. contrah. possunt. Conc. Trid. Sess. XXIV. can. 9. de Sacr. matr. l. 45. C. de Episc. et Cler. Attentans sic contrahere incurrit bigamiam, quam vocant *similitudinariam*, in qua Episcopus cum iis, qui post longam pænitentiam et vitam laudabilem continentes sunt, dispensare potest. c. 4. h. t. conf. lib. I. Decret. §. 471. Huc pertinet celebre *reservatum ecclesiasticum*, vi cujus etiam per leges Imperii (*b*) mox jure suo excidunt Archiepiscopi, Episcopi, et Prælati, qui a Religione catholica deficiunt. Deficere autem ab ea judicatur is, qui contra Ecclesiæ instituta post sacros ordines matrimonium contrahere attentat.

(*b*) In Comitis Augustanis an. 1555. §. 18. Instr. P.O. Art. 5. §. 15.

§. 11. *Post initum matrimonium*, ex quo bigamia vera, vel interpretativa contracta est, nemo promovetur ad ordines, ne ad primam quidem tonsuram, seu vivente, seu mortua uxore. Extra casum bigamiæ uxore *vivente*, *nisi ipsa consentiat et castitatem profiteatur*, nemo hodie admittitur nec ad primam tonsuram, et minores ordines; quia secundum præsentem disciplinam nemo licite promovetur ad ordines etiam minores, nisi habeat intentionem ascendendi ad majores. c. ult. de temp. ord. in 6. Concil. Trid. Sess. XXIII. c. 4. de ref. Hanc intentionem habere non possunt conjugati, nisi uxor consentiat, et castitatem profiteatur. Multo etiam minus ad *sacros* ordines vivente uxore promoveri potest conjugatus, nisi ab uxore continentiam profitente, fuerit absolutus. c. 5. et 6. de convers. conjug. Constituti ergo in sacris ordinibus, ceu Episcopi, Presbyteri, Diaconi et Subdiaconi, ab usu matrimonii antea contracti tanta severitate arcentur, ut filius ex tali concubitu cum uxore prius legitime ducta natus, quoad ordines et beneficia ecclesiastica habeatur pro illegitimo. c. 14. h. t. conf. lib. I. Decret. §. 448.

§. 12. Ex dictis intelligi potest, in quo consistat *cœlibatus sacer* Ecclesiæ *occidentalis* (c). Plerumque promoventur ad ordines tantum cœlibes, aut soluti: ex viduis non promoventur bigami: nec mariti, qui unicam duxerunt, ac virginem, nisi hac consentinente et contientiam profitente. His post ordines sacros gravissime interdictus est usus matrimonii prius contracti. §. præc.

(c) Cœlibatum, de quo dissero, appellavi sacrum. S. Augustinus l. II. de Retract. c. 22. eundem dixit *san-*

ctum. Est enim alius, qui non studio virtutis servatur, sed æstu scortationis vagæ, aut odio onerum matrimonii. Apud veteres Romanos circa tempora Augusti multi ex nobilioribus abstinebant a justis nuptiis, non ex virtute, utpote turpissimis libidinibus fædati, sed quod arrogantia et luxus nobilium uxorum intolerabilis videbatur. Unde Augustus tulit legem Juliam de maritandis ordinibus; quæ postea anno urbis conditæ 762. id est, anno 9. Aeræ vulgaris transfusa est in legem Papiam Pappæam, sic dictam a M. Papio Mutilo et Q. Poppæo secundo, qui eo anno erant consules suffecti. Conf. Anton. Augustinum de LL. ad cit. l. Juliam de maritand. ord. et ad l. Pap. Poppæam. item L. B. de Martini in Ordine Historiæ Juris civ. C. V. Apud Germanos propter Misogamos, (germanice Hagestolzen) qui ex nulla prudente causa nuptias aversabantur, consuetudine inductum fuit, ut hæreditatem hominum propriorum utriusque sexus, qui in cælibatu moriuntur, capiant Domini nulla relicta facultate testandi; qui est effectus famosi juris Wildfangiatus.

§. 13. In Ecclesia *Orientali* disciplina cælibatus inde a Concilio Trullano, seu an. 692. sita est in his. I. Monachos, et virginitatem ac continentiam professos arctissime adstringunt ad eam perpetuo servandam, lapsosque pœnitentiæ subjiciunt, nulla relicta nuptiarum spe. II. Sacris ordinibus votum, vel legem continentiæ haud annectunt, ut inquit Innocentius III. c. 6. h. t. ibi: *Orientalis Ecclesia votum continentiae non admisit; quoniam Orientales in minoribus ordinibus contrahunt, et in superioribus utuntur matrimonio jam contracto.* Hinc eo loco deciditur, filium sacerdotis græci etiam inter latinos licite promoveri, si aliud non obsistat (*d*) III. Conjugati ordinari possunt in Diaconos et Presbyteros, quin profiteri debeant, se post ordinationem a consuetudine cum legitima uxore abstenturos; proindeque post ordinationem uti possunt matrimonio

antea contracto: at post sacros ordines contractum ab iis motrimonium esset nullum IV. Tales conjugati possunt etiam in Episcopos consecrari, sic tamen, ut uxor in electionem consentiat, et mox ab eorum consecratione monasterium ingrediatur procul ab Episcopi habitatione exstructum. Episcopi ergo ab usu matrimonii, si quod antea contraxissent, perpetuo abstinere debent. Hinc fit, ut fere Monachos ad continentiam per se adstrictos, eligant in Episcopos. Atque hi Episcopi omnes fere functiones divini cultus obeunt apud Græcos. Presbyteri vero conjugati, antequam obeant sacrum ministerium, per hebdomadem, vel saltem triduum abstinere debeut ab usu matrimonii. Id quod pro Græcis declaravit unitis Clemens VIII. conf. Constitutiones 57. et 129. Benedicti XIV. T. I. Bullarii (*e*).

(*d*) Tempore Innocentii III. Constantinopolis sub imperio Latinorum fuit, ac plurimi Græci Ecclesiæ latinæ erant uniti. Ex hoc igitur explicandum est c. 13. de vit. et hon. Cler. editum a Concil. Lat. IV. sub eodem Papa. ibi: *Qui secundum regionis suæ morem non abdicarunt copulam conjugalem* (etsi in sacris ordinibus constituti), *si lapsi fuerint, gravius puniantur* : *cum legitimo matrimonio uti possint.* Turpem in hac re ignorantiam prodit Scriptor quidem recentior, qui ex h. e. infert, eo tempore legem cælibatus etiam apud Latinos, et in Ecclesia Occidentali nondum satis stabilitam, ac receptam fuisse.

(e) Hæc Græcorum disciplina paulatim irrepsit mollitia Graecorum, et Pastorum ignavia, postea per Canones Trullanos stabilita, et ab Ecclesia Romana ad evitandum Schisma apud Græcos tolerata fuit. Sed contra eosdem Canones utut mollitiæ suorum faventes postea irrepserunt abusus; ceu quod alicubi Diaconi jam ordinati admitterentur ad nuptias; quod ad sacros ordines nec admitterent quemquam,

nisi antea matrimoninm contraxisset ; quod eis , qui uxorem appeterent , prius ad Diaconatum et presbyteratum promotis darent biennium , intra quod uxorem quarerent , ducerentque ; quod Græci schismatici , maxime Cophi et Nestoriani post ordinationem permittant secundam tertiam , imo septimam uxorem virginem ducere , ac demum viduam , quam *dimidium uxoris* appellant.

§. 14. Ecclesia Romana sacri Cælibatus legem, uti eam §. 12. paucis verbis expressi, inde a temporibus Apostolorum invicta semper constantia inter suos retinuit, propugnavitque. Eandem vero legem impugnari hoc ævo eo minus videri mirum debet, quod grassante scribendi licentia, et crescente scriptorum Anonymorum temeritate impudentiaque, nihil tam sanctum, venerandumque reperiri jam queat, quod acerrimos obtrectatores non habeat, et audacissimos adversarios. Hac quidem in causa temeritati suæ adjungunt plusquam Epicuream lasciviam, qua contra virginitatis, continentiæque virtutem non scribere, sed tanquam sues grunire videntur. Verum compsecuit has bestias plurium Auctorum imperterrita fortitudo, atque eminens, invictaque eruditio. In horum numero excellit confessione ipsorum hostium Viri celeberrimi Francisci Antonii Zaccariæ Historia Polemica sacri Cælibatus Romæ edita Italice anno 1774. ac dein nova Cælibatus defensio anno 1785. Italico pariter idiomate Fulginii emissa in lucem, et Germanica interpretatione Augustæ recusa an. 1789. De eodem argumento eruditissima prodiit dissertatio Latino et Germanico sermone , scripta a Doctore Dilingano Josepho Pio John. Aliæ Cælibatus Vindiciæ Augustæ Vindelicorum anno 1787. impressæ sunt , nitida, luculentaque latinitate scriptæ sub nomine Flaminii Cephalii ; quo ego libello magnopere delectari soleo.

§. 15. Adversarii Cælibatus, cum ejus stabilitam, ac vigentem legem negare minime possint, legis ejusdem fundamentum, antiquitatem, æquitatem, utilitatemque impugnant. Fundamentum situm est in sanctitate status et ministerii, atque imprimis divini Sacrificii, quo occupantur constituti in sacris ordinibus. Quod indicatur c. 3. h. t. ibi: *Cum simul voluptatibus et carnalibus desideriis, ac divinis et ecclesiasticis obsequiis vacare non valeant.* Dein c. 5. eod. ibi: *Cum vir cogitet, quomodo placere possit uxori, et ideo minus, quæ Dei sunt, valeat cogitare; cum quasi divisus in duo, plenam sui non habeat potestatem etc.* (f) SS. Concil. Trid. Sess. XXII. in Decreto de observandis et evitandis in celebratione Missæ sic docet: *Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum, ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium -- satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest, interiori cordis munditia, et puritate, atque exteriori devotionis at pietatis specie peragatur.* Sed hoc fundamentum ut subvertant adversarii, eo progrediuntur, ut a catholica doctrina discedentes, Virginitatem ac Cælibatum supra statum matrimonii neget præcellere contra Evangelicam veritatem Matth. XIX, 11. seq. I. Cor. VII. contra perpetuam traditionem, sententiasque antiquissimorum Patrum, ac contra apertam decisionem SS. Concilii Trid. Sess. XXIV. can. 10. *Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui Virginitatis, et Cælibatus, et non esse melius ac beatius manere in Virginitate aut Cælibatu, quam jungi matrimonio:* ANATHEMA SIT. Conf. Gratianum dist. 31.

(f) In hanc sententiam Card. Pallavicinus in Hist. Concil. Trid. L. XXIV. c. XII. n. 9. de prohibitione

conjugii sacerdotum ita scribit: „ *Quod spectat ad auctoritatem antiquitatemque hujusce prohibitionis, calamum mihi defatigare non placet; cum argumentum ea sit innumeris controversiarum scriptoribus familiare. Sed quod spectat ad ipsius utilitatem, prudens quisque consideret, quantum a rebus divinis distraherent, quantumque cum carne ac sanguine connecterent ministros Sanctuarii amor conjugum, et amor liberorum; cum ambo omnium vehementissimi sint, quos in homine natura succendat.* „

§. 16 Antiquitatem legis de Cælibatu et apostolicam originem explosuri adversarii, ajunt, eam a Siricio Rom. Pontifice primum latam. et ab Innocentio I. confirmatam fuisse. R. 1. Epistola Siricii, in qua de Celibatu agitur, data fuit anno Christi 385. Et Epistola Innocentii I. anno 404. Nonne satis antiqua dicenda est lex, quæ ultra quatuordecim secula jam viget, et ab Ecclesia semper confirmata est? R. 2. Si epistola Siricii P. de qua sermo est, attente inspiciatur, manifeste apparet, nullam ab eo novam legem de Celibatu sancitam, sed veterem contra transgressores propugnatam fuisse, ac pœnis munitam. Himerius Tarraconensis Episcopus ad Papam scripserat, *plurimos Sacerdotes Christi, atque levitas, post longa consecrationis suæ tempora tam de conjugibus propriis, quam etiam de turpi coitu sobolem procreasse, et crimen suum hac præscriptione defendere; quia in veteri testamento Sacerdotibus ac ministris generandi facultas legitur attributa.* Papa cum hanc religionis injuriam deflesset, contra exceptionem vel excusationem incontinentium respondet quærendo, an putent,
„ in lege Moysi passim sacris Ordinibus a Domi-
„ no laxata fuisse frœna luxuriæ? Cur eos, qui-
„ bus committebantur Sancta Sanctorum, (Deus)
„ præmonet dicens: *Sancti estote, quia ego*

,, *sanctus sum Dominus Deus vester?* Cur etiam ,, procul a domibus suis, anno vicis suæ in templo habitare jussi sunt Sacerdotes? Hac videlicet ratione, ne vel cum uxoribus possent carnale exercere commercium, ut conscientiæ ,, integritate fulgentes, acceptabile Deo munus ,, offerrent. Inde concludit Papa, formam continentiæ multo magis in Ecclesia servandam esse; ,, quia Dominus *legem venerit implere* (perficere), ,, *non solvere -- Quarum sanctionum omnes Sacerdotes atque Levitæ insolubili lege constringimur, ut a die ordinationis nostræ sobrietati ac pudicitiæ et corda nostra mancipemus, et corpora.* ,, Postea modum procedendi contra incontinentes præscribit: *Qui ignoratione lapsos se esse deflent: his hac conditione misericordiam dicimus non negandam. ut sine ullo honoris augmento, in hoc, quo delecti sunt, quamdiu vixerint, officio perseverent, si tamen posthac continentes se studuerint exhibere. Ii vero, qui illiciti privilegii excusatione nituntur, ut sibi asserant veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni ecclesiastico honore, quo indigne usi sunt, Apostolicæ Sedis auctoritate dejectos.* Si nulla ante Siricium lex continentiæ extitit, quale *crimen* fuit post ordinationem uti propriis uxoribus? Cur Papa ait, *earum sanctionum insolubili lege constringi* Sacerdotes et Diaconos? Cur incontinentes promoveri vetat, aut omnino gradu dejicit? At quæres vicissim, siqua lex extitit, quomodo ignoratione illius labi potuerunt aliqui? R. Ignoratio illa denotat, ipsos aliorum pravo exemplo, falso obtentu veteris legis, aut forte Joviniani erroribus fuisse deceptos, qui illo eodem tempore Virginitati ac Cælibatui bellum indixerat (g).

(g) Idem S. Papa Siricius an. 386. ex Concilio Romano literas dedit ad Afros, *non quæ nova præcepta im-*

perent (uti præla'ur). *sed quia ea, quæ per ignaviam, de i liamque aliquorum neglecta sunt, observari cupiamus, quæ tamen Apostolica, et Patrum constitutione sunt constituta: sicut scriptum est: state et tenete traditiones nostras sive per verbum, sive per epistolam.* Proposita dein præter alia sacerdotibus et levitis continentiæ norma, ut cum uxoribus suis non coeant, addit: *Si quis sane inflatus mente carnis suæ ab hac canonum ratione voluerit evagari, sciat se a nostra communione seclusum, et gehennæ pœnas habiturum.* Verba hæc ultima aperte indicant, continentiam Sacerdotum et Diaconorum non rationem meri consilii, aut decori, sed veræ legis habuisse; prima autem verba antiquitatem, et apostolicam originem ejusdem legis comprobant.

§. 17. Anno 390, post memoratam Siricii decretalem quinto, in concilio Carthaginensi II. cum Antistites, Præsbyteri, Diaconi; *vel qui sacramentis divinis inserviunt* (h), penitus continentes esse monerentur, addiderunt Patres: *Ut, quod Apostoli docuerunt, et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodiamus.* Quibus verbis non recentem Siricii legem, sed originem apostolicam, et Patrum observantiam indicant. Gratian. can. 3. dist. 31. et can. 3. dist. 84. S. Epiphanius Salaminæ in Cypro Episcopus ante tempora Siricii Papæ electus, cum Hæresi 59. n. IV. de continentia Episcoporum, Præsbyterorum, Diaconorum, et Hypodiaconorum ageret, addit: *Quod in illis locis præcipue fit, ubi ecclesiastici Canones accurate servantur.* Cumque ipse narraret, in quibusdam locis continentiæ legem minus religiose observari, mox subdit: *Respondeo, non illud ex Canonis auctoritate fieri, sed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere solet.*

(h) Hæc verba referenda sunt ad Subdiaconos, qui, ubi pro varia Ecclesiarum disciplina ad contrectanda divina mysteria admissi fuere tum etiam Cælibatus lege constringebantur.

§. 18. Ex his demonstrata est antiquitas legis de continentia sacrorum Ordinum. Certe a Siricio P. ea primum edita non est; nec aliud initium assignari potest. Valet ergo regula S. Augustini contra Donat. l. III. c. 3. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Adde can. Apost. 25 et quod Patres Carthaginenses aperte ad traditionem apostolicam provocent. Petrus de Marca l. 1. de Conc. c. VIII. n. 4. putat, primam *legem* ac necessitatem continentiæ Episcopis, Presbyteris ac Diaconis in Occidente præscriptæ manasse a constitutione Siricii, et decreto Concilii Africani. Non inficiatur tamen, tres illos gradus sacros longe antea *universalis Ecclesiæ consuetudine ad eam temperantiam adstrictos fuisse.* Inter legem autem, et consuetudinem discrimen illud statuit, *quod consuetudo violata pudore contemtores plectit: lex vero contumaces gradibus suis multat.* Sed recte respondet Coustantius Tom. I. Ep. Rom. Pont. Col. 631. in nota Aegre tamen cuique persuaserit (Petrus de Marca), consuetudinem hujusmodi, nisi vel sancita lege, vel apostolica traditione firmatam, ita valere potuisse, ut nullum in Occidente suppetat exemplum Episcoporum, Præsbyterorum aut Diaconorum, quibus ab ea recedere impune licuerit. Dein recole dicta ex epistola Siricii de insolubili necessitate harum sanctionum, dicta PP. Africanorum, de origine apostolica, et observantia antiquitatis: dicta S. Epiphanii de Canonis auctoritate, et hominum ignavia.

§. 19. Ab antiquitate hujus legis oppugnanda depulsi adversarii ex philosophia depromunt nova arma pugnandi contra Cælibatum; sed ex philo-

sophia nempe, quam non ratio docuit, nec Pater cælestis, sed caro et sanguis revelavit; ut verissime cum Apostolo dicas: *Animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei* I. Cor II. 14. Simulant causam se agere Clericorum, vere procuratores falsi, utpote a nemine rogati, nec mandato instructi, a multo maxima etiam parte cum indignatione rejecti. Memorant inprimis necessitatem propagandi humani generis: jus connatum contrahendi matrimonii: stimulos naturales, ac fines naturalium generandi facultatum: rationes politicas ex civium multiplicatione, seu *impopulatione* depromptas: necessitatem etiam præcavendi delictis, scandalisque a Clero incontinente datis; in quo genere ex universa Historia omne corradunt cœnum, figmentisque suis, et calumniis hæreticorum nimiopere augent.

§. 20. Istiusmodi dicta fere repugnant definitæ doctrinæ catholicæ de præstantia Virginitatis ac Cælibatus supra matrimonialem statum. De conservatione, et propagatione humani generis soliciti ne sint adversarii, in tanto nuptiarum æstu, quanto plerique hominum uruntur. Dictum Creatoris: *Crescite et multiplicamini* Genes. I, 28. benedictio, et fœcunditatis donum est, non mandatum; cum etiam ad reptilia et volatilia pertinuerit. Gen. ibid. v. 22. *Benedixitque eis, et dixit: Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris.* Cura conservandi humani generis ad *universos* pertinet, non ad *singulos*, et ad *prima* orbis tempora, non *postrema*: qualia vivimus. At enim divinus Servator, qui de Virginitate ac Cælibatu disserens, Matth. XIX, 11. dixerat: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est*; de nuptiarum studio prædixit: *Sicut autem in diebus Noe, ita erit*

et adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam; et non cognoverunt, donec venit diluvium, et tulit omnes: ita erit et adventus Filii hominis. Præterire non possum elegantissimam S. Cypriani sententiam ex libro de Habitu Virginum prope fin.: *Cum adhuc rudis mundus et inanis est, copiam fœcunditate generantes, propagamur, et crescimus ad humani generis augmentum. Cum jam refertus est orbis, et mundus impletus, qui capere continentiam possunt, spadonum more castrantur ad regnum.*

§. 21. Quando *ex stimulis naturæ* argumentantur nuptiarum Conciliatores, Ulpianum illud naturæ jus obtrudunt, quod *natura omnia animalia docuit*. Quem, obsecro, naturæ stimulum commemorant isti ad onera subeunda matrimonii, et *habendas tribulationes carnis*? I. Cor. VII, 28. Illum videlicet, quem nempe Apostolus nominavit II. Cor XII. 7. seq. *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me calaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me. Et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur.* Dicunt: qui uritur, ex doctrina Pauli non orare debet, sed uxorem ducere. *Si non se continent, nubant. Melius est enim nubere, quam uri*, I. Cor. VII, 9. R. Cur ergo Paulus, cum stimulos carnis sentiret; non uxorem duxit, sed oravit? Justissime Concilium Tridentinum Sess. XXIV. can. 9. decidit: *Siquis dixerit, - - - posse omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt, se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum: anathema sit. Cum Deus id recte petentibus non deneget,*

nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari (i).

(i) Auctor Vindiciarum Cælibatus supra laudatus Sect. II. c. IX. cum animadvertisset, ab adversariis concupiscentiam carnis ex peccato ortam, et ad peccatum inclinantem confundi cum stimulis naturæ iis, de quibus in disciplina naturalis Juris disseritur, acute addit: „ Libet quærere, siquis, ut sunt plurimi, ex temperamento naturæ iracundus sit, si furiosus, invidus, avarus, ambitiosus etc. num illi ira, furor, invidia, avaritia, ambitio non magis prohiberi possent, quam esus, potus, somnus? num ab illo hæc omnia ita explenda, ut fames, aut sitis? Num jure nullo renuntiaret iræ, furori, invidiæ, avaritiæ, ambitioni? „

§. 22. Siqui ex naturali generandi facultate matrimonii necessitatem cuivis imponere velint, ii ad stivam allegandi sunt, aut cædenda ligna; aut si debiliores sint, jubendi, ut sartorum tribui nomen dent. Quasi ab omnibus omnia agenda essent, ad quæ vires suppeditent naturales. Nunquid a Clero cælibe, religionis, sapientiæ, ac perfectionis studio abunde compensatur, atque ope Cælibatus exceditur id, quod ab aliis matrimonio præstatur.

§. 23. Sed ajunt, Virginitatem ac Caelibatum nemini imponi debere necessitate legis? R. Sacrosancta Ecclesia necessitate hujus legis neminem stringit, nisi volentem, id est, eum, qui sciens sacris Ordinibus impositam esse continentiam, volens amplexus sit vitam clericalem. conf. dicta lib. I. Decret. §. 388. addita nota. Sed ajunt: Multi adolescentes levitate potius, quam consilio ducti, aut parentum vel amicorum suasu statum ecclesiasticum eligunt, seseque perpetui Caelibatus ac certaminis jugo subjiciunt. R. Cum laudato Cephalio Sect. II. C. XIII. „ Evenire hoc, ut multa alia in hominibus assolent, tanto mi-

„ nus dubium, quod donum continentiae nonnulli
„ nullo modo, aut non satis recte petunt. At enim
„ num hujus levitatis causa lex Caelibatus? Num
„ talia probantur Ecclesiae, quae maturam con-
„ silio aetatem, et plurium annorum experimen-
„ tum ad sacros Ordines requirit? Cur igitur cul-
„ patur aut lex Caelibatus, aut quae hanc legem
„ gravissimis de causis tulit, Ecclesia? Liceat ite-
„ rum quaerere: Num a matrimoniis, quae ab
„ utroque aut alterutro conjugum multo minori
„ in aetate passim contrahuntur, et in quibus si-
„ mili experimento non est locus, abest semper
„ levitas animi, parentum et amicorum persua-
„ siones, blanditiae, minae? Num ab illis om-
„ nia bene prævisa, longo maturoque consilio li-
„ brata et expensa, quae ipsis lapsu temporum
„ ingrata, intoleranda, ac nonnunquam pene
„ mortifera accidunt? Nunquam ne illos facti
„ poenitet, nec mallent ad vitam caelibem, et
„ continentem redire, quam perdurare in con-
„ jugio, quod illis morte gravius est?"

§. 24. De scandalis Clericorum incontinentium, quae super tecta praedicant adversarii, dico, ea minime deesse in laicis conjugatis, non deesse in conjugatis ministellis Protestantium, nec sublato Caelibatu defutura fore in Clero catholico: numerum, ac santitatem continentium longissime majorem esse: in adversarios, qui male de omnibus suspicantur, cadere dictum S. Hieronymi adversus Vigilantium: *Nulli caelibi credentes pudicitiam, imo ostendentes, quam sancte vivant, qui male de omnibus suspicantur*. In quam sententiam Concilium Turonense II. anni 567. can. 14. hortatur Clericos, ut omnem sinistræ existimationis a se suspicionem amoveant, *ne occasio famam laceret honestatis*; *quia aliqui*

Laici, dum diversa perpetrant adulteria, hoc quod de se sciunt in aliis suspicantur; *sicut ait Senecа, pessimum in eo vitium esse, qui in id, quo insanit, ceteros putat furere.*

§. 25. De impopulatione quod dicunt, novum non est. Sed respondit divus Ambrosius l. de Virginitate c. 7. *Siquis igitur putat, consecratione virginum minui genus humanum, consideret, quia ubi paucae virgines, ibi etiam pauciores homines, ubi virginitatis studia crebriora, ibi numerum quoque hominum esse majorem. Discite, quantas Alexandrina, totiusque Orientis et Africana Ecclesia quotannis sacrare consueverint. Pauciores hic homines prodeunt, quam illic virgines consecrantur*. Respondit etiam laudatus Cephalicus Sect. II.c. XIV. n. 3. „ Ante omnia illud mirabile, procreationem et multiplicationem civium civitatis terrestris postulari a Sacerdotio, quod institutum est ad multiplicandos cives civitatis cælestis. Apostolos suos et discipulos, atque in his eorum successores Episcopos et Presbyteros instituit Christus, et sufficienti instruxit potestate ad docendum, ad pascendum et regendum, ad procurandam aliorum salutem æternam, huicque illos numeri totos sese dedere jussit. Siquid in hoc ab illis aut prætermittatur hodie, aut negligentius fiat, carpuntur indigne, et publice ridentur ab iis ipsis, qui nunc illos uxorem, proles, familiam habere, his præbere victum et vestitum, parare hæreditatem volunt; etsi non posse illos talibus a munere suo non avocari, ipsi non negent. Num etiam Majores nostri, num Principes religionem catholicam ad multiplicandos cives, et non potius ad æternam salutem suam amplexi sunt? Si vero neque Religio, neque ejus Sacerdotium ad multiplicandos cives instituta

sunt ; si Principes, si ceteri non ideo illam sive amplexi sive retinuerunt ; cur istud nunc postulatur, quod neque postulatum unquam fuit, neque promissum ? „

TITULUS IV.

DE CLERICIS NON RESIDENTIBUS IN ECCLESIA, VEL PRÆBENDA.

ARGUMENTUM.

I. Residentia continet commorationem in loco Ecclesie vel prebendae, et servitium personale. §. 26. II. Ratio habenda est Ecclesiarum vel praebendarum, ut in Episcopis, curatis inferioribus, canonicatibus aliis beneficiis simplicibus. §. 28. seq. III. Residentia ficta referri potest ad percipiendos fructus grossos, vel distributiones quotidianas §. 34. IV. Servitium personale continet obligationem psallendi per se. §. 36.

§. 26. A consortio mulierum et conjugii oneribus abstracti Clerici Ecclesiæ servitio et functionibus præbendæ suæ affiguntur per *Residentiam*, quæ est *præsentia personæ*, *vel assidua commemoratio in loco beneficii ad effectum servitii personalis.* In qua notione duo insunt, I. commoratio in loco Ecclesiæ vel beneficii, II. obligatio deserviendi personaliter. Utrumque est officii seu præcepti *affirmativi*; ut proinde *primo* inter hoc, aliaque officia affirmativa constituendus sit *ordo*; hinc christiana caritas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitas efficiunt exceptionem vel limitationem residentiæ, si cum ea conciliari non

possint. *Secundo* ponderandus est veluti gradus et quantitas officii affirmativi; quia, ut SS. Concilium Trid. Sess. XXIII. c. 1. de ref. docet, *qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum Canonum sententia non videntur abesse; quia statim reversuri sunt.* Quod idem patet in cohabitatione conjugum, in officio militum, parentum etc.

§. 27. Locus commorationis, qui in notione residentiæ inest, relate ad Episcopos, est *Ecclesia cathedralis* vel *Diœcesis.* Trid. Sess. XXIII. c. 1. de ref. Relate ad alios is est, ut functionibus personaliter obeundis commode adesse possint. Obligatio servitii personalis intelligitur *primo* ex natura beneficii, quod datur propter officium. *Secundo* quia Canones aperte declarant, beneficiatos *per se* curam Ecclesiæ vel benificii exercere debere, non per alios; idque petendo, ac recipiendo beneficia reipsa censentur promittere. c. 4. h. t. verba autem accipienda sunt cum effectu, ut ibidem dicitur. Ex hac obligatione residentiæ et servitii personalis præcipue oritur incompatibilitas plurium beneficiorum. Fundamenta ejus obligationis recensentur a Concilio Trid. Sess. VI. c. 1. de ref. et Sess. XXIII. c. 1. de ref. ibi: *Cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre, verbique divini prœdicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperumque, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, et in cætera munia pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari et impleri possunt, qui gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt etc.* (*a*).

(*a*) Etsi hæ functiones juris divini sint, tamen non adeo liquidum est an et quatenus per alios, idoneos

nempe vicarios obiri, aut ab absente ovibus invigilari possit, ut pastor absens quidem corpore, spiritu autem præsens censeatur. Hinc Synodus ex his rationibus non expresse declaravit, ipsam mansionem esse divini juris; uti narrat Pallavicinus Hist. Concil. Trid. lib. XVI. c. 4. et alibi.

§. 28. Rationes, quibus nititur obligatio residendi, non æque cadunt in omnia beneficia; ipsum Concilium Tridentinum, atque etiam usus aliter statuit de Episcopis, et Archiepiscopis, ac de beneficiis ac dignitatibus, quibus animarum cura annexa est: aliter de Canonicis, et Beneficiatis simplicibus. Sanctio etiam pœnalis, quæ in privatione fructuum contra non residentes statuta est, non eadem vi pro quovis beneficio est constituta. Quid enim? siquis velit carere fructibus canonicatus; num ipso canonicatu privari poterit? Aut siquis justa ex causa abest; justene privabitur fructibus? Accedit, quod per ipsos Canones introducta sit distinctio inter *fructus grossos* et ordinarios beneficii, et inter *distributiones quotidianas*, ad quas multo strictior requiritur residentia et præsentia in choro.

§. 29. Præmissis distinctionibus nituntur diversa residentiæ genera, divisionesque ab Auctoribus excogitatæ. Est I. residentia *vera* aut *ficta*: II. Residentia vera dicitur *voluntaria*, quando beneficiatus non tenetur absolute esse præsens, sed tantum conditionate, si velit percipere fructus; his si carere velit, abesse potest, et tamen retinere canonicatum, et alia jura capituli: e contrario *necessaria* est residentia, quando beneficiatus absolute obligatur esse præsens, sive velit percipere fructus, sive non. III. Hæc necessitas non pari rigo-

re ac vi pro quovis casu expressa est per Canones. Hinc rigidiores etiam Doctores, cum agunt de incompatibilitate beneficiorum, distinguunt inter residentiam *præcisam sub privatione tituli*, et *causativam sub privatione fructuum* retento titulo. IV. *Ficta* dicitur residentia, quando beneficiatus personaliter quidem præsens non est; fictione tamen juris pro præsente habetur ad effectum percipiendi fructus. Atque hoc casu distingui omnino debet inter percipiendos fructus grossos, et distributiones quotidianas (*b*).

(*b*) Ex primæva Ecclesiæ disciplina, et fundatorum mente omnes beneficiati stricte tenentur residere, et per se ipsos obire ecclesiastica ministeria. Sed ratio temporum et usus vel abusus invexit temperamenta, quæ nec probari omnia cordato viro, nec omnia rejici possunt. Concilia et Pontifices post erecta beneficia identidem cogebantur residentiæ necessitatem renovare, atque additis pœnis stabilire. conf. c. ult. de rescriptis in 6.

§. 30. Quæ generaliter dicta sunt, ad diversas beneficiorum ac dignitatum species nunc applicari oportet. Primo omnium ad personalem in sua Ecclesia vel Diœcesi residentiam SS. Concilium Trid. cit. Sess. VI. c. 1. de ref. et Sess. XXIII. c. 1. de ref. adstringit *omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscunque, quocunque nomine ac titulo præfectos, etiamsi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint.* Quo loco assignat I. gravissimas rationes hujus residentiæ. II. Exceptiones ob conflictum officiorum, si nempe prævalet *christiana caritas*, e. g. prædicandi fidem vicinis populis, convertendi hæreticos aut schismaticos; vel *urgens necessitas* valetudinis, fugæ ob imminentes persecutiones; *debita obedientia* comparendi ad Synodos vel coram Superiore; *evidens Ecclesiæ vel Reipublicæ*

utilitas, ob quam ad aulam Principis accedendum est (*c*). III. Has legitimas causas cognoscere et *in scriptis* approbare debet vel Beatissimus Rom. Pontifex; vel Metropolitanus, vel eo absente, aut si ipsemet abesse velit, Suffraganeus Episcopus antiquior (*d*). IV. Præter legitimam absentiæ causam, ejusque approbationem præscribitur pro tempore absentiæ provida cautio, qua discessuri ita ovibus suis providere debent, *ut, quantum fieri poterit, ex ipsonum absentia nullum damnum accipiant*. V. Statuitur sanctio pœnalis pro casu, siquis contra hujus Decreti dispositionem abfuerit, ut nempe præter alias pœnas absens pro rata temporis absentiæ fructus non faciat suos. Trid. cit. Sess. XXIII. c. 1. de ref. v. *Siquis autem*, conf. dicta l. I. Decret. §. 105. VI. Pro absentia temporis perbrevis, quæ pro vera absentia non habetur (§. 26. *secundo*) definitur, ut illud absentiæ spatium singulis annis sive continuum, sive interruptum nullo pacto duos aut tres menses excedat, neque incidat in dies Dominici Adventus, Quadragesimæ, Nativitatis, Resurrectionis Domini, Pentecostes item, et Corporis Christi; quibus diebus refici maxime et in Domino gaudere Pastoris præsentia oves debeant.

(*c*) Exceptio necessitatis et utilitatis indicatur c. 13. et c. 14. h. t.

(*d*) Approbatio causæ non requiritur, cum absentia inciderit propter aliquod munus, vel Reipublicæ officium Episcopatibus adjunctum; cujus causæ notoriæ sunt, et interdum repentinæ. Trident. l. c.

§. 31. De Curatis inferioribus, et aliis quibuscunque, qui beneficium aliquod ecclesiasticum, curam animarum habens, obtinent, *eadem*

omnino quoad culpam, amissionem fructuum et pœnas declarat SS. Synodus et decernit, *ita tamen, ut quandocunque eos, causa prius per Episcopum cognita et probata, abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso Ordinario approbandum, cum debita mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licentiam in scriptis, gratisque concedendam ultra bimestre tempus, nisi gravi ex causa non obtineant. Quodsi per edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fuerint: liberum esse vult Ordinariis, per censuras ecclesiasticas, et sequestrationem et subtractionem fructuum, aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem compellere.* Trid. cit. Sess. XXIII. c. 1. de ref. ubi contra executionem hujus Decreti præciduntur omnes exceptiones contrariæ. Ceterum de citatione non residentium, de præfixione termini, de cognitione causæ et impedimenti etiam agitur c. 8. 9. 10. 11. 17. h. t. Necesse est enim, Reum audiri, et ordinem juris servari. Ad privationem beneficii contra absentes procedi posse, non tantum Curatos inferiores, sed etiam Episcopos et Cardinales, patet tum ex c. fin. tum ex c. 2. h. t. quod ultimum desumtum est ex Synodo Romana anni 850. sub Leone IV. (*e*). Quia autem residentia tanquam officium affirmativum suos veluti gradus habet, usu invaluit, ut etiam Curati per paucos dies (facta pro inopinatis casibus provisione) absint, etiam non petita licentia.

(*e*) Concil. edit. Mansi. Tom. XIV. Col. 943.

§. 32. De iis, qui in cathedralibus aut collegiatis Ecclesiis dignitates, canonicatus, præbendas aut portiones obtinent, decernit SS. Synodus Tridentina Sess. XXIV. c. 12. de ref. v. *Prætereo*

obtinentibus, non licere vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis, *ultra tres menses* (id est, 90. dies) ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: *salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.* Additur ibidem Sanctio pœnalis consistens in privatione fructuum, aliisque juris remediis, de quibus dictum est §. præc. Hoc Decretum si servaretur in omnibus Ecclesiis, præcisa esset pluralitas canonicatuum, de qua tot boni, quantumvis alieni a captandis præbendis, ingemiscunt. Sed usus vel abusus in plerisque Germaniæ Ecclesiis brevius admittit residentiæ tempus ad lucrandos fructus grossos sufficiens; modo tum saltem non materialis in choro præsentia, sed servitium ab Ecclesia præscriptum impendatur. De hac clausula, ac de distributionibus quotidianis dicam §. 36.

§. 33. Alia beneficia simplicia ex consuetudine et tolerantia residentiam personalem non requirunt, sed potest illis satisfieri per alium, nisi fundator expressis verbis postulet, ut beneficiatus per se ipsum impositas functiones peragat. Sine dubio autem pro hoc etiam casu justa causa tum absentiæ, tum percipiendæ ab absente saltem partis redituum necessaria est; *quoniam indecens est, et non consentaneum rationi, ut, qui alia beneficia sibi sufficientia habet, ab Ecclesia, cui non deservit, beneficia quærat.* c. 6. in parte decisa.

§. 34. Ad residentiam fictam referenda in primis est distinctio inter fructus grossos, et distributiones quotidianas. Hæ etiam vocantur *Præsentiæ, Victualia, Manualia.* c. 7. X. et c. un. in 6. h. t. Atque a Concilio Tridentino non modo approbatæ, sed ad acuendam Canonicorum diligen-

tiam potius augeri jussæ sunt. Sess. XXI. et Sess. XXII. utrinque c. 3. de ref. Earum nempe finis et natura est, ut nemini dentur, nisi præsenti in choro, et competens servitium personaliter implenti, unde etiam *legitime* absens iis non gaudet. cit. c. 7. et c. un. in 6. et c. 32. de præb. Exceptiones sunt, I. si quem interesse prohibet *infirmitas*, *justa et rationabilis corporalis necessitas* (*f*), aut *evidens Ecclesiæ utilitas*; modo quis eo casu præsens sit in loco beneficii, et alias consueverit choro interesse. Arg. c. 30. de elect. in 6. II. Nominatim præsens in choro ad effectum lucrandi distributiones quotidianas censetur Canonicus pœnitentiarius, dum audit confessiones in Ecclesia cathedrali (Trid. Sess. XXIV. c. 8. de ref.) vel qui in Parochia sua canonicatui incorporata curæ animarum affixus est, nisi alia sit consuetudo vel statutum Ecclesiæ. Ib. Sess. XXII. c. 3. de ref. Aliis casibus reprobatur consuetudo percipiendi præsentias in absentia: nec locum habet ulla conventio vel remissio; ac percipiens ne earum quidem Dominium acquirit cit. c. un. h. t. in 6. Trid. Sess. XXIV. c. 12. de ref. ibi: *quavis collusione, aut remissione exclusa.*

(*f*) Ad hanc corporalem necessitatem referri solet dies, quo sumitur potio medica, sanguis mittitur, non tamen, quo barba raditur.

§. 35. Residentia ficta ad effectum percipiendi fructus grossos *tantum* locum habet, I. siquis ex justa causa, et legitime approbata abest. §. 30. n. II. et seq. II. Relate ad duos Canonicos in servitio Episcopi occupatos. c. 15. h. t. III. In iis, qui cum consensu Episcopi operam dant studio literarum, seu scholasticis disciplinis e. g. Theologiæ vel Juri Canonico in

universitate publica et probata. c. fin. de Megistris. Concil. Trid. Sess. V. c. 1. de ref. at c. 4. c. 5. in parte decisa et c. 12. h. t. De *Docentibus* distingui oportet inter beneficia non curata, et curata. Nam e. g. Parochus habens in civitate suam Ecclesiam potest ibi in publica universitate sacram Scripturam legere, ita tamen, ut cura animarum per ipsum exercenda nihil detrimenti patiatur; at non potest alio loco obire doctoris munus, alio retinere parochiam, etsi ad hanc singulis diebus festis accedere vellet, et idoneum Vicarium approbatum cum congrua mercede relinqueret (*g*). IV. Concilium Constantiense Sess. XIX. missos ad generale Concilium gaudere sinit omnibus fructibus et proventibus beneficiorum, sed addita clausula, *quotidianis distributionibus duntaxat exceptis* (*h*).

(*g*) Conf. Ferraris in Biblioth. T. 6 v. *Parochus* Art. 2 n. 26 27.

(*h*) Concil. edit. Mansi Tom. XXVII. Col. 800. in fin. Eugenius IV. edita constitutione cavit, ne ex causa absentiæ procedatur contra eos, qui in obsequio Apostolicæ Sedis existunt, aut pro suis causis ac negotiis ad Apostolicam Sedem accedunt, ac ibi moram trahunt. Hæc *Eugeniana* constitutio continetur Extrav. 3. de privilegiis inter communes. Sed conf. Trid. Sess. XXIII. c. 1 de ref. circa fin. et Sess. XXIV. c. 12. v. *quæ vero* privileg. de ref.

§. 36. Secundum Canones hactenus indicatos, omnesque juris decisiones ac declarationes, quæ de residentia agunt, ea sumenda est non mere *materialiter*, sed cum effectu servitii personalis. Hinc in Summa Sylvestrina v. *Residentia* n. 1. *ex duobus dicitur Clericus non residere*, *primo*, *si personaliter non residet*,

secundo, *si personaliter quidem residet*, *sed non deservit beneficio*. Quapropter attingenda est quæstio, utrum ad percipiendos fructus grossos, aut distributiones quotidianas, vel utraque sufficiat, saltem vi consuetudinis immemorialis, si Canonici in choro assistant, sed per Vicarios tantum, non per se psallant? R. 1. negant sufficere Auctores communissime, qui rem ex instituto examinant, atque ita negant, ut tales Canonicos non satisfacere dicant muneri suo, nec omnino suos facere fructus grossos, nec distributiones quotidianas. 2. Concilium Tridentinum Sess. XXIV. c. 12. de ref. cum residentiæ legem exposuisset, velut declarationis gratia mox addit: *Omnes vero divina per se*, *et non per substitutos compellantur obire officia; et Episcopo celebranti*, *aut alia Pontificalia exercenti assistere et inservire*, *atque in choro ad psallendum instituto*, *hymnis et canticis Dei Nomen reverenter*, DISTINCTE *devoteque laudare*. Huic literali, ac perspicuæ decisioni inhærent declarationes Cardinalium S. Concilii Interpretum, quas recenset Clericatus T. III. Erotemat. Eccles. c. 18. Imo Benedictus. XIV. in Constit. *Cum semper oblatas*, edita 19. Augusti 1744. ait, contrariam opinionem nunquam in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi præposita examinatam fuisse, *quin statim explosa fuerit*, *et improbata*; *quamvis præsumtis consuetudinibus*, *aliisque fundamentis et rationibus innixa perhiberetur*. Agit ibidem Pontifex de Canonicis, qui choro assistunt quidem, sed psallentibus beneficiatis aut mansionariis in cantu non se adjungunt; additque, *nisi illis præsto sit Apostolicum*, *non præsumtum vel abrogatum*, *sed legitimum ac vigens privilegium*, *sive indultum*, *jure ac merito verendum est*, *ne*

isti, dum ita se gerunt, præbendarum ac distributionum fructus minime suos faciant, et consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur. 3. S. Pius V. in Const. *Ex proximo Lateranensis Concilii*, confirmans et declarans Decretum Concilii Lateran., quo statuitur, beneficii fructus restituendos esse ab iis beneficiariis, qui divini officii recitationem omittunt, eandem fructuum restitutionis pœnam indicit: *Tametsi aliquis choro addictus, non recitans, omnibus horis canonicis cum aliis præsens adsit, fructusque et distributiones forte aliter assignatas sola præsentia juxta statuta fuudationis vel alias sibi lucrifecisse prætendat* (*i*).

(*i*) Archiepiscopus Moguntinus in Ordinatione pastorali an. 1780 edita, agens §. XX. de obligatione canendi in choro maxime urget ea de re piam fundatorum intentionem, qui non statuas in Ecclesia collocare, quas leviore sumtu vel ex auro comparare poterant, sed viros Deo sacros divino mancipare obsequio in animo habuissent. In formula reformationis ecclesiasticæ pro Germania edita in comitiis Augustanis an. 1559 §. de Horis canonicis et Psalmodiis dicitur: Præposterum est autem, et tam naturæ, quam dignitati ac institutioni cultus illius divini contrarium, velle curam hanc, ad postremos tantum ordines, aut conductitios succentores rejicere.

TITULUS. V.

DE PRÆBENDIS, ET DIGNITATIBUS.

ARGUMENTUM.

I. Ministris Dei et Ecclesiæ debita est sustentatio: de quæ pro rerum et temporum varietate varia fuit disciplina §. 37. II. Beneficii et præbendæ appellatio, notio, diversitas. §. 50. III. Beneficiorum Status quomodo, et qua Auctoritate determinetur, aut mutetur. §. 60. IV. Pluralitas beneficiorum. §. 73. V. Modi acquirendi beneficia §. 83. VI. Jus Episcoporum et Papæ in conferendis beneficiis. §. 84. VIII Con o data Germaniæ. §. 87. VIII. Regulæ Cancellariæ. §. 105. IX. Primariæ Preces Romanorum Regis. §. 106 X. qualitates ad beneficio §. 109.

§. 37. Clericis a negotiis et curis secularibus abstractis, Deo dicatis vi status, ac divino ministerio, et spirituali servitio pro salute aliorum addictis, occupatisque competit jus sustentationis ex bonis Ecclesiæ. Docuit id naturalis ratio omnes gentes, quæ pro obeunda religione ac sustentatione ministrorum ejus liberales sumtus contulerunt: docuit idem Deus in veteri Testamento legem præscribens de alenda tribu Levi. Docuit Christus in N. T. quando Apostolos suos per vicos et oppida Palæstinæ misit (*a*): idemque multis verbis explicavit Paulus (*b*); a quo ævo deinceps semper id jus Pnitum, et quoad rem observatum fuit, etsi

quoad modum pro temporum ratione varia esse debuerit in eo genere disciplina.

(*a*) Matth. X. 10. *Dignus est enim operarius cibo suo.* Luc. X. 7. *Edentes et bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua.*

(*b*) I. Cor. IX. 5 15.

§. 38. Varietas disciplinae duplex hoc loco spectanda est: *primo* circa Clericos eos, qui post ordinationem jus habebant, exigendi sustentationem ab Ecclesia, vel Episcopo ordinante, ejusve Successore; *secundo* circa modum sustentationis. De Clericis hae sunt positiones: I. Jure vetustissimo Ecclesiæ nullus conferebatur Ordo sive sacer, sive ex minoribus quispiam, nisi cum titulo et loco aliquo in Ecclesia. Hic titulus erat eo tempore mere spiritualis, et denotabat vel certum ministerium sacrum in certo loco obeundum, vel ipsum locum, in quo ministerium sacrum obiri debuit (*c*); semper tamen sic ordinatus acquirebat jus percipiendi stipendia vitae ex communibus Ecclesiae bonis (saltem nisi ex suo patrimonio commode sustentari poterat). Ratio exponitur c. *cum secundum Apostolum.* 16. h. t.

(*c*) Exceptio de alligatione ordinati ad certum titulum erat, si qui inviti aliquando ordinabantur, in ipsa ordinatione contestati essent, se nolle certæ alicui Ecclesiæ alligari. Exempla affert Franc. Florens T. 2. ad h. t. pag. 261.

§. 39. II. In Concilio Chalcedonensi can. 6. apud Grazianum can. *Neminem.* 1. dist. 70. Ordinationes *absolutæ*, id est, sine titulo factæ ad injuriam, ac pœnam Ordinatoris generatim di-

cuntur irritæ ; nempe ut sic ordinatus *nunquam possit operari*, quemadmodum est in græco, sive exercere suos ordines. Titulus vero in ordinatione publice proclamandus, assignatur quadruplex, Ecclesia *civitatis*, Ecclesia *possessionis*, sive pagi, *martyrium*, seu capella in honorem Martyrum constructa, quæ non esset Parochia, *monasterium*; quia religiosi tum fere Laici tantum erant, suosque habebant Presbyteros intitulatos.

§. 40. III. Justitianus solicite cavens, ne nimia Clericorum copia Ecclesiæ ad egestatem redigerentur, certum numerum quoad omnes gradus præfixit, statuitque, ut Episcopus, siquem supernumerarium ordinaret, de *suo* Patrimonio eum alere teneatur. Adcurate enim eo tempore distinguebatur inter *bona patrimonialia* Episcopi, aliorumque Clericorum, et inter *bona ab Ecclesia acquisita*, Atque hæc ordinatio Justiniani exhibetur c. *non liceat*. 2. h. t. ex Epitome Juliani n. 5. et ex Nov. 3. c. 2. Nov. 6 c. ult. et Nov. 16.

§. 41. IV. Sæculo Labente XII. tempore Alexandri III. disciplinæ prioris rigor sic temperatus est, ut ordinatio sine titulo facta, rata quidem esset etiam quoad exercitium ordinis, modo ordinati possint de propriis facultatibus sustentari qui est *titulus patrimonii*; alioquin Episcopus ordinans, ejusve Successor teneatur ordinatis tamdiu necessaria subministrare, donec competens beneficium merito sint consecuti. Atque hoc statutum non pro Clericis minoristis, sed pro Diaconis et Presbyteris factum est in Concilio Lat. III. an. 1179. sub Alexandro III. ac refertur c. *Episcopus* 4. h. t. Innocentius III. illud etiam applicat ad Subdiaconos sine titulo ordinatos,

addita nova exceptione: siqui *nullo praesentante* fuerint ordinati. c. *cum secundum Apostolum* 16. h. t. Præsentans enim Clericum ad ordines majores eundem sustentare tenetur, si beneficium assecutus, non sit, nec vitæ stipendium, adjuvando Parochos, merere ipse possit. Atque hoc a præsenti disciplina perparum abludit (*d*).

(*d*) Conf. Glossa in cit. c. 16 v. Successores. versu: et hoc intelligo.

§. 42. V. SS. Concilium Tridentinum de titulo ordinandorum agit Sess. XXI. c. 2. de ref. uti exposui Lib. I. Decret. §. 405. In Sess. XXIII. c. 16. de ref. Cupit S. Synodus disciplinam Canonis. 5. Chalced. reduci, quantum omnino fieri potest. Hactenus dictum est de Clericis, qui jus habent exigendi sustentationem ab Ecclesia vel Episcopo ordinante, ejusve Successore. Atque hanc maxime ob causam, eamque justissimam olim invaluerant mandata Pontificia de providendo, et gratiæ exspectativæ, de quibus agetur a. §. 85.

§. 43. De modo sustentationis Clericorum, variaque in hoc genere disciplina generatim dici potest, singulariter cavisse divinam Providentiam, ne laborantibus hujus vitæ necessaria deessent, et ob inopiæ timorem justitia deseri debuerit; quemadmodum animadvertit Ven. Beda l. IV. in Luc. c. 54. Profecto si quivis Christianus, certe præ aliis Clericus divino Servatoris promisso semper niti deberet: *Quærite primum regnum Dei, et justitiam ejus: et haec omnia adjicientur vobis*. Matth. VI. 33. Ceterum ut l. c. docet Beda, *non hoc praeceptum*

esse putandum est, ut nil pecuniae reservetur a Sanctis, vel suis scilicet vel pauperum usibus suggerendae; cum et ipse Dominus, cui ministrabant Angeli, tamen ad informandam Ecclesiam suam loculos habuisse legatur, et a fidelibus oblata conservans, suorum necessitatibus aliisque indigentibus tribuens. Præter hoc peculium, cum iter faceret Christus comitantibus Apostolis per civitates et castella; sequebantur eum feminæ *multae, quae ministrabant ei de facultatibus suis.* Luc. VIII.3.(e)

(*e*) Nec lividi Pharisæorum oculi quidquam in hac re, quod reprehenderent, viderunt. S. Hieronymus in c. 27 Matth. ita inquit: „ Consuetudinis Judaicæ fuit (nec ducebatur in culpam, more gentis antiquæ), ut mulieres de substantia sua victum, atque vestitum præceptoribus ministrarent. Hoc, quia scandalum facere poterat in nationibus, Paulus abjecisse se memorat. Dicit enim ipse I. Cor. IX, 5 „ Nunquid non habemus potestatem sorores mulieres circumducendi, sicut et ceteri Apostoli faciunt? „ Addit de hoc more S. Doctor: „ Non quod indigeret civis Dominus creaturarum, sed ut typum ostenderet magistrorum, quod victu atque vestitu ex discipulis deberent esse contenti. „

§. 44. Post Christi Ascensionem Hierosolymis quidem fideles divenditis bonis suis, cum præsertim urbem paulo post evertendam pro certo tenerent, pretium ponebant ante pedes Apostolorum, dispensandum scilicet *in omnes, prout cuique opus erat* (*f*). Orto dein murmure Græcorum de neglectis viduis suis, Apostoli, ut orationi ac ministerio verbi instare possent, ordinarunt Diaconos, qui singulis necessaria subministrarent. Atque hic mos per plura postea secula retentus fuit, ut Diaconi, atque etiam Subdiaconi tempore Gregorii M. oblationes fidelium, et reditus fundorum colligerent, et Clericos, ac pauperes

distribuerent per menses, hebdomades, vel dies; ob quam causam S. Cyprianus Clericos fratres *sportulantes* appellat. Præcipua tamen administrationis et dispensationis auctoritas semper penes Episcopum erat, qui per Canonem Chalcedonensem 26. debuit adsciscere Clerico aeconomos, *ut non sine testimonio sit gubernatio ipsarum rerum ecclesiasticarum, et ex hoc eveniat, res ejusmodi Ecclesiae dispergi, et sacerdotali dignitati obtrectatio generetur.*

(*f*) Act. II. 45 IV. 32 seq. V. et. VI.

§. 45. Sæculo V. illapsis in Occidentem Barbaris, ac dicissis Provinciis, cum Ecclesiæ communi ubique consilio regi non possent, Simplicius P. circa an. 475. contra abusum redituum ecclesiasticorum celebrem edidit Decretalem (apud Gratianum can. *de reditibus* 28. XII. q. 2.), qua bona et reditus Ecclesiarum in partes, seu fines quatuor diligenter impendi jussit, ut scilicet una pars cederet Episcopo, altera Clericis, tertia pauperibus, et quarta fabricæ Ecclesiæ. Eandem divisionem repetit Gelasius P. an. 494. apud Gratianum can. *quatuor.* 27. XII. q. 2. Atque hæc distributio non tantum intelligebatur de bonis eo tempore existentibus, sed etiam de oblationibus, reditibus, ac bonis, quæ futuris temporibus obventura essent, uti Gregorius M. eadem causa et quæstione apud Gratianum declaravit can. *cognovimus* 29. Atque hæc est famosa illa bonorum divisio quam perperam multi intelligunt, quasi talis, eaque perpetua fuisset facta bonorum divisio, uti in communi dividundo, aut familia erciscunda assolet; ac quasi eo jam tempore officiis Clericorum certi ac perpetui fuissent annexi reditus ac

beneficia erecta ; quod penitus a vero abhorret. Sane nihil novi vel a Simplico, vel a Gelasio fuit inductum, sed *quod dudum rationabiliter est decretum*, id deinceps etiam ut observaretur, præceptum fuit. Hinc Gelasius P. eodem loco can. *vobis* 23. monet, ut, postquam dictis quatuor finibus satisfactum est, *siquid forte sub annua remanebit expensa, tradatur enthecis* (*g*) ; *ut ubi major emerserit fabrica, sit subsidio, quod ex diversi temporis diligentia potuerit custodiri: aut certe ematur possessio, quæ utilitates respiciat communes.* Oblationes ac reditus Ecclesiarum etiam post Simplicium ac Gelasium in communem veluti massam colligebantur, quæ sub cura et auctoritate Episcoporum a constitutis œconomis administrata fuit, ac dispensata non proportione quadam arithmetica, sed pro singulorum necessitatibus, vel meritis (*h*).

(*g*) Entheca est, quidquid sepositum, conditumque est præsidii causa. Vicat. in Vocab. h. v.

(*h*) Hinc S. Gregorius lib. IX. Ind. IV. epist. 29 discrimen facit inter pauperes, ac plus assignat *hominibus honestis ac egenis, quos publice petere verecundia non permittit, quam reliquis pauperibus qui eleemosynam publice petere consueverunt*

§. 46. Ut intelligi possit, quomodo hæc omnium oblationum ac redituum in unum veluti cumulum congestio, indeque facta distributio paulatim immutata sit, sciendum est, inde a primis Ecclesiæ temporibus pro cœtu et conventu fidelium plures tum in urbe, tum per pagos constitutos fuisse sacros *titulos*, seu parœcias, ad quas vicini fideles veluti adscripti censebantur. Ad hos titulos seu Ecclesias aut parœcias tum in urbe,

tum per pagos Episcopi primo mittebant Præsbyteros, aliosque Clericos, qui ubi cultum divinum obirent, et Sacramenta administrarent, finita functione ad Episcopum redituri. Postea re ipsa suadente ad faciliorem dispensationem Sacramentorum. et commoditatem fidelium iis Ecclesiis vel parœciis certi Præsbyteri ac Clericis perpetuo affixi sunt (*i*). Atque hi Presbyteri titulis suis affixi pro sustentatione sua, aliisque necessitatibus recipiebant oblationes ibi factas, ac fortassis etiam fundorum, siqui eo pertinerent, reditus. Hinc Ferrandus in Breviatione Canonum n. 38. ex Concilio Hipponiregiensi an. 427. recitat canonem: ***Ut Episcopus matricis non usurpet**, quidquid fuerit donatum Ecclesiis, quæ in Diœcesi* (ruri, et per pagos) *constitutæ sunt*. Idem statutum jam ante fuerat in Concilio Carthag. anni 421. can. 10. his verbis: ***Placuit**, ut agri, vel quæcunque prædia Ecclesiæ in Diœcesi constitutæ, fuerint derelicta, non ea matrici Ecclesiæ applicari usurpet Episcopus.* Nicephorus l. XIV. Hist Eccl. c. 22. refert, sub Gennadio Patriarcha CPno circa a. 458. constitutum fuisse, ut, quæ in Ecclesia quaque muneris loco offerrentur, ea a loci cujusque Clericis acciperentur, cum antea ad Ecclesiam principalem fuissent congerenda. Initio sæculi VI. in Concilio Agathensi an. 506. clariora habentur indicia, quod Clericis ad sustentationem quædam bona fuerint credita vel commendata; uti apparet ex can. *statuimus* 32. can. *Diaconi.* 35. et can seq. XII. q. 2. (*k*). Circa idem tamen tempus Symmachus P. solicite monet, ut Clerici, quibus ob merita conceduntur bona Ecclesiæ, hæc ipsa *non perpetuo, sed temporaliter perfruantur*, scilicet ad arbitrium Episcopi; ut ea bona post obitum Clerici non ad Successorem, sed ad ordinationem

Episcopi reversa sint. can. *Possessiones*. 61. XVI. q. 1.

(*i*) De antiquitate istiusmodi titulorum conf. Franc. Floren. T.II. h. t. pag. 249 Sane in antiquissimis Conciliis fit distinctio inter Ecclesias civitatis, et Diœcesium, sive pagorum, inter Presbyteros civitatis, et agrorum.

(*k*) Gelasius in can. *vobis*. 23 XII.q.2 prohibet, ne certa bona Clericis assignentur, sed totum ad Episcopos deferri. Verum hic Canon aut vocandus in dubium est, quod Berardus facit; aut dicendum, eam, quam hic exposui, disciplinam non ubivis tum invaluisse; quamquam auctus fidelium, et Ecclesiarum, et Presbyterorum, aliorumque clericorum numerus eandem ut necessariam exegisse videtur.

§. 47. Invaluit paulatim hic mos, ac fere ad seculum XII. usque perduravit, ut Rectores Ecclesiarum Chatedrali inferiorum ipsi perciperent, et administrarent oblationes in Ecclesiis suis factas, et reditus fundorum ad eas pertinentium pro sua et Clericorum ibidem ministrantium sustentatione; pro fabrica suarum Ecclesiarum, cultuque divino ibidem obeundo, ac loci ejusdem pauperibus. Tenebantur præterea portionem præstare Episcopo ad massam bonorum Ecclesiæ principalis conferendam; unde *quarta decimarum mortuariorum* origine duxit. Si omnia expendantur, quæ de Ecclesiis Parochialibus cum certis, separatis ac perpetuis etiam reditibus, ex pluribus monumentis ante sæculum XII. a Thomassino P. III. l. 2.congestis constant, ea probant administrationem quandam et veluti mensam parochialem ad sustentationem Parochi, et Clericorum illius Ecclesiæ, aliosque fines præstitutos; sed hæc *communis* massa Parochialis non parum differebat a separatis, perpetuisque beneficiis, etsi separationem quandam bonorum ec-

clesiasticorum totius Diœcesis, et plures administrationes contineret.

§. 48. Alia contigit in sustentando Clero disciplinæ varietas ex vita communi, et separata eorundem. S. Eusebius natione Sardus, et inter monachos commoratus, ad regendam Ecclesiam Vercellensem vocatus, e re Ecclesiæ fore censuit, si vita clericalis cum monastica conjungeretur, et Clerici cum Episcopo, cujus efficiebant senatum, una habitarent et viverent. Hæc dein vitæ ratio in pluribus Diœcesibus Provinciæ Mediolanensis invaluit, et a S. Augustino, qui antea Mediolani versatus fuerat, in Africam inducta fuit, sic tamen, ut nolentes ad vitæ communionem non cogeret, uti patet ex can. *nolo* 10. et can. seq. et can. *certe ego* 18. XII. q. 1. Seculo dein VIII. hæc vitæ communio magnopere promoebatur et *canonici* a servandis instar regulæ *Canonibus* appellati sunt, sicut *Regulares* vocabantur, qui regulam monasticam profitebantur. Per Canonicorum autem regulam intelligebatur maxime regula Chrodegangi Metensis Episcopi Pipini temporibus edita, et ex sacris Canonibus concinnata, ad quam Clerici mores suos formarent instituta vitæ communis societate (*l*). Quamvis autem isti monasticam vitam non profiterentur, tamen adoptarunt nomina Monachis propria, ceu appellationem fratrum, et Monasteriorum; quo nomine etiam hodie appellantur multæ Ecclesiæ, in quibus vita monastica nunquam fuit introducta. Ex his Clericis canonicam vitam ducentibus una cum Episcopo suo orta sunt capitula Ecclesiarum cathedralium, et ex aliis Clericis etiam in oppidis et pagis communiter viventibus capitula Ecclesiarum collegiatarum. Ac postea primum

ex partitione communis in singulis Ecclesiis massæ factæ sunt præbendæ pro Canonicis certo vel incerto numero constitutæ; et Episcopus quoque ac capitulum bona sua seorsim administrare cœperunt.

(*l*) Regula prima et authentica Chrodegangi una cum posterioribus additionibus ex editione Labbei extat in Concil. Edit. Mansi T. XIV. col. 313.

§. 49. Tota hæc disciplinæ varietas non bonorum ac redituum Ecclesiæ naturam affecit, aut immutavit sed solam administrationis rationem. Sive enim Clerici portionem ac sportulas diurnas vel mensurnas caperent de manu Episcopi, ejusque ministrorum, sive ex certa bonorum massa Clericis in communi attributa, sive ex certis fundis aut prædiis, quæ singularibus Clericis concedebantur, post obitum communi massæ restituendas; sive Episcopus et Canonici una et communi una ex massa sustentarentur, sive eadem partiti sint postmodum; mansit semper eadem bonorum ecclesiasticorum natura et conditio invariata. Unde recentiores etiam Canones Conciliorum, et Pontificum Constitutiones, si de recto usu bonorum beneficialium sermo est, ad primorum temporum Canones provocant, et post omnem factam divisionem bona Ecclesiæ et quæ inde ad Clericos pervenerunt, appellant *patrimonium Christi*, *alimenta pauperum*, *res Dei*, non secus, ac ante divisionem: quæ in sola mutatione administrationis reipsa sita est. Qualiscunque aut administrationis forma circa proventus ecclesiasticos observetur, mens Ecclesiæ est, ut ex illis quivis Clericus honestam et moderatam sustentationem capiat, superfluis ad eos fines impensis, quos intentio offerentium,

et spiritus SS. Canonum exigit; quemadmodum exponam ad tit. *de Peculio Clericorum.*

§. 50. Ex his, quæ præmissa sunt, in primis intelligitur appellatio *beneficii*, quæ eo, quo nunc valet, significatu, in ecclesiasticis monumentis primorum seculorum non occurrit. Quemadmodum Imperatores ac Reges iis, qui ad militiam vel obsequia aulæ adstringebantur, certos reditus, aut fundos *beneficiorum* ac *feudorum* nomine largiti sunt; ita idem posterioribus seculis obtigit Clericis pro sacro officio ac ministerio, ex bonis ad Ecclesiam pertinentibus. Sacri Canones *beneficii* ac *præbendæ* vocabulis sæpe promiscue utuntur. can. *Siquis*. 2. et can. *Ex multis* 9. §. 3. I. q. 3. Apud Romanos *præbenda* neutro genere significabant annonas, cibaria, vel alimenta, quæ in dies vel menses militibus erogata sunt. l. *inviti*. 19. D. de testib. ubi Ulpianus loquitur de eo *quiquid exercitui Præbendum conduxerit*.

§. 51. Explicata vocabolorum vi, notio beneficii hæc est: *Beneficium est jus perpetuum, percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, Clerico concessum ob sacrum ministerium, auctoritate ecclesiastica constitutum* I. *Jus percipiendi fructus*. Id jus alii comparant usuifructui; nam ipsi fundi, unde fructus proveniunt, in bonis Ecclesiæ, non Clericorum sunt: alii simile putant dominio utili ad similitudinem feudorum, saltem si fructus ex bonis immobilibus percipiuntur: aliquando æquiparatur juri censitico. II. *Propter sacrum Ministerium* (§. 37.), quod alii principaliter respicientes ajunt: *Beneficium est jus perpetuum ministrandi in Ecclesia, auctoritate Episcopi constitutum, habens jus percipiendi fructus annexum.*

De hoc jure percipiendi alimenta propter ministerium præter locos supra cit. in c. *dilectus* 19. h. t. dicitur : *Videtur indignum , ut receptus in canonicum præbendæ beneficio defraudetur* . adde c. *extirpandæ* 30. III. *Jus perpetuum* secundum hodiernum morem dicitur, tum quia Clerico datur ad dies vitæ , eoque sine causa canonica exspoliari non potest ; tum quia moriente Clerico non extinguitur, sed semper adhæret annexum titulo id est , certo ministerio vel loco , cui adscriptus est Clericus , ut , qui titulum obtinet , etiam jus habeat percipiendi fructus . IV. *Auctoritate ecclesiastica constitutum* , nempe summi Pontificis vel Episcopi , jus percipiendi fructus titulo spirituali annectentis ; ut proin titulus sine jure percipiendi fructus , aut jus percipiendi fructus sine titulo acquiri non possit,nisi eadem auctoritate , qua utrumque conjunctum est , alterum ab altero separetur . Si ecclesiastica auctoritas in hac re deficit : cessat beneficii ratio . Hinc privatæ cappellæ , etiam in perpetuum dotatæ pro celebrandis Missis , etsi benedictæ sint , non censentur in numero beneficiorum nec istorum commoda, nec incommoda habent, sed sub fundatorum , ac successorum dispositione manent .

§. 52. Cognita beneficiorum natura , origine ac hodierna indole , capienda est notitia multiplicium formarum , quæ *beneficii* nomine comprehenduntur , et jurium analogorum , quæ proprie beneficia non sunt . Ac. I. a personis , quibus conferenda sunt beneficia , vocantur *secularia et regularia* : et prout in *eandem* personam *plura* cadere possunt, aut non possunt; sunt *compatibilia* vel *incompatibilia.* II. Spectato jure, aut modo ea

conferendi, nuncupantur *reservata*, *non reservata*; dein *electiva*, *collativa*, *patronata* imo et *mixta*. III. Maxime vero ex varietate officii et ministerii spiritualis alia sunt beneficia *simplicia*, aut *duplicia*; in his alia *majora*, *media*, *infima*: alia *curata non curata*, *sacerdotalia*, *non sacerdotalia*. IV. A modo, quo beneficiarius functiones per se obire debet, vel obire per alium potest, sunt alia *residentiaria*; *alia non residentiaria*.

§. 53. Jura analoga, quæ proprie beneficia non sunt, etsi aliquando vocentur, sunt I. *manualia*, quæ ita conferuntur, ut arbitrio conferentis, alteriusve, Papa inferioris, auferri valeant. His opponuntur *titularia*, quæ conferuntur in titulum perpetuum. II. *Commenda temporalis*, quando administratio Beneficii, Episcopatus, vel Monasterii alicui Commendatur, vel committitur ad tempus; imo nec Commendæ perpetuæ, eo ipso, quia commendantur duntaxat Ecclesiæ vel Monasteria, non autem in titulum conferuntur, proprie beneficia censeri possunt. III. *Vicaria temporalis*, quando alicui ad tempus committitur administratio Ecclesiæ Parochialis, et cura animarum. IV. *Cappellania simplex*, seu obligatio dicendi certas Missas, quæ vel non est erecta auctoritate Episcopi, vel in titulum perpetuum non confertur, secus enim vocatur capellania *collativa*. V. *Pensio clericalis*, seu jus ex alieno beneficio percipiendi certos fructus. Huc etiam pertinent *præstimonia*.

§. 54. Secularia aut Regularia beneficia dicuntur, quæ Clericis secularibus tantum, id est, nullius religiosi Ordinis regula professis, aut Regularibus tantum sunt conferenda. Talia fiunt ex

fundatione, aut legitima præscriptione. c. *cum de Beneficio*. 5. h. t. in 6. Instar regulæ est: Regularia Regularibus, secularia secularibus conferenda sunt. c. *cum causam* 27. de elect. Dein beneficia, prioratus, administrationes vel officia unius Monasterii committi non possunt Monachis alterius Monasterii sine dispensatione Sedis Apostolicæ c. *cum singula* 32. §. 1. h. t. in 6. Concil. Trid. Sess. XIV. c. 10. de ref. et Sess. XXV. c. 21. de Reg.

§.55. *Simplex* dicitur beneficium, cui nec administratio, nec jurisdictio annexa est; talis est *capellania* seu *capella*, quæ indicat jus percipiendi reditus ecclesiasticos propter onus dicendi certas Missas in Capella, Ecclesia vel Altari, aut etiam cantandi in choro cum Canonicis Ecclesiæ chatedralis vel collegiatæ. In antiquis monumentis sæpe memorantur *Capellæ Palatinæ* et *Capellani Regii*; quia Reges Francici in singulis fere provinciis, per quas sæpe iter agabant, ut palatium aut villam Dominicam habuere, sic etiam sacras AEdiculas ædificarunt pro recondendis sacris Lipsanis, et celebrando divino cultu, et cantandis Dei laudibus per Presbyteros ibi constitutos. Invaluit dein mos, ut etiam Nobiles privata oratoria extruerent in castris suis; alii etiam pii ac opulenti homines in majoribus urbium Ecclesiis laterales ædiculas vel altaria in honorem alicujus Sancti, aut mysterii ponerent cum annexis proventibus; atque hæ quoque dictæ sunt Capellæ, vel ob sacras functiones aut reliquias *Sacella*, id est, *sacræ Cellæ*; et Presbyteri iis præfecti *Capellani*, vel *Sacellani*; ac hodie quidem propter annexam obligationem persolvendi in choro divinum officium passim *vocantur Cho-*

ri-Vicarii. Atque hi videntur esse iidem, qui olim *Assissi* nuncupati sunt. c. penult. de Clericis non resid.; quia assiduum Ecclesiis ministerium exhibere et perpetuo residere tenebantur, etsi Canonici non essent, nec inter eos locum in Choro, nec vocem in Capitulo obtinerent. Canonicatus autem ipsi passim dicuntur beneficia simplicia *majora.*

§. 56. *Duplex* beneficium, uti semplici opponitur, habet administrationem, aut jurisdictionem pro foro externo vel interno, vel utroque. Non modica in his est loquendi incostantia. C. *Ad hæc* 7. §. 5. de offic. Archid. beneficia et dignitates distinguuntur. C. *Innotuit.* 1. de maledicis. ipse Papatus *officium et beneficium* vocatur, et c. *Tua nos.* 32. de V. S. nominantur quædam beneficia *majora.* Hinc Auctores triplex genus beneficiorum duplicium discernunt; sunt enim *Majora*, seu primæ dignitates, veluti Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus, Episcopatus. Sunt *Media*, ceu Archidiaconatus, Vicariatus generalis, Decanatus, Abbatiæ sæculares et regulares, Provincialatus. Sunt denique *infima*, quibus annexa est jurisdictio, in foro interno tantum, ceu Parochiæ, Vicariæ perpetuæ. Ad beneficia ergo duplicia sine dubio pertinent *dignitates*, et *officia*; quorum notionem exposui lib. I. Decret. §. 478 ubi *Personatum* in præeminentia quadam sine jurisdictione aut administratione situm esse dixi. Atque hoc plane sensu *Personatus* distinguitur tum a dignitatibus tum a beneficiis curam animarum habentibus in c. *de multa* 28. h. t. in c. *dudum.* 54. §. 4. de elect. Olim autem *Personatus* et *Persona* multo sæpius pro Rectore et Plebano alicujus Ecclesiæ

sumebatur; quæ appellatio in Galliis primum invaluit, uti notatur can. *quæsitum* 4. l. q. 3. (*m*).

(*m*) Quid inter dignitates et personatus intersit, quæve beneficia in numero dignitatum aut personatuum recensenda sint, aut quæ istis numera vel prærogativæ inhæreant, non tam generali Canone, quam consuetudine particularium Ecclesiarum definiri debet, uti manifeste colligitur ex c. *cum olim* 4 de consuet. ex c. ult. de offic. Archid. ex c. *dudum*. 54. de elect. conf. dicta lib. I. Decret. §. 237.

§. 57. *Curatum* beneficium dicitur, cui jurisdictio fori externi, vel interni cohæret; secus est *non curatum*. De jurisdictione fori *externi* decidit c. *dudum* 54. §. 4. de elect. *Cum in jure confessus fuerit, quod Archidiaconus N. de consuetudine suspendit, excommunicat, et absolvit Presbyteros, et Priores; et Parochiales Ecclesias interdicit; nec non Archidiaconus visitat et inquirit, quæ viderit inquirenda; et procurationes ratione visitationis recipit; evidenter apparet, quod curam habeat animarum annexam.* Talis Archidiaconatus vi consuetudinis videtur obtinuisse potestatem quasi episcopalem; quæ utique ad beneficia curata referri debet. conf. lib. I. Decret. §. 479. de Archidiaconis. Proprie autem magisque ex usu beneficium curatum dicitur, quod habet populum vel cujus cura beneficio annexa, et beneficiato imposita est. Talis cura animarum continet omnia, quæ ad salutem animarum populi, aut Cleri necessaria vel utilia sunt; cujusmodi est administratio Sacramentorum, etiam Eucharistiæ, extremæ Unctionis, et Matrimonii etc. De qua cura agitur a SS. Concil. Trid. Sess. XXIII. c. 1. de ref. et c. *cum sit ars.* 14. de ætat. et qual. præfic. Hinc

capellaniæ, quæ præbem habeat et capellanum, cui plebis cura incumbit, non inter simplicia, sed curata beneficia numeranda sunt; uti contingit, si Ecclesia cum plebe Monasterio conceditur, non translata in id cura, sed penes Episcopum manente, qui cum consensu Monasterii Capellanum designet. Atque hic respectu curæ animarum vere Rector Ecclesiæ dici potest; quia omnia administrat, uti Parochus. Multo autem magis ad beneficia curata pertinent Vicariæ perpetuæ. E contrario si beneficiatus ex lege fundationis assistere debeat Parocho in officio concionandi, aut confessiones excipiendi; propterea non censetur habere beneficium curatum.

§. 58. beneficia, quibus neque dignitas, neque personatus prærogativa, neque cura animarum inest, specifice nomen communis generis retinent, et *Præbendæ* vocari solent. Talia sunt I. Canonicatus in cathedrali, vel collegiata Ecclesia. Hinc interpretes in c. *cum Martinus.* 9. de Constit. dicunt: Præbenda est jus spirituale percipiendi proventus ecclesiasticos tanquam uti de collegio competens ratione canonicatus. II. Contra hanc strictam vocabuli acceptionem *Praebenda* etiam dicitur, quæ magistris, vel præceptoribus, vel doctoribus in sacra Pagina, aut jure Canonico assignari solet. c. *quia nonnullis.* 4. de magistris. III. Nonnunquam Præbendæ etiam cantoribus assignantur. Unde mirum non est, eas separatim a canonicatibus nominari in Extrav. *Etsi in temporalium.* 3. h. t. int. com.

§. 59. Reliquum est, ut *de Commendis* dicatur breviter, quia rariorem in Germania usum habent. *Commenda* proprie et ex prima origine est custodia et administratio Ecclesiæ vacantis,

donec ea cuipiam in titulum concedatur. Nam *commendare nihil aliud est*, *quam deponere*. l. *commendare*. 186. D. de V. S. Talis commenda etiam *visitatio* olim dicta est can. *obitum*. 16. et can. seq. dist. 61. Sic Episcopus Ecclesiam parochialem vacantem (cui hodie Vicarius constituitur secundum normam Concilii Trid. Sess. XXIV. c. 18. de ref.) ad sex menses Sacerdoti cuipiam commendare poterat. c. *nemo*. 15. de elect. in 6. Erant hæ commendæ *temporales*: aliæ dicuntur *perpetuae*, sicut ad dies vitæ Ecclesia vel Monasterium committitur; in qua re spectabatur vel utilitas Ecclesiæ aut Monasterii e. g. ejus defensio, restitutio disciplinæ; vel utilitas ac sustentatio commendatarii. Unde concessum, ut aliquis unam Ecclesiam in titulum, alteram tenere commendatam possit. can. *qui plures*. 4. et can. 5. ac 6. XXI. q. 1. c. *dudum*. 54. §. 5. de elect. Invaluit dein abusus, ut Abbatiæ etiam Laicis et militibus commendarentur; quo sublato commendæ etiam ecclesiasticis personis factae, sæpe noxiæ fuerunt, uti fatetur Clemens V. in Extrax. *Ex supernæ*. 2. h. t. int. com. de commendis a se concessis. Concilium Tridentinum Monasteria in posterum vacatura duntaxat Regularibus spectatæ virtutis et ejusdem ordinis concedi jubet: ea vero monasteria, quæ sunt capita et primates Ordinum, jure commendæ retineri, prorsus vetat: reliqua jam commendata, quæ suos habent conventus, Romano Pontifici committit, ut iis pro sua pietate et prudentia Regulares præficiat, quantum ratio temporum ferre poterit: curam etiam Monasteriorum commendatorum imponit Episcopis, eisque, etsi exempta sint, præcipit visitationem, exceptis illis Monasteriis, quæ subsunt Abbatibus Ordinum suorum capitibus. Sess. XIV. c. 10. de ref. Sess. XXI. c. 8. de ref.

Sess. XXV. c. 20. et c. 21. de Reg. Hodie commendæ justis de causis dantur a solo Romano Pontifice, cui uni potestas competit relaxandi generales Canones, qui regularia beneficia Clericis secularibus concedi vetant (§. 54.). Cl. Joannes Devoti l. IV. Instit. Canonic. Sect III. de Commendis beneficiorum §. XXVI. ita inquit : „ Neque „ vero Summi Pontifices, aut Concilia factum „ suum improbari unquam posse existimabant, „ cum Episcopis, aut aliis Clericis darent reditus, „ et fundos, qui ad Regulares pertinebant. Illud „ ipsis curæ erat, ut Laici Ecclesiæ bona non di- „ riperent : sed semper amplam Ecclesiæ pote- „ statem esse putarunt, tribuendi ecclesiastica „ bona inter Clericos, quibus ea magis pro tem- „ porum, locorum, aut personarum ratione „ concedenda videbantur. „ Cl. Zech. de Jure Rerum Eccl. Sect. III. Tit. X. §. 152. observat, harum commendarum, etsi in aliis regnis vigeant, rariorem usum esse in Germania, ubi electiones per Concordata firmatæ, fieri solent, nisi capitula concordibus suffragiis postulent Episcopum, vel Abbatem commendatarium ; aut nisi Abbatiæ jam ab antiquo tempore sint incorporatæ cuidam Episcopatui. Addit dein : Nostra ætate plura capitula Cathedralia et Metropolitana postularunt commendatarium Franciscum Ludovicum ex domo Palatina, Ordinis Teutonici magnum Magistrum, insigni Ecclesiarum illarum emolumento. Et Canonici Regulares in Bercholtsgaden per multos annos postulaverunt Præpositum commendatarium ex domo Bavarica (*n*).

(*n*) De Commendis, si plura scire aveas, confer. cit. Devoti et Zech; imprimis vero Thomassinum vet. et nov. Eccl. Discipl. P. II. L. III. c. 10. seq.

§. 60. Rectus tractationis ordo exposcere videtur, ut exposita natura ac varietate beneficiorum, qualia hac ætate habemus, prius de statu eorundem, vel constitutione, quam de jure eadem acquirendi, ac conferendi agatur. Ad statum beneficiorum hoc loco a me refertur eorum erectio et restauratio, deinde unio, aut divisio, aut dismembratio, vel alteratio quæpiam, demum extinctio et suppressio. Atque hæc omnia tum ad beneficia duplicia, eaque majora, media et infima seu parochialia, tum ad simplicia ac præbendas pertinent. Generatim ad determinandum statum beneficiorum opus est ecclesiastica auctoritate, uti patet ex notione beneficii. §. 51. n. IV. Sed non par auctoritas et solemnitas pro omni casu requiritur, et sufficit.

§. 61. Primum obtinent locum beneficia duplicia majora, seu primæ dignitates. Nec jam dubitari potest, qui jus instituendi Episcopatus, et Metropoles, definiendi aut immutandi Diæcesium, et Provinciarum fines ad causas majores, ac Reservata Apostolicæ Sedis referri debeat. Agitur enim de assignatione gregis, quæ non divino, sed ecclesiastico jure fit, agitur de Jurisdictione in gregem exercenda: agitur de legitima missione, quæ secundum Canones, et in majoribus beneficiis, de quibus agimus, hodie sola fit auctoritate Apostolica. Usurpatio juris, propria temeritate facta, certe missio non est; nec quisquam Jurisdictionem, quam in assignatam sibi portionem gregis nactus est, suo arbitrio abdicare aut derelinquere, alteri cedere vel in alium transferre potest sine auctoritate et consensu legitimi Superioris, uti patet ex Tit. de Renuntiationibus conf.

c. *Sicut.* 8. de Excess. Præl. Extrav. *Salvator* 5. cum binis sequent. int. com. Trid. Sess. XXIV. c. 13. de ref. Dignitates etiam Ecclesiarum Cathedralium, et Collegiatarum, officia item Judicum ordinariorum ex auctoritate vel lege publica proficisci debere, docui lib. I. Decret Tit. de officio Jud. Ord. §. 511. n. III. Atque hæc ad beneficia duplicia, majora ac media pertinent. §. 56. (*o*).

(*o*) De hoc Pontificio jure eruditissime a Scriptoribus actum est hoc ævo contra Febronianos. conf. V. C. Zaccaria in opere Italico: Anti - Febronio T. III. l. I. c. VII. et in Latino: Anti - Febronius Vindicatus. P. III. diss. VII. §. II. et III. Quæstio dein usum obtinuit in mutationibus Diæcesium Galliæ, attentatis a conventu nationali.

§. 62. *Erectio*, aut *Restauratio* beneficiorum parochialium, ac simplicium fit auctoritate Ordinarii. can. *Quicunque.* 44. XVI. q. 1. can. *nemo.* 9. dist. 1. de cons. can. nobis. 25. de Jure patronatus. Præterea opus est solemnitate hac; 1. ut omnes, quorum interest, prius vocentur et audiantur; quin tamen, si sine ratione refragentur, proposito desistendum sit. cit. can. 44. c. ult. de M. et O. c. *ad audientiam.* 3. de Ecclesiis ædif. vel rep. 2. Ut locus erigendæ Ecclesiæ vel beneficii designetur. 3. Ut examinetur causa utilitatis vel necessitatis Ecclesiæ; ne forte turpis avaritia causam erectioni præbeat; vel ad æmulationem vicinarum Ecclesiarum novæ erigantur. 4. Ut novo Rectori vel beneficiario designantur reditus, unde congruus honestæ vitæ cultus habeatur. cit. can. *Nemo.* 9. dist. 1. de conf. et cit. c. *ad audientiam.* 3. Speciatim de his agitur tit. *de Ecclesiis ædificandis, vel reparandis.* Item paulo post recurrit sermo, cum beneficio-

rum divisio et sectio explicanda est, quæ fere cum erectione novæ Ecclesiæ concurrit.

§. 63. Post constitutos canonicatuum et præbendarum titulos numerus eorundem non fuit certus ac determinatus, sed varius pro quantitate redituum in capituli massam confluentium. Id patet ex c. *Pro illorum* 22. et c. *Dilecto.* 25. h. t. ex c. *cum M.* 9. de constit. Ex quibus id etiam intelligitur, determinatum, certumque numerum ex indulgentia vel confirmatione Sedis Apostolicæ aliquando invectum fuisse, addita tamen pro more clausula: *Nisi in tantum excrescerent Ecclesiæ facultates, quod pluribus possent sufficere competentes.* cit. c. 9. de const. Memorabilis doctrina continetur c. *Dilecto.* 25. h. t. ibi: *Licet in Ecclesia, in qua non est certus numerus Præbendarum, nulla etiam vacante, in canonicum quis possit assumi; cum intelligatur ad quoddam jus eligi, quod ex Electorum consensu de novo creatur, et cum electo in canonicum nascitur, et desinit cum defuncto: in Ecclesia tamen, quæ determinatum habet numerum Praebendarum, uno individuo jure vacante, duo simul eligi non possunt ad illud; eoquod hujusmodi spirituale jus dividi, seu communicari nequeat inter eos: quamquam interdum hi, ad quos spectat electio, de communi assensu augmentare valeant numerum Præbendarum, quoddam jus spirituale de novo creando; nisi forte statutum aliquod obviaret, quod esset juramento firmatum, vel cui Sedis Apostolicae confirmatio accessisset, hujusmodi clausula prohibitionis adjecta, ut, si quidquam contra id fieret, non valeret.*

§. 64. *Unio*, seu duorum, pluriumve beneficiorum in unum conjunctio non ea proprie dicitur, quæ fit in favorem unius personæ et ad dies vitæ ejusdem; quod reprobatur æque, ac pluralitas beneficiorum. Concil. Trid. Sess. VII. c. 4. de ref. Veræ autem uniones varias habent formas; unde instrumentum, ac formula factæ unionis adcurate expendi debet. I. Fit unio *æque principaliter*, quæ, *aequalis*, *conjunctiva*, *aut conservativa* dicitur; quia utraque Ecclesia vel utrumque beneficium per eam conservatur, neutrum supprimitur. c. 1. Ne sede vacante et ibi Fagnanus. II. Fit unio *subjectiva* vel *accessoria* per incorporationem. Exemplum extat c. *His*, *quae*. 11. de M. et O. Sic titulis Cardinalium subjiciuntur quædam Capellæ, earumque Presbyteri: sic canonicatus incorporatur Parochiæ, ut, quicunque obtinet Parochiam, eo ipso sit Canonicus: sic Abbatiæ uniuntur Episcopatibus, ceu Prumiensis Archiepiscopatui Trevirensi, Weissenburgensis Episcopatui Spirensi: Abbatia Augiæ divitis Episcopatui Constantiensi. Frequentissima est ista unio, cum Ecclesiæ Parochiales incorporantur Monasteriis, Collegiis, Capitulis, Dignitatibus; cujus unionis forma triplex explicanda nunc est.

§. 65. *Prima* incorporationis species *quoad temporalia* intelligitur etian tunc, quando Ecclesia dari, conferri, possideri dicitur: concessio enim jurium spiritualium expressam requirit mentionem. Unde si aliquando Ecclesias laicis in beneficium concessas legimus, eo nomine solæ decimæ ac reditus comprehenduntur. Exemplum hujus unionis extat in c. *Pastoralis*. 7. de Donationibus. Si Episcopus Ecclesiam Monasterio sic donat, Patronus jus patronatus, Episcopus tempo-

ralia, quæ ab Ecclesia ante percepit, in Monasterium transfert *salvo cathedratico.* Sed *ut Episcopi donatio sit legitima, consensus est sui capituli requirendus.* ibi. quia fit vera bonorum alienatio.

§. 66. *Secunda* species *quoad temporalia et spiritualia simul* datur, quando committitur cura animarum, vel ab Episcopo recipi jubetur, aut si Monasterium vel Collegium, cui Ecclesia unitur, expressis verbis vocatur *Parochus*, aut *verus et proprius Pastor.* Ac talis plerumque est, et vocatur Parochus *primitivus* aut *habitualis*; quia titulum Parochiæ revera tenet sed curam exercet per idoneum Vicarium, qui Episcopo præsentatur, et ab eo deputatur ad curam animarum. Aliquando tamen hæc cura ita incumbit Monasterio, ut ejus Decanus vel Prior sit vere Parochus actualis, et alterius opera utatur tanquam Sacellani. De hoc genere unionis non raro existunt quæstiones: 1. an Vicarius esse queat Regularis *expositus*, vel, quod Episcopi his præsertim temporibus urgent, Clericus secularis esse debeat. 1. Quæ sit Vicario assignanda portio; atque utrumne sibi vindicare queat decimas novales: siqua in Parochia forte existant. Exempla hujuscemodi unionis habentur c. *de Monachis.* 12. c. *In Lateranensi.* 31. c. *Exposuisti.* 33. X. c. 1. et c. *In beneficio* 5. h. t. in 6. Clem. I. de Jure patronatus. conf. constit 109. T. I. Bullarii Bened. XIV. quæ incipit: *Fimandis.*

§. 67. *Tertia* incorporationis species est, quando conceditur *jurisdictio quasi Episcopalis*, ita, ut Monasterium habeat Clerum et populum sibi uni, saltem in spiritualibus subjectum. Sic unio fieri dicitur *pleno jure.* c. *cum plantare.* 3.

§. 2. de privil. vel *utroque jure.* c. *quoniam.* 21. eod. Doctores autem distinctionis gratia hanc vocarunt unionem plenissimo jure, aut *plenissimam*: primam quam recensui, speciem *minus plenam*, alteram *plenam*.

§. 68. Ad has faciendas uniones opus est 1. *auctoritate Episcopali* (*p*). 2. *Praescripta solemnitate*, ut nempe consentiat capitulum: audiatur collator, vel patronus beneficii, ipse etiam possessor. 3. *Legitima causa*; quia uniones non sunt temere faciendæ; sed quæ sine sufficiente causa factæ sunt, revocandæ. Concil. Trid. Sess. VII. c. 6. de ref. Causæ legitimæ sunt binæ, *evidens necessitas*, *vel utilitas*. c. *Exposuisti*. 33. h. t. qualis est *paupertas*, si singulæ Ecclesiæ non possunt per se alere Rectorem. Concil. Trid. Sess. XXI. c. 7. de ref. *vicinitas locorum*, *et penuria populi*, can. *unio*. §. 1. X. q. 3. can. *Et temporis*. 48. XVI. q. 1. *Favor Praebendae pauperis*, *Collegii*, *Seminarii*, *Institutionis juventutis* etc. Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 15. de ref.

(*p*) C. *sicut*. 8. de excess. Præl. Trid. Sess. XXI. c. 5. de ref. Unire etiam potest alius, qui habet jurisdictionem quasi episcopalem. Eandem potestatem Capitulo Sede vacante quidam tribuunt, alii negant. Ipsa etiam auctoritas episcopalis valde restricta est in hoc genere a Concilio Trid. ne scilicet Ecclesiæ *parochiales* Monasteriis quibuscunque aut Abbatiis, seu dignitatibus, sive præbendis Ecclesiæ cathedralis aut Collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus aut hospitalibus, militiisve uniantur; imo, quæ unitæ sunt, revideantur ab Ordinariis. Sess. XXIV. c. 13. de ref. Sess. VII. c. 6. de ref. Dein ne beneficia regularia et secularia inter se uniantur. ibid. et c. 15. de ref. ibid. Ne uniantur beneficia diversarum diœcesium. Sess. XIV. c. 9. de ref. nisi Papa aliter dispo-

nat. c. *quia Monasterium* 2 de relig. Dom. Denique non potest Episcopus beneficia unire mensæ suæ aut mensæ capitulari. Clem. *Si una.* 2. de rebus Eccl. non alien. Quia non potest sibi in facto proprio esse auctor Episcopus.

§. 69. *Effectus unionis* est, ut beneficia unita pro uno habeantur, et ab uno possideri possint, sic tamen, ut qui habet commodum ex beneficio unito vel adjuncto, ejusdem etiam onera et incommoda ferat. In unione accessoria beneficiatus residet in digniore et majore Ecclesia; alteri vero deservit per idoneum substitutum. c. *Extirpandae.* 30. §. qui vero. h. t. Beneficium mensæ unitum non vacat mortuo eo, qui illud administrat. Clem. un. de Excess. Prælat.

§. 70. Dismembratio et divisio beneficiorum opponitur unioni. *Dismembratio* fit, si pars redituum, aut etiam plebis uni beneficio ablata annectitur alteri, salva utriusque substantia. *Divisio*, si ex uno fiant duo aut plura, legitima nempe auctoritate et solemnitate, cum praescitu eorum, quorum interest, atque ut beneficiato utrique de sustentatione provideatur. c. *vacante.* 26. h. t. Justa etiam causa opus est. c. *majoribus.* 8. h. t. quemadmodum exponitur tit. de Eccles. ædificandis, vel reparand. Divisio etiam fit, si facta prius unio tollitur expresse vel tacite per actus contrarios, aut cessante causa. Exempla habentur c. 1. Ne sede vacante.

§. 71. *Alteratio* Beneficiorum contingit per mutationem formæ prioris in aliam; uti si ex Abbatia fit Episcopatus: ex Episcopatu Archiepiscopatus. Extrav. *Salvator.* 5. inter com. ex Parochia Monasterium. can. *Si Episcopus.* 73. XII.

q. 2. Aut ex beneficio regulari seculare ; id , quod etiam præscriptione potest effici c. *cum de beneficio*. 5. in 6.

§. 72. *Extinctio* et *Suppressio* beneficiorum sic commemorantur ab Auctoribus , quasi differrent inter se. Dici potest , illam contingere, quando Ecclesia destruitur una cum reditibus , aut ab infidelibus vel schismaticis occupatur. Exempli species videntur extare in can. *Pastoralis*. 42. VII. q. 1. et Extrav. *Sancta*. 3. de elect. int. com. *Suppressio* autem fit ecclesiastica auctoritate , justaque ex causa ; secus enim diminuendo numerum e. g. Præbendarum , et Canonicorum cultus divinus minui non debet. c. *Ex parte* 12. de Constitut. Istiusmodi causæ sunt *vindicta gravis sceleris*. can. fin. XXV. q. 2. *diminutio redituum*. c. fin. de V. S. sic , ut non possit persona idonea et satisfacere oneribus , et congrue sustentari. Si nempe hæc diminutio contigit post acceptatum beneficium ; nam imputandum est ei , qui tam tenue beneficium acceptavit. Glossa in can. 1. XXI. q. 1. v. *necessitatem*. Causa minuendi numerum esse potest , si contra intentionem et providentiam fundatoris plures admissi sunt ; aut numerus in nimiam multitudinem effusus est. Novella X. et arg. can. *multi* 12. dist. 40. can. *legimus*. 24. §. 2. dist. 93.

§. 73. Hactenus de determinando beneficiorum *statu* actum est breviter. Sequitur famosa de illorum *Pluralitate* quæstio, quæ tam a conferente , quam acquirente beneficium præ oculis haberi debet, proindeque ante examinanda est, quam de jure conferendi beneficia , vel acquirendi dis-

seratur. Olim nemo admissus fuit ad ullos Ordines absque titulo, nec ad titulum, nisi unicum; graviterque prohibitum erat, nequis Episcopus Clericum certæ Ecclesiæ adscriptum suæ Ecclesiæ intitularet (*q*). Post erecta beneficia ambitio, atque avaritia plurimorum faciliorem nacta est viam, plura beneficia aucupandi, simplicia primum, dein etiam curata, imo dignitates quoque. Restitere Romani Pontifices et Concilia tam generalia, quam particularia huic Canonum contemtui; neque enim immutata administratione redituum Ecclesiæ, mens ejusdem, ac spiritus immutari ac depravari sinebatur. Quadruplicis generis Decreta inprimis memoranda sunt, beneficiorum pluralitati opposita, *primo* ex Concilio Lateranensi III. et ab Alexandro III. edita, quæ extant c. *quia non nulli* 3. et seq. c. *relatum*. 4. de Clericis non resid. quibus addi debent c. *quia in tantum*. 5. c. *ad haec*. 13. cum binis sequentibus h. t. *Secundo*. Ex Concilio Lateranensi IV. et ab Innocentio III. edita Decreta, nempe c. *cum jam*. 18. c. *de multa*. 28. h. t. quibus adjungendum est c. *dudum*. 54. de elect. quod auctorem habet Gregorium IX. *Tertio*. Constitutio Joannis XXII. seu Extrav. *Execrabilis*. 3. h. t. int. comm. *Quarto*. Decreta SS. Concilii Tridentini Sess. VII. c. 4. de ref. et Sess. XXIV. c. 17 de ref.

(*q*) Conf. §. 46. Et apud Gratian. can. *Neminem*. 1. dist. 70. can. *Clericos*. 4. dist. 71. ex Concil. Chalcedonensi, cujus Canones extant in Conciliis edit. Mansi T. VII. col. 391.

§. 74. I. Concilium Lateran. III. et Alexander III. locis cit. gravissime prohibent pluralitatem dignitatum ecclesiasticarum, Ecclesiarum parochialium, personatuum, archidiaconatuum. In

c. *quia in tantum* 5.h.t.Fit etiam mentio de multitudine *Præbendarum*, tanquam Canonibus inimica; quæ vox etsi forte a Raymundo inserta est, tamen uti cetera capitula compilationis, legalem auctoritatem a Gregorio IX. obtinuit. Pæna a Concilio constituta fuit hæc, ut, qui secundum beneficium accepit, *primum*, quod jure obtentum fuit, retineat: *secundum* quod contra Canones supervenit, amittat. cit. c. 3. de Clericis non resid. Sed postmodum ab Alexandro III. c. 7. et 14. h. t. relinquitur optio et libera electio ei, qui plura beneficia adeptus est, ut eligat, quod maluerit ex illis. Quod temperamentum forte additum fuit ob importunitatem et multitudinem delinquentium, de qua Pontifex conqueritur in parte decisa c. *cum non* 15. h. t.

§. 75. II. Lex prior generalis Ecclesiæ, prohibens multitudinem beneficiorum renovata, atque etiam exasperata fuit a Concilio Lateran. IV. et Innocentio III. Ac cit. c. 18. h. t. electio Præpositi Sicliniensis *irrita* declaratur propter multitudinem Ecclesiarum et Præbendarum, quas ante obtinebat. Executionem et exemplum hujus irritationis Gregorius IX. præbuit in c. *dudum*. 54. de electione. In fine c. 18. abscinditur prætextus, quo hodie multi utuntur, quod nempe Ecclesia dissimulet et toleret consuetudinem habendi plures Præbendas, quæ dissimulatio ad solum forum externum pertinet; *cum multa per patientiam tolerentur, quæ si deducta fuerint in judicium, exigente justitia non debent tulerari.* Celeberrimum est c. *de multa.* 28. h. t. in quo proponitur causa renovandæ prohibitionis de multitudine beneficiorum: refertur summa ex Concilio Lateran. III. sub Alexandro III. indicitur pœna

nova, ut, qui habens Ecclesiam parochialem seu beneficium curatum, aut dignitatem, vel personatum, etsi curam non habeat animarum, receperit aliud beneficium curatum, aliam dignitatem, vel personatum; *ipso jure* sit privatus *primo*, id est, non exspectata judicis sententia, et, *si forte illud retinere contenderit*, *etiam alio spolietur*; adeo ut collator primi beneficii statim post secundi receptionem primum beneficium, velut vacans, idoneæ personæ conferre possit, atque etiam debeat: *Et si ultra sex menses conferre distulerit, non solum ad alios secundum Lateran. Concilii statutum ejus collatio devolvatur, verum etiam tantum de suis cogatur proventibus in utilitatem Ecclesiæ, cujus est illud beneficium, assignare, quantum a tempore vacationis ipsius constiterit esse perceptum.* Additur per dispensationem Sedis Apostolicæ *Personas sublimes et literatas* majoribus beneficiis seu gratiis posse honorari.

§. 76. III. Joannes XXII. in cit. Extrav. *Execrabilis* h. t. int. com. graviter invehitur in ambitionem, et importunitatem quorundam Religiosorum ac secularium, qui dispensative plura beneficia obtinebant, ac pro eo casu et tempore providet. Et quia prætextu *sublimium* personarum sæpius peccabatur, declarat sublimes personas intelligi Cardinales et Regum filios tantum.

§. 77. IV. Concilium Tridentinum (l. cit. §. 73. in fin.) cujus legibus hodie utimur, prohibet, *plura curata*, *aut alias incompatibilia* beneficia ad uno recipi, ac simul teneri *per viam unionis ad vitam*, aut *commendæ*, aut *alio quocunque nomine et titulo*: contra formam sacrorum Canonum, et præserti m Constitutionis In-

nocentii III. quae incipit *de multa*: Poenam adjicit hanc, ut, qui plura simul retinere praesumpserit, juxta ipsius Constitutionis dispositionem, beneficiis *ipso jure*, *etiam præsentis Canonis vigore privatus existat.* Altero loco istud pertinere declarat tum ad quascunque personas, *quocunque titulo*, *etiamsi Cardinalatus honore fulgeant*: tum *non modo cathedrales Ecclesias*, *sed etiam ad alia omnia beneficia*, *tam secularia*, *quam regularia*, *quæcunque etiam commendata*, *cujuscunque tituli*, *ac qualitatis existant.* Disponit demum de iis, qui *in præsenti plures* parochiales Ecclesias, aut unam cathedralem, et aliam parochialem obtinent.

§. 78. Distinctio inter *compatibilia et incompatibilia* beneficia antiquis seculis incognita post annexum certo titulo spirituali jus percipiendi certos reditus invaluit. *Compatibilia* secundum hodiernam Canonum dispositionem sunt I. si reditus unius beneficii ita tenues fuerint; ut *ad vitam ejus*, *cui confertur*, *honeste sustentandam non sufficiat.* Tum, inquit Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 17. de ref. *liceat nihilominus aliud simplex sufficiens*, *dummodo utrumque personalem residentiam non requirat*, *eidem conferri.* Dicitur 1. *simplex*, id est, nullam curam animarum, administrationem, vel jurisdictionem habens annexam. 2. *Modo utrumque personalem residentiam non requirat*; quod etiam in simplicibus aliquando ex peculiari voluntate fundatoris requiritur. II. Siquis plures habet Ecclesias, quarum una ab altera pendeat; ut una dicatur matrix, altera filialis. c. *eam te.* 4. de ætate et qual. præficiend. III. Ex legitimo usu obtineri possunt duo beneficia *difformia* in eadem Ecclesia; e. g. dignitas,

vel cura cum canonicatu. Imo in aliquibus Ecclesiis dignitates conferri non possunt, nisi Canonicis. c. 1. de Constit. in 6. c. *Super eo.* h. t. in 6. IV. Olim una Ecclesia intitulata, altera commendata haberi potuit. §. 59. Sed hanc viam praecidit Concilium Tridentinum, atque is casus, uti et si plura beneficia in titulum obtinenda sunt, ad dispensationem Romani Pontificis pertinet. Sine dubio concurrere possunt circumstantiæ, quæ totum id abstergunt, quod in pluralitate beneficiorum per se vitiosum est. Cl. Devoti T. II. Tit. XIII. Sect. I. §. XVII. ait: *Interdum Sedes Apostolica, cujus tantum est, ea in re veniam concedere; justis de causis plura ab uno Clerico etiam nicompatibilia beneficia retineri permittit; cujus quidem rei sunt exempla, præsertim in Germania, ubi non plures Episcopatus conceduntur, ut firmioribus munitus præsidiis hæreticorum conatus retundat.*

§. 79. Exceptis casibus §. præc. plura beneficia ex dispositione canonum, et præsertim Concilii Trid. §. 77. semper sunt incompatibilia, ac I. duo beneficia curata, duæ dignitates, duo personatus, officia, administrationes, duo beneficia *uniformia sub eodem tecto*, id est, talia, quæ in eadem Ecclesia ad eundem finem, idemque ministerium, et onus tendunt, ceu in *eadem* Ecclesia duo canonicatus, duo cappellaniæ. II. Duo beneficia simplicia, quorum singula præbent congruam sustentationem, aut pro hoc eodem casu unum simplex cum curato, vel dignitate, personatu: aut duo canonicatus in diversis Ecclesiis, vel qui ratione residentiæ conjungi non possunt, etsi singula sufficientem sustentationem non præbeant.

§. 80. Inter utramque classem horum incompatibilium Auctores nonnulli distinguunt. Ea, quæ sunt in prima classe vocant *incompatibilia primi generis*, *seu ex natura sua*: quæ vero in secunda classe posita sunt, *incompatibilia secundi generis*, *sive ex decidenti et dispositione Juris*; quia primi generis incompatibilia inter se ita pugnant, ut secundum Canones *plene* obtento secundo (h. e. etiam quoad possessionem eamque frugiferam et pacificam. c. *Si tibi* 26. in 6. Clem. *Si Plures.* 3. h. t.) primum ipso jure amittatur, et de jure vacet: et siquis primum etiam retinere contendat, id est, litem super retentione contestari patiatur, etiam alio spolietur. c. *de multa.* 26. h. t. cit. c. 26. in 6. et cit. Clem. 3. Extrav. *Execrabilis.* int. com. h. t. c. 1. de consuet. in 6. At secundi generis incompatibilia censentur talia quidem, ut sine legitima dispensatione simul retineri prohibeantur; non sic tamen, ut obtento secundo mox primum ipso jure vacet, sed ut is, qui utrique tentat insistere, a Superiore cogendus sit, alterutrum eligere, dimisso altero. Hæc distinctio aliis Doctoribus videtur repugnare verbis ac menti Concilii Tridentini, quod Sess. VII. c. 4. de ref. agit de beneficiis tum curatis, tum alias incompatibilibus; siquis plura retinet *contra formam sacrorum Canonum*, *et praesertim* Constitutionis Innocentii III. quæ incipit, *de multa*, ita ut is *beneficiis ipsis* juxta ipsius Constitutionis dispositionem *ipso jure*, etiam præsentis Canonis vigore privatus existat (r) Idem Concilium Sess. XXIV. c. 17. de ref. Decretum contra pluralitatem beneficiorum extendit ad omnia beneficia, *cujuscunque tituli ac qualitatis* existant. (§. 77.). Ex eo autem, quod quidam Canones dimittere jubeant primum beneficium post obtentum secundum, non sequi-

tur, illud ante abdicationem non vacare, alterique conferri non posse ac debere ab ordinario collatore sub pœna devolutionis. Potest enim conferri; quia *de jure* vacat. c. *de multa*. 28. Sed ut ei cui collatum est, etiam possessio detur, prior detentor vocandus est. c. *licet*. 28. h. t. in 6. Hæc animadversio manifeste fundatur in c. *literas* 9. de concess. Præb.

(r) Innocentius III. in c. *de multa*, 28. agit de beneficiis curatis, dignitatibus et personatibus tantum; ac de his statuit, ut secundum recipiens primo privatus sit ipso jure. Hanc privationis formam SS. Concilium Trid. applicat ad omnia incompatibilia beneficia. Dein particula *Præsertim* non est *taxativa* (uti inquit Benedictus XIV. Const. 115. §. 6. T. I. Bullari) id est dispositionem non restringit ad ea tantum, quibus apposita est, sed idem indicat, ac *multo magis*, quasi argumentum duceretur a minori ad majus. Duo tamen latenda sunt; Primo, Concilium Trid. agit de omnibus incompatibilibus e. g. ratione residentiæ; et tamen rigidiores etiam Doctores distinguunt inter residentiam præcisam sub privatione tituli, et causativam sub privatione fructuum, uti animadverti §. 29. Sed enim casus residentiæ non necessario ad pluralitatem beneficiorum, verum unicum etiam beneficium referri potest. Secundo, ex consuetudine ubique recepta, uti l. c. inquit Cl. Devoti, nemo in foro controversiam nunc patitur, quod duo possideat beneficia, etiamsi unum satis præbeat ad vitam honeste traducendam, modo utrumque residentiam non requirat.

§. 81. Rationes, quæ obstant pluralitati beneficiorum præter jus clarum SS. Canonum, tam graves sunt, ut eam Doctores antiquiores passim censuerint juri naturali repugnare, nempe hypothetico. Spectari debent tum ii, qui plura tenent beneficia: tum alii Clerici, qui propterea defraudantur, et ægre vitam trahunt; ut dici

possit : *unus esurit ; alter autem ebrius est* : demum ipse cultus divinus, qui diminuitur, atque ordo ecclesiasticus, qui perturbatur ; dum unus usurpat officia plurium ; *cum singula officia sint singulis committenda personis*. c. *cum singula* 32. h. t. in 6. *Sicut indecorum est, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio ; ita nimirum noxium, simulque turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa*. can. *singula*. 1. dist. 89. Hodie triplici respectu nituntur Canones locis §. 73. indicatis. Ajunt, multitudinem beneficiorum ex *ambitione et avaritia*, eaque *execrabili*, atque ex *improbae cupiditatis affectu* procedere : eos potissimum stipendia plurimorum sibi vindicare, *qui unum implere officium vix sufficiant* : esse id contrarium omni rationi : cum singula officia *assiduitatem* exigant *personalem* ; plura vitæ stipendia, quæ unus tenet sæpenumero, *multis literatis* viris vitæ puritate, ac *testimonio bonae famae pollentibus*, qui mendicant, posse abunde sufficere, æqua distributione collata : habentibus plura dari *evagationis ac dissolutionis* materiam : *minui divinum cultum*, negligi *animarum curam*, et *vitiorum sentibus fomentum periculose praeberi*. Quatenus autem, et quando pluralitas beneficiorum, naturali jure repugnet, examinat S. Thomas Quodlibeto 9. art. 15. Adplicari huc possunt principia, quæ de obligatione residentiæ data sunt.

§. 82. Hisce spectatis auctoritatibus Canonum, pluralitati beneficiorum repugnantibus, eorumque rationibus momenti summi, sane justissima censenda est querela SS. Concilii Tridentini Sess. XXIV. c. 17. de ref. quod *multi improbæ cupiditatis affectu se ipsos, non Deum deci-*

pientes, *ea*, *quæ bene constituta sunt*, *variis artibus eludere*, *et plura simul beneficia obtinere non erubescunt.* Tenuitas præbendæ unius, duarumve fere prætexitur; ac suo quivis arbitrio definire solet, quæ redituum quantitas spectata personæ conditione sufficiat. Et quia ob tenuitatem beneficii unius, ipsum jus alterum habere permittit; putant, opus non esse dispensatione ad beneficium secundum; quia primum non sufficere ipsi statuunt. Sed R. I. determinatio quantitatis redituum ad congruam sustentationem sufficientium ad Episcopum pertinet, non ad beneficiarium; nec puto, ipsos Canonicos capitulari etiam sententia definire posse, reditus suos non obstare, quo minus præter hunc, quem tenent canonicatum, alius in alia Ecclesia peti, et obtineri possit; ne contra omnem juris rationem ipsi sibi auctoritatem præstent in facto proprio. R. II. Cavendum magnopere est possessoribus plurium beneficiorum, ne, ut Tridentinum ait, se ipsos, non Deum decipiant, ac ne hominem quidem prudentiorem; quia toties monent Patres et Concilia, beneficia dari, ut quis vivat de altari, non luxurietur de altari. Elegantissima est œconomiæ regula, quam Justinianus Nov. 3. in fine princip. tradit: *Non oportet ad mensuram expensarum quærere etiam possessiones* (*hoc enim simul ad avaritiam*, *impietatemque perducit*) *sed ex iis*, *quæ sunt*, *expensas motiri.* At enim, quod acute animadvertit S. Augustinus lib. IV. contr. Julian. c. 14. *Nescit cupiditas*, *ubi finitur necessitas*; sunt que non pauci, qui *avaritiæ modum non ponunt*, quemadmodum Concilium Lat. III. ait. et ambitio eo *magis insatiabilis* cernitur, quo eidem *amplius indulgetur*, ut dicitur in Const. *Execrabilis.* De quo ambitionis æstu vere dici potest illud Prov. XXX. 16. *ignis vero nunquam dicit*: *sufficit.* Alio-

rum exempla seu potius scandala, et allegata consuetudo, quæ potius *corruptela est (cum sacris sit inimica Canonibus, et de ambitionis radice processerit.* c. 1. de consuet. in 6.) vim pro foro *interno* se solis habere, sine adminiculo legitimi juris non possunt.

§. 83. De Jure conferendi, et respondentibus modis acquirendi beneficia generalis extat regula: *Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine Institutione canonica obtineri.* c. 1. de R. J. in 6. imo regulariter ne valide quidem, nisi præscriptio defectui medeatur; de qua infra agam §. 105. n. V. *Institutio canonica* hic late sumitur pro *quovis modo acquirendi* beneficium *per Canones approbato.* Ac talis institutio tam necessaria est, ut nulla contraria consuetudo habeat locum. c. *Ex frequentibus.* 3. de Institut. Modi per Canones approbati sunt, 1. electio vel postulatio; et confirmatio electionis, admissio postulationis (*s*). 2. Præsentatio, et institutio stricte dicta. Quo pertinent tituli de Institutionibus, ac de Jure patronatus. 3. Collatio, seu gratuita beneficii concessio facta ab eo, qui concedendi jus habet, sine ulla prævia electione, postulatione, præsentatione. Ad collationem beneficiorum maxime parochialium referri potest *concursus*; de quo agit S. Concilium Trid. Sess. XXIV. c. 18. de ref. 4. Legitima permutatio, de qua agitur tit. de rerum permutatione. 5. Optio canonica, quæ est us Capitulo vel collegiali Ecclesiæ ex consuetudine vel statuto competens, ut antiquiores gradatim, vacantem præbendam, quæ reservata non sit, propria dimissa intra certum tempus, certoque ordine eligere possint. Proprie locum habet n canonicatibus: ad alia tamen extenditur. Sic

Cardinales possunt optare vacantem titulum in eodem ordine, vel etiam ascendere ad Superiorem: Equites Melitenses pinguiorem commendam: Canonici meliores ædes. De hisce modis dispiciendum est, utrum tribuant *jus ad beneficium*, cen sola electio, præsentatio, ut passim dicunt, collatio nondum acceptata, potestas optandi pinguiorem præbendam, coadjutoria cum jure successionis, mandatum de providendo, reservatio in favorem cujusdam; vel *jus in beneficio*, cen confirmatio electionis, admissio postulationis, institutio præsentati, collatio acceptata, optio actualiter secuta.

(s) Intelligitur *electio* proprie dicta in cathedralibus, et regularibus Ecclesiis, quœ intra tres menses perfici debet, uti expositum fuit lib. I. Decretal. Ad inferiores Ecclesias non fit proprie electio, sed observatur tempus collationi, aut præsentationi præfixum; licet collatio vel præsentatio fiat collegialiter per plura suffragia.

§. 84. De Jure *conferendi* beneficia, earumque collatione speciatim agi solet hoc titulo; alii enim eadem acquirendi modi præcipui suos habent proprios titulos. I. Generalis regula est: Episcopus in sua Diœcesi omnia confert beneficia, saltem non collegialia; eoque jure tamdiu utitur, donec alius jus sibi competens ostendat; atque hoc est, quod Doctores ajunt, Episcopum pro conferendis beneficiis habere intentionem fundatam in Jure. c. 1. de Capellis Monach. Gratianus can. *omnes.* 10. XVI. q. 7. et caus. X. q. 1. II. Jus conferendi beneficia etiam ad Prælatos inferiores Episcopo, vel alias personas ecclesiasticas pertinere potest ex privilegio Apostolico, consuetudine aut præscriptione. c. *auditis.* 15. et c. *cum olim.* 18. de præscript. III. Nulla tamen consuetudine vel præscriptione jus conferendi beneficia

vel eligendi pervenire potest ad Laicos. c. *causam.* 7. de præscript. Lib. I. Decret. §. 279. Gratian. can. *Siquis.* 12. et seq. XVI. q. 7.

§. 85. Intentio fundata in Jure, quam Episcopus habet pro conferendis beneficiis suæ Diœceseos, spectato ipso Jure, id est, verbis et mente SS. Canonum minime obest Juri et potestati RR. Pontificum, beneficia conferendi modis variis tempori accommodatis. Pr. 1. Ipsum Jus manifeste agnoscit Pontificiam illam potestatem in mandatis de providendo, gratiis exspectativis, reservationibus, variisque provisionibus Apostolicis. 2. Ipsum Jus agnoscit Legatorum a Latere potestatem cum ordinaria *concurrentem* in conferendis beneficiis, atque etiam reservandis. Lib. I. Decret. §. 504. n. III. Porro si Papa id jus committere potest Legatis suis; cur ipse exercere nequeat? 3. Petrus Alliacensis, cujus auctoritate sæpe gloriantur Apostolicæ Sedis adversarii, duplicem assignat titulum, quo Papa conferre beneficia, aut eadem sibi reservare potest, *primo* jus universale administrationis Papalis: *secundo* abusuum, qui in collatione beneficiorum contingebant, tollendorum, aut præcavendorum causam (*t*).

(*t*) Verba Alliacensis ex Harduii Hist. Concil. Constat. recitantur in Antifebronio T. IV. I. V. c. III. N. VIII. „ Papa jure potuit ordinationes majorum et electivarum dignitatum, ac collationes aliorum beneficiorum sibi et Apostolicæ Sedi reservare; quia hæc antiquissimo jure sibi competebant. Hæc etiam non solum jure universalis administrationis Papalis potuerunt competere, sed etiam ex speciali causa, ratione materiæ subjectæ; utpote quia inferiores in suis electionibus, et ordinarii Collatores in beneficiorum collationibus abutebantur, et per potentiam laicalem sæpe jure suo non libere uti permittebantur; seu aliqua speciali ratione.“

§. 86. Secundum Decretales hoc jus Pontificium specialia continet jura, nempe 1. *jus concursus* cum quovis collatore inferiore quoad beneficia, quæ actu vacant. c. *licet.* 2. h. t. in 6. Clem. 1. in f. ut lite pendente. 2. 2. *Jus praeventionis*, seu jus dandi *gratias exspectativas* quoad beneficia vacatura. Hæ gratiæ exspectativæ in Cancilio Trid. Sess. XXIV. c. 19. de ref. sublatæ sunt; pertinebant illæ ad beneficia nondum vacantia: jus concursus dat locum præventioni in iis, quæ vacant. c. *dudum.* 14. v. *Nos igitur.* in 6. h. t. 3. *Jus devolutionis*; de quo actum est l. I. Decret. de supplenda negl. Præl. 4. *Jus reservationis*, quæ est generalis vel specialis; *continua* et fixa, relate ad certa beneficia pro omni tempore, ac loco, quo vacant: aut discontinua et *eventualis*, si vacant certo loco e. g. in curia, aut certo tempore e. g. in mense Papali: *Clausa in corpore Juris*, seu *reservatio Juris scripti*, qualis est unica de beneficiis in curia vacantibus, aut *non clausa in corpore Juris*; qualis ea quoque censetur, quæ continetur in Extrav. *Execrabilis* 4. et Extrav. *Ad Regimen.* 13. h. t. int. com. Prior edita est a Joanne XXII. an. 1317. altera a Benedicto XII. an. 1335. Hæ reservationes, uti in corpore Juris extant, fere sapiunt naturam Regularum Cancellariæ, quæ ex se perpetuæ non sunt, sed ad vitam Pontificis eas præscribentis durant, ac cum eo exspirant, a Successore tamen altera mox post electionem die, sæpe additis nonnullis aut detractis de novo sanciuntur, ea adjecta clausula, ut ab eo ipso die mox valere incipiant, licet nondum publicatæ sint. Hinc Paulus II. in Extrav. ult. int. comm. declarat, beneficium censeri *affectum Papae*, sic ut nemo de eo valide disponere possit, duplici modo 1. *per appositionem manus*

Papæ, si is per signaturam supplicationis, per mandatum de providendo, actualem collationem, etsi ea effectum sortita non sit, disponere cæperit. 2. per *solam reservationem*, etsi Papa de beneficio reservato vacante nihil disposuerit.

§. 87. Reservationes Apostolicæ dignitatum ac beneficiorum continentur locis mox citatis, et nonnullæ in Regulis Cancellariæ; sed in Germania eæ tantum vigent, de quibus conventum est in Concordatis inter Nicolaum V. et Fridericum III. Romanorum Regem ac nonnullos Imperii Principes ecclesiasticos et seculares, quibus plurimorum dein consensus accesserunt, initis et per specialem Bullam: *Ad sacram Petri Sedem* anno 1448. XIV. Cal. April. (19. Martii) confirmatis. Dividi hæc Constitutio potest in 5. partes: I. Agitur de reservationibus *Juris scripti*, et ex Const. *execrabilis*, et Const. *Ad Regimen*; sed cum *modificatione*, id est, nonnullis omissis, vel mutatis. II. De electione canonica in Ecclesiis Metropolitanis, Cathedralibus, et Regularibus. III. De aliis dein dignitatibus, et alternativa mensium. IV. De modo Annatarum, et taxarum Cameræ V. Adduntur clausulæ proposito servientes.

§. 88. I. *Reservatio Juris scripti* unica est, eaque generalis, et perpetua, qua reservantur omnia et sola beneficia vacantia apud Sedem Apostolicam *per mortem*, *sive obitum naturalem beneficiati*, *non tantum in ipsa curia Romana*, *sed et in locis eidem curiæ vicinis*, *sive ultra dietas duas legales non distantibus* subsecutum. Excipe: *Nisi dum defunctus curialis est*, *locus ejusmodi*

vicinus proprium ejusdem domicilium extiterit c. 2. et 34. in 6. Moderatio addita est c. 3. in 6. ibi: *Ut ii, ad quos eorundem beneficiorum et dignitatum spectat collatio, demum post mensem a die, qua dignitates seu beneficia ipsa vacaverint, numerandum ea conferre valeant.* Hæc ergo reservatio durat ad unicum mensem a die vacationis numerandum; quo elapso non impeditur collatio Ordinarii (*u*).

(*u*) Nota 1. Hæc reservatio inscribitur Clementi III. qui Pontifex creatus est an 1187. et antiquam consuetudinem allegat. c. 2. in 6. Thomassinus P. 2. l. 1. c. 48. eam refert ad Clementem III. qui Pontificatum ascendit anno 1265. De eadem fit mentio in Extrav. 1. 3. 13. int. com. Moderatio extat c. 3. in 6. Declaratio c. 3. ib. Clem. 1. ut lit. pend. agit de casu, quo duo litigant de beneficio in curia, et uterque vel alteruter ibidem obeat. 2. Eadem reservatio est perpetua, et durat etiam vacante Sede c. 34. in 6. exceptis beneficiis parochialibus. c. 35. in 6. Est eadem 3. generalis, relate ad omnes dignitates et beneficia, quæ enumerantur in concordatis: et relate ad omnes beneficiatos, quacunque causa ad curiam venerint, vel ab ea recesserint. 4. Per curiam fere intelligitur locus, in quo causæ et literæ Apostolicæ expediri solent. 5. Una dieta continet 20 milliaria Italica seu geometrica. arg. l. 1. D. Siquis cautionibus, ibi: *Vicena millia passuum in singulos dies numerari prætor jubet.* Est ergo milliare geometricum seu Italicum mille passuum: non integræ semihoræ, sic ut 5. milliaria geometrica efficiant 2. horas, seu 1. milliare germanicum: et 5 x 4 seu 20 milliaria geometrica conficiunt 4 milliaria Germanica, seu dietam.

§. 89. Ex Const. *Ad Regimen*, reservantur in Concordatis omnes dignitates et beneficia, quæ

vacant per depositionem, privationem, translationem auctoritate Apostolica factam, aut renuntiationem eadem auctoritate admissam: nec non ea, ad quae aliqui in concordia seu discordia electi vel postulati fuerint, quorum electio a Papa cassata, aut postulatio repulsa fuit (*x*). Reservantur item beneficia, quae vacant per obitum Cardinalium, et Officialium Apostolicae Sedis, nec non verorum commensalium Papae (*y*) Denique ex eadem Extrav. *Ad Regimen* in Concordatis reservantur quaecunque dignitates et beneficia, quae promoti a Papa ad Patriarcales, Archiepiscopales, et Cathedrales Ecclesias, et ad regimina monasteriorum obtinebant tempore promotionum de ipsis factarum.

(*x*) Omittitur in Concordatis reservatio beneficiorum, quae per muneris consecrationis suspensionem vacant; etsi ea in Extrav. *Ad regimen* recenseantur. Quando Episcopi Germaniae ab uno Episcopatu ad alium Auctoritate Sedis Apostolicae transferuntur, ordinarie Capitula a Papa facultatem eligendi petere et impetrare solent.

(*y*) Episcopi Germaniae in Cardinales assumpti speciale indultum a Sede Apostolica impetrare solent pro libera post obitum suum electione instituenda. Nomina officialium S. Sedis, quorum beneficia post obitum reservata sunt, recensentur in Concordatis, sed ita, ut, cum in Extrav. absolute ponantur *Commensales Pontificis*, in Concordatis numerentur *veri Commensales, et viginti quatuor Capellani Sedis ejusdem in Epitaphio* (Albo quodam Curialium) *descripti.* Cumque in Extrav. indistincte reserventur beneficia Officialium vacantia per obitum, id in Concordatis clare refertur *ad tempus, quo ipsa officia actualiter tenebant.* Non ergo reservantur illa beneficia, quae ante officium susceptum, aut post illud depositum tenebant, cum morerentur. Denique cum in numero Officialium in Concordatis nominentur Legati, Collectores, in terris Romanae Ecclesiae Rectores ac Thesaurarii, ac horum beneficia reserventur, *ubicunque* eos, antequam ad Romanam cu-

riam redierint, seu venerint, rebus eximi contingat humanis; inde inferunt non pauci, aliorum extra hos, dignitates et beneficia non esse reservata, quos extra curiam Romanam e vivis excedere contingat. Barthel diss. III. c. II. §. 38. Sed hæc interpretatio ad scholæ subtilitatem magis pertinere, quam ad mentem Concordatorum videtur. Reservatio beneficiorum, quæ Cardinales tenent, post eorum obitum generatim, et ab aliis reservationibus separatim ponitur.

§. 90. Ex Const. *Execrabilis*, et Const. *Ad Regimen*, in Concordatis reservantur quæcunque beneficia, quæ vacant per assecutionem pacificam quorumvis prioratuum, personatuum, officiorum, canonicatuum, præbendarum aut beneficiorum aliorum auctoritate Pontificia *immediate* collatorum, *præterquam si virtute gratiæ exspectativæ assecutio fiat* (z). Atque hæc pertinent ad primam earum partium, in quas Concordata dividi posse dixi. In fine ejusdem partis ibidem additur: *Decernentes ex nunc irritum, et inane, si secus super præmissis, et quolibet eorum, per quoscunque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contingerit attentari.*

(z) Nota 1. Per Concordata ergo reservatur quodcunque beneficium, quod vacat per assecutionem secundi. 2 Si hoc secundum immediate auctoritate Apostolica collatum est. 3 De casu, quo quis post assecutionem secundi etiam primum retinere contendit, nulla in concordatis fit mentio. conf. §. 75. 4. Excipiuntur beneficia, quæ quis virtute gratiæ exspectativæ assequitur. Eo enim casu primum non reservatur.

§. 91. II. Concedit Pontifex in concordatis 1. ut in Metropolitanis et Cathedralibus Germaniæ Ecclesiis etiam immediate sibi non subjectis, et in Monasteriis immediate subjectis fiant ele-

ctiones canonicæ (*aa*), quæ intra tempus per c. *Cupientes*. 16. de Elect. in 6. præfinitum, Romam deferantur (*bb*). 2. Si Electiones intra id tempus *non praesentatae, aut si praesentatae minus canonicæ fuerint, Papa provideat.* 3. *Si vero canonicæ fuerint, Papa eas confirmet, nisi ex causa rationabili et evidenti, et de Fratrum consilio de digniori et utiliori persona duxerit providendum* (*cc*). 4. In Monasteriis dictæ Sedi immediate non subjectis, et aliis Regularibus beneficiis, pro quorum confirmatione aut provisione ad Papam recurri non solet: Electi sive Provisi ideo Romam venire non tenebuntur; ipsaque Regularia beneficia sub gratiis expectativis non cadent. 5. In illis autem Monasteriis, pro quibus Romam recurri solet, Pontifex Electos aut Provisos non aliter confirmabit, aut providebit, quam supra de cathedralibus Ecclesiis est dictum. 6. Denique *De Monasteriis Monialium non disponet, nisi sint exempta; et tunc per commissionem ad partes.*

(*aa*) Hæc prærogativa liberarum electionum solis Germaniæ capitulis et conventibus competit, estque statui publico Germaniæ, et retinendæ libertati ecclesiasticæ, quæ olim per Investituras pene oppressa fuerat, perquam accommodata. In Gallia, Hispania, Polonia. Italia aut reservationes Pontificiæ aut Principum nominationes in usu sunt. Hinc. de Electione et Postulatione Prælatorum l. I. Decret. Tit. V. et VI. adcuratius tractandum esse censui.

(*bb*) Hoc capitulum est Nicolai III. qui ita statuit, ut Electi Cathedralium, Regulariumve Ecclesiarum infra mensem post consensum datum., vel habitam Electionis suæ notitiam, iter Romam arripere, et coram Pontifice personaliter comparere, vel si justa causa eos impediat, procuratorem mittere teneantur. Addit, tempus itineris pro qualitate et distantia loco-

rum moderandum et præfigendum esse; quo finito si per viginti dies expectati, Romæ per se, vel Procuratorem non compareant, electionem vult esse irritam.

(cc) Hæc limitatio promissio confirmationis videtur ad electiones canonicas tantum, non ad postulationes referenda. Conf. lib. I. Decret. §. 266. Auctores ad reservationes Papales etiam eum referunt casum, quo in Metropolitanis, Cathedralibus, et Regularibus exemtis Monasteriis intra tres menses aut non fiat electio, aut debito tempore non præsentetur; sed confer dicta lib. I. Decret. §. 376. de suppl. negligentia Prælat.

§. 92. III. De ceteris dignitatibus et beneficiis quibuscunque ultra reservationes N. I. indicatas Pontifex sibi placere ait, 1. *quod per quamcunque aliam reservationem, gratiam expectativam, aut quamcunque alia dispositionem sub quacunque verborum forma, per Nos, vel auctoritate Nostra factam aut faciendam, non impediemus Nos, quo minus de illis, cum vacabunt, de Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, et Decembris mensibus libere disponatur per illos, ad quos horum collatio, provisio, præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinebit, reservatione, aliave quavis dispositione, Auctoritate Nostra factis vel faciendis non obstantibus.* 2. Una interseritur exceptio: *Majoribus dignitatibus post Pontificales in Cathedralibus, et Principalibus in Collegiatis Ecclesiis exceptis, de quibus jure ordinario providetur* (communius *provideatur*) *per illos inferiores, ad quos alias pertinet (dd).* 3. Si autem talia beneficia in mense Januario etc. et mense quovis impari, vacant, ea specialiter S. Sedi servantur. 4. Pro collatione beneficiorum alternis mensibus vacantium Papa trium duntaxat mensium tempus sibi retinet; cum ordinarii Collatores habeant menses sex. Sic enim inquit

in Concordatis: *Qoties vero aliquo vacante beneficio de mensibus Januarii, Martii etc. specialiter dispositioni Apostolicæ Sedis reservatis, non paruerit a die notæ vocationis in loco beneficii, quòd alicui de illo Apostolica auctoritate fuerit provisum, ex tunc, et non antea Ordinarius vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo libere disponat* (ee). 5. Hic articulus de collatione alternativa beneficiorum, ut singulares Ecctesias Germaniæ obliget, singularem earundem acceptationem poscebat. Verba Concordatorum sunt: *Ut hæc Ordinatio collationis beneficiorum non reservatorum per alternos menses possit per nationem publicari, ut omnes, qui ipsa gaudere voluerint, congruum tempus habeant eandem acceptandi. Tunc quoad Apostolicam Sedem in Calendis Junii proxime futuris ipsa currere incipiet, et durabit deinceps, nisi in futuro Concilio de consensu dictae nationis aliter fuerit ordinatum.* Ob hanc causam hæc alternatio in Ecclesia Herbipolensi, et Bambergensi, aliisque locis non viget, ad quas proin clausula n. 1. memorata non videtur pertinere.

(*dd*) Incerta ac varia lectio verbi: *providetur*, aut *provideatur*, in causa fuit, ut aliqui Recentiores Auctores Germaniæ negent, præcipuas dignitates post Pontificiales in Cathedralibus et Principales in Collegiatis ullo mense Pontifici reservatas esse. Conf. Barthel diss. III. c. IV. §. 27. seq. Sed quæ sit censenda lectio genuina, ex verborum et sententiarum vi et cohærentia non obscure videtur posse colligi. Papa enim memorat quando ultra prædictas reservationes aliarum dignitatum ac beneficiorum collatio fieri possit ab inferioribus, et jure Ordinario, eorumque dein menses enumerat; sed postquam nominarat *cæteras dignitates ac beneficia*, mox inserit exceptionem de præcipuis dignitatibus post Pontificales in Cathedralibus, et Principalibus in Col-

legiatis Ecclesiis, de quibus jure Ordinario alias providetur. Harum ergo collatio ad inferiores non pertinet post Concordata. Papa enim daturus erat *regulam*, quid et quando inferiores possint in conferendis ceteris dignitatibus et beneficiis, et ponit *exceptionem* de præcipuis in Cathedralibus, et Principalibus in Collegiatis Ecclesiis. Ergo vi exceptionis et cohærentium verborum sententiarumque inferiores de exceptis nihil possunt. Atque huic lectioni et interpretationi favet reipsa observantia, et usus. At si legendum est, *provideatur*, sensus totius construtionis fit hujusmodi: Extra prædictas reservationes de ceteris dignitatibus et beneficiis in mense Februario, Aprili et quovis pari fiat collatio ab inferioribus et provisio jure ordinario: excipe præcipuas dignitates in Cathedralibus, et Principales in Collegiatis, de quibus collatio fiat ab inferioribus Papa, et provisio jure ordinario; cujus interpretationis absurditas per se manifesta est. Concordata enim manifestam continent exceptionem, quæ nulla est, si cum regula penitus consentit. Unica patet evadendi rima: si nempe in exceptionem interpretando inculcent, seu intrudant particulam *semper*, aut *quovis casu*; ut sensus fiat, de ceteris dignitatibus et beneficiis in regula positis alterno *tantum* quovis mense fiat provisio jure ordinario; de exceptis autem non tantum alterno quovis mense, sed semper, pro quovis casu aut mense, quo vacabunt. Sed hoc quidem nimis arbitrarium videtur.

Scripseram hæc intuens impressa exemplaria Concordatorum, uti nunc exstant, distincta non tantum interpunctionibus, sed etiam numeris seu paragraphis. Verum hæ notæ posteriores sunt, et a privatis, nec ut apparet, satis adcurate adjectæ. Videtur hic articulus, uti alii non pauci, ex Concordatis quinquennalibus Constantiæ initis exceptus. Ea Constantiensia extant in Concil. edit. T. Mansi XXVII. col. 1189. apud Leibnitium in Codice Jur. Gent. diplomatico p. 384. et sincerissime apud Hartzheim T. V. pag. 725. ex duplici exemplo Coloniensi sine interpuctione et numeris. Ac secundum hoc exemplum videntur tum quidem dignitates, de quibus loquimur, non fuisse reservatæ. Illud tamen dubium movet, quod Eugenius, cum Germanis, deposita neutralitate ad obedientiae professionem redeuntibus,

restauraret et confirmaret antea gesta sine auctoritate Pontificia in iis, quæ Pontificiam auctoritatem requirebant, aperte etiam dignitates nominet, de quibus hic disceptatur. Ceterum Nicolarts in Praxi benefic. p. 155. putat, Papam jure præventionis et concursus circa beneficia vacantia conferre posse beneficium, quod jure reservationis intra tres menses conferre neglexerat. At per clausulam n. 1. hic indicatam jus isthuc præventionis et concursus a Papa hoc casu abdicatum fuisse, opinor.

(*ee*) Gregorius XIII, in Const. quæ incipit: *Quæ in Ecclesiam Dei*, edita. an. 1576. declaravit sufficere, modo collatio reipsa facta sit intra tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii numerandos, licet in loco beneficii nondum appareat, vel constet, eam collationem reipsa a Papa factam fuisse; ut proinde, quod consequens est ordinarius Collator post lapsum trium mensium exspectare aliquamdiu teneatur, donec notitia de facta intra tres menses collatione ex Romana curia ad partes Germaniæ pervenire possit. Ait enim Papa verba: *in loco beneficii*, referenda esse ad diem notæ vacationis, non autem ad verbum: *appareat*. Rationem plane non contemnendam Papa petit ex eo, quia intra tres menses supplicatio Romam mitti, a Romanis peti et obtineri informatio de dignitate et meritis supplicantis, posteaque ipsa collatio Romæ expediri et pervenire in Germaniam ob difficultatem atque etiam frequentia pericula itinerum vix ac ne vix quidem posset; ut proinde hæc reservatio plurimis casibus eluderetur. Sed Germani Auctores non contenti eo, quod papa pro collatione sua tres tantum menses sibi retinuerit, inhærent omni rigore verbis Concordatorum, imo aliqui non contenti certo nuntio de facta collatione, intra tres menses accepto, intra idem tempus ipsam Bullam collationis ad se deferendam exigunt; quasi de facta collatione intra tres menses apparere, aut certo constare non posset, nisi ex ipsa collationis Bulla.

§. 93. IV. Agitur in Concordatis de Annatis; de quibus nota, eas in quadruplici specie

esse sitas. Primam constituunt *communia servitia*, pendenda ex Prælaturis *consistorialibus* sic appellatis, eo quod a Pontifice conferantur in Consistorio Cardinalium, rogatis eorum sententiis. Tales in Germania sunt Archiepiscopatus, Episcopatus aliæque Prælaturæ Principales, tam Regulares, quam Seculares Sedi Apostolicæ immediate subjectæ, ut Elvacensis, Campidunensis etc. De Jure ex his pendi deberent dimidii fructus primi anni, uti Bonifacius IX. constituerat; sed hi fructus ita moderate sunt taxati, ut quintam partem non superent. Suntque alia præterea hujus oneris levamina in Concordatis expressa; verba sunt hæc: *Circa provisionem Apostolicae Sedis ordinandum, modus Annatarum hoc modo currat. De Ecclesiis cathedralibus omnibus, et Monasteriis virorum duntaxat, vacantibus et vacaturis solventur pro fructibus primi anni a die vacationis, summae pecuniarum in libris Camerae Apostolicae taxatae, quae communia servitia nuncupantur. Siquae vero excessive taxatae sunt, juste retaxentur; et provideatur specialiter in gravatis regionibus secundum qualitatem rerum, temporum et regionum, ne nimium praegraventur: ad quod SS. D. N. petentibus dabit Commissarios in partibus qui diligenter inquirant, et retaxent. Taxae autem praedictae pro media parte infra annum a die habitae possessionis pacificae, totius vel majoris partis solvantur, et pro media parte infra sequentem annum. Et si infra annum bis vel pluries vacaverint, semel tantum solvetur; nec debitum hujusmodi in successorem in Ecclesia vel Monasterio transeat (ff).*

(*ff*) Prima Concordatorum verba indicant justissimam Annatarum causam, ut nempe Provisio fiat Apostolicæ

Sedi, atque ad sustentandos Cardinales, Nuntios, alios-que ministros conferant nationes, quarum bono eorum dignitates ac officia instituta sunt. Si circa modum solutionis quidpiam mutatum est, id causam et naturam Annatarum nihil immutat. Retinentur Bullæ confirmationum, donec solutio fiat. Hoc ab eorum ingratitudine ortum invenies (jam dudum scripsit AEneas Sylvius ad Cancellarium Maguntinum), qui, cum Ecclesias consecuti essent, dilationemque solutionis faciendæ obtinuissent, postquam literas Apostolicas habuere — neque præstituta die, neque multis post annis Apostolicæ Cameræ satisfacere curaverunt.

§. 94. Alteram speciem Annatarum constituunt *servitia minuta*: aliqua nempe pensio, quæ ultra servitia communia ex iisdem Episcopatibus et Prælaturis Principalibus pendenda est, atque inter inferiores ministros, ac Officiales Pontificis distribuenda. In tertia specie sunt *Annatæ proprie ac simpliciter dictæ*, dimidia nempe pars fructuum primi anni, eidem Cameræ solvenda de ceteris dignitatibus et beneficiis inferioribus, quæ Pontificis auctoritate conferuntur, si eorum reditus anni 24. florenos auri excedunt, secundum ejusdem Cameræ taxam; quæ ita moderata est, ut nullus Germaniæ canonicatus ultra 24 florenos sit æstimatus aut taxatus. Unde ex illis non solvuntur Annatæ, licet reipsa annui proventus ultra mille florenos ascendant. Solvitur tamen modicum pro expeditione Bullarum. Quartam speciem efficiunt *quindennia* seu *quindenæ*, pars nempe dimidia fructuum unius anni, eidem Cameræ singulis quindecim annis solvenda de beneficiis quibusdam unitis, quæ nunquam vacant (eoquod sint unita e. g. Capitulo, aut Monasterio, quæ non moriuntur), aut de beneficiis per speciale privilegium a reservatione li-

beratis; qualis est Præpositura Augustana, quæ propterea solvit quindennia (*gg*).

(*gg*) Huc referenda sunt verba Concordatorum: „ „ De ceteris dignitatibus, personatibus, officiis et be- „ neficiis secularibus quibuscunque, et regularibus, „ quæ Auctoritate Sedis Apostolicæ conferuntur vel de „ quibus providebitur (præterquam vigore gratiarum „ expectativarum, aut causa permutationis) solvantur „ Annatæ seu medii fructus juxta taxam solitam, a „ tempore possessionis infra annum, et debitum hu- „ jusmodi in successorem in beneficio non transeat. De „ beneficiis vero, quæ valorem viginti quatuor floreno- „ rum auri de Camera non excedunt, nihil solvatur: „ curratque hæc observantia deinceps, nisi eam simili- „ ter in futuro Concilio de ipsius nationis consensu con- „ tingat immutari. „

§. 95. V. Ad ultimam Concordatorum partem retuli clausulas. Ac unam earum circa confirmandas electiones canonicas: *Nisi ex causa rationabili et evidenti etc.* retuli §. 91. n. 3. Aliam post enumeratas reservationes positam: *decernentes ex nunc irritum etc.* recitavi §. 90. Tertia, quæ alternos menses ordinariorum seu inferiorum liberos et intactos relinquit, indicata est §. 92. *reservatione, aliave quavis dispositione etc.*

§. 96. Sed præcipua est clausula prope finem Concordatorum hærens: *In aliis autem, quæ per felicis recordationis Dominum Eugenium Papam quartum, pro natione præfata, usque ad tempus futuri Concilii permissa, concessa, indulta atque decreta, et per memoratum Sanctissimum Dominum Nostrum Papam Nicolaum confirmata fuere, in quantum illa concordiæ præsenti non obviant, ista vice nihil extitit immutatum.* Hæc verba habentur in Con-

cordatis formam *pacti* exhibentibus. In figura Bullæ sic habetur: *In aliis autem, quae per felicis recordationis Eugenium Papam IV. etiam Praedecessorem nostrum, pro dicta natione usque ad tempus futuri generalis Concilii permissa concessa, indulta et decreta, ac per Nos confirmata fuerunt, in quantum illa concordiae praesenti non obviant, ista vice nihil volumus esse immutatum.* Hæc verba: *in aliis autem etc.* magno conatu hodie detorquentur ad Concordata Principum, ut vocant, Moguntiæ sub Alberto II. an. 1439. constituta, atque ad acceptationem Decretorum quorundam Basileensium, ita, ut vi hujus clausulæ, ea Concordata Principum efficiant *regulam*: Concordata vero sub Nicolao inita, quæ appellantur Aschaffenburgensia, aliud non sint, nisi *exceptio ab illa priore regula.*

§. 97. Ut falsitas hujus opinionis detegatur; inquirendum est, quid Germani ad possessionem obedientiæ, deposita neutralitate redituri, ab Eugenio IV. petierint: quid Eugenius IV. iisdem concesserit, atque ita concesserit, ut idem Nicolaus V. ante Concordata Aschaffenburgensia jam confirmarit. Anno 1446. Cal. Sept. a Principibus Imperii habitus est conventus Francofordiensis, ad quem Eugenius IV. instante Friderico per AEneam Sylvium tum secundo Romam missum, destinarat Legatos suos, data instructione, quam refert Raynaldus ad an. 1446. n. 3. In qua sensa animi sui de Auctoritate Conciliorum, Principibus significanda sic exprimit: *Sicut illi* (sancti Patres, Prædecessores Nostri) *generalia Concilia suis temporibus rite instituta, atque canonice celebrata recipere, amplecti, et venerari consueverunt, sic generalia Concilia Constan-*

tiense, *ac Basileense ab ejus initio usque ad translationem per Nos factam*, *absque tamen præjudicio juris*, *dignitatis et præeminentiæ sanctæ Sedis Apostolicæ*, *ac potestatis Sibi*, *et in eadem canonice sedenti in persona B. Petri a Christo concessæ*, *cum omni reverentia et devotione suscipimus*, *amplectimur*, *et veneramur.* Urgebant enim Germani, ut inquit Raynaldus cit. loc. n. 2. ut Eugenius Conciliorum auctoritatem se colere sine Pontificiæ Majestatis injuria profiteretur (*de illis enim spretis invidiose criminabantur ipsum schismatici*; *iisque mendaciis plures in errorem traxerant.*) Alterum erat Germanorum in eo Conventu petitum, ut novum generale Concilium in Allemanniæ partibus, in uno de quinque locis, videlicet Constantia, Argentina, Moguntia, Wormatia, Treveri propter Ecclesiæ necessitates convocaretur. Tertium erat, ut nationi Germanicæ super gravaminibus opportune provideretur. Quartum, ut depositi ob Basileense schisma Archiepiscopi et Electores, Theodoricus Coloniensis, et Jacobus Trevirensis in pristinum statum restituerentur. Hæc Germanorum postulata pro concilianda pace constant ex legatione tertia AEneæ ad Papam ab hoc conventu facta. Raynald. ad an. 1446. n. 5.

§. 98. Ex hoc conventu Legati Imperatoris ac Principum Germaniæ pervenere Romam sub finem anni 1446; ac sequente Januario et principio Februarii anni 1447. negotium concordiæ feliciter confectum fuit. Quatuor extant Bullæ Eugenii de dato Nonis Februarii an. Domenicæ Incarnationis MCCCCXLVI. id est, datæ die 5. Februarii anni 1447. nempe ex stilo Romano, quo anni ab Incarnatione Dominica ducti ordiuntur die 25. Martii; unde dies, qui 25. Martii præce-

dunt usque ad Calendas Januarias referuntur ad annum civilem præcedentem (*hh*). Prima ex his Bullis, illa videtur fuisse, quæ incipit: ***Ad ea ex debito*** (*ii*). Agit in ea Eugenius de Concilio post menses 18. nempe ad Majum an. 1448. celebrando. Sensa animi sui de auctoritate Conciliorum declarat his verbis: „ Concilium autem ge-
„ nerale Constantiense, Decretum, ***Frequens***,
„ ac alia ejus Decreta, sicut et cetera alia Conci-
„ lia, catholicam militantem Ecclesiam repræsen-
„ tantia, ipsorum potestatem, auctoritatem,
„ honorem et eminentiam, sicut et ceteri Ante-
„ cessores Nostri, a quorum vestigiis deviare
„ nequaquam intendimus, suscipimus, amplecti-
„ mur; et veneramur (*kk*). „

(*hh*) Notæ temporales harum Bullarum apud Auctores, qui eas allegant, passim mendosæ apparent ob incuriam, vel ignorantiam rei chronographicæ.

(*ii*) Raynald. ad an. 1447. n. 5. Concord. Nat. Germ. Int. T. I. pag. 138.

(*kk*) De hoc articulo narrat AEneas Sylvius apud Balutium: „ Postquam diebus plurimis disceptatum est
„ (cum Cardinalibus) et usque ad desperationem liti-
„ gatum, inventa demum concordia est. — Auctorita-
„ tem Conciliorum, uti in Basilea declarata fuerat,
„ nullo pacto admitti volebant. Sed opitulati sunt in
„ ea re nobis Maguntini (Oratores ab Archiep. Mo-
„ guntino cum ceteris ad Papam missi), qui ad Con-
„ cilii Constantiensis Decreta referri illam sufficere di-
„ xerunt: quos secutus est Brandenburgensis Orator;
„ et nos volupe accessimus.

§. 99. Altera Eugenii Bulla eodem die data, quæ priorem memorat, incipit: ***Ad tranquillitatem*** (*ll*); agitque de Decretis Basilcæ editis et per Albertum Romanorum Regem acceptatis, ex quorum observantia natio Germanica ex pluribus

gravaminibus dicitur sublevari. Eugenius ait, se contentum esse, velle ac decernere, ut, quæ vi illorum Decretorum quomodolibet gesta vel acta sunt, cum omnibus inde secutis rata, et firma, et inviolabilia persistant; nec quisquam molestari possit in futurum. De observatione vero, et modificatione eorum Decretorum in futurum, cum nonnulli Prælati Germaniæ ex illis se gravatos fuisse conquesti sint, cumque ipsa Sedes Apostolica multum in suis juribus ex illis Decretis gravata sit, se decrevisse ait legatum cum sufficiente potestate ad partes Germaniæ transmittere, qui cum Rege, Archiepiscopo etc. super observatione et modificatione Decretorum hujusmodi, nec non super provisione Sedi prædictæ faciendis tractare poterit, et finaliter concordare: *Interim permittere et indulgere*, ut qui illa decreta receperunt, vel recipientibus adhæserunt, illis cum modificationibus, quibus recepta sunt, libere et licite uti possint —— *donec per legatum hujusmodi concordatum fuerit, vel per Concilium aliter fuerit ordinatum.*

(*ll*) Raynald. ad an. 1447 n. 5. Concord. Nat. Germ. Int. T. I. pag. 142. Hartzheim T. V. pag. 301.

§. 100. Tertia Eugenii Bulla die 5. Febr. an. 1447. quæ incipit: *Ad ea, quae reductionem* pertinet ad restitutionem Archiepiscoporum Trevirensis ac Coloniensis in pristinum statum. *Promittimus bona fide*, inquit Papa, *quod, quando ipsi olim Trevirensis et Coloniensis Archiepiscopi ad gremium Nostrum et Ecclesiae venientes cum Regia Serenitate et aliis Electoribus praedictis in declaratione pro Nobis facienda, ut praefertur, concurrerint, Nobisque plenam et debitam obedientiam praebuerint, ac pro vero Jesu Christi Vicario

recognoverint, ipsos ad praedictas Ecclesias absque ulla exceptione aut oppositione restituemus, ac in pristinum statum reponemus (*mm*).

(*mm*) Hartzheim T. V. pag. 394.

§. 101. Ad eundem diem referri debet Bulla quarta Eugenii, quæ ejusdem *Salvatorium* nuncupatur, atque his verbis orditur, et pertextitur: *Decet Romani Pontificis prudentiam, quæ per eam juxta qualitatem temporum aguntur, taliter moderari, ut eis Sedi Apostolicæ aut Romanæ Ecclesiæ nullum præjudicium generetur. Sane cum charissimus in Christo Filius Fridericus Rex Romanorum — et alii Principes quædam petiverint a Nobis fieri, quæ necessitas ipsa, et Ecclesiæ utilitas, ut eos ad Nostram, et sanctæ Romanae Ecclesiae unitatem et obedientiam alliciamus, Nos concedere quodammodo compellit; Nos ad vitandum omne scandalum et periculum, quod exinde sequi posset, nolentes aliquid dicere, aut confirmare, vel concedere, quod esset contra sanctorum Patrum doctrinam, vel quod vergeret io praejudicium hujus sanctae Apostolicae Sedis: quoniam propter imminentem Nobis aegritudinem non valemus, omnia per eos petita, et per Nos concessa, cum ea integritate judicii et consilii examinare et ponderare, quae rei magnitudo et gravitas requirit, tenore praesentium protestamur, quod per quaecunque a Nobis dictis Regi — — ac nationi responsa et respondenda, concessa et concedenda, non intendimus in aliquo derogare doctrinae SS. Patrum, ac praefatae Sedis privilegiis et auctoritati, habentes pro non responsis et non concessis, quaecunque a Nobis contigerit emanare.* Hæc Protestatio data est eodem die, quo Bullæ superius recensitæ, uti ma-

nifestum est ex Raynaldo ad an 1447. n. 7. et Hartzheim T. V. pag. 390. Neque tum omnia, quæ petita fuerant, concesserat Eugenius, uti patet ex verbis: *responsa et respondenda*; *concessa et concedenda.* Male ergo Barthelius diss. III. C. I. §. XV. eam Bullis superioribus simpliciter posteriorem dicit: *Post editum hoc Breve Apostolicum protestabatur equidem Eugenius IV.* quamquam si posterior esset protestatio, nihil id obesset; quia nihil antea de jure Apostolicæ Sedis abdicarat Eugenius. Sed cum *una* sit causa, *una* concordiæ restituendæ tractatio, *una* temporis signatio tum quoad factas concessiones, tum quoad animi declarationem et interpositam protestationem; alterum ab altero in genuina interpretatione distrahi ac divelli non potest.

§. 102. Alia Eugenii Bulla: *Inter cetera desideria cordis.* binis diebus posterior, nempe data die 7. Febr. an. 1447. tota pertinet ad ea sananda, quæ itempore neutralitatis fuerunt acta, ut, quæ invalda fuerant, confirmarentur, ut pristina jura restituerentur iis, qui cum Basileensibus senserant; unde fit mentio de Bulla pro Archiepiscopis Trevirensi et Coloniensis restituendis (§. 100); ut lites restringuerentur: utque censuræ abolerentur *(nn)*. Nihil hoc loco de auctoritate Conciliorum, nihil de Basileensibus Decretis memoratur.

(nn) Raynald. ad an. 1447. n. 4. Hertzheim T. V. pag. 390. Leibnit. Cod. Jur. Gent. diplomat. p. 392.

§. 103. Hactenus pro recta interpretatione famosæ clausulæ Concordatorum (§. 96.) exposui, quid Germani petierint: quid, et quatenus et quando Eugenius concesserit. Sequitur; ut in-

quiratur, quid de concessis ab Eugenio Nicolaus Successor confirmarit; quia ad confirmata a Nicolao expresse restinguitur clausula. Obiit Eugenius Papa eodem mense et anno, quo superiores Bullas ediderat, nempe die 23. Februar. an 1447. Eidem postea die 6. Martii ejusd m anni suffectus est qui antea inter Legatos Eugenii conventui Francofurtensi interfuit, Nicolaus V. Hic, ut refert AEneas Sylvius, acceptis Ecclesiæ gubernaculis, ut schisma jam ante ab Eugenio dlisum penitus deleret, Joannem S. Angeli Diaconum Cardinalem in Germaniam legavit: Fridericus enim Romanorum Rex ad diem S. Margaretæ sacrum, qui in XX. Julii incidit, Principum Conventum apud Aschaffenburgum Diœcesis Moguntinæ oppidum indixerat. Unde anno sequente Concordata *Aschaffenburgensia* prodierunt, vel saltem nomen accepere (Raynald. ad an. 1447. n. 17.). Cardinalis enim, ut idem narrat ad an. 1448. n. 3. cum Friderico Rege ac Principibus de conferendis dignitatibus Ecclesiasticis ac Sacerdotiis Germaniæ, tum de Annatarum, ut vocant, exigenda ratione ad non nullas pactiones venit, quas Pontifex adhibitis in consilium Cardinalibus ratas habuit, ac diplomate etiam Apostolico firmavit; quod diploma ipsa exhibet Concordatas Aschaffenburgensia in forma Bullæ; quæ incipit: ***Ad S. Petri Sedem.*** Sed *ante* hoc diploma Nicolaus confirmavit Bullam Eugenii: *Inter cetera desideria cordis* (§. 102.): uti refert Raynald. ad an. 1448. n. 3. idque patet ex verbis Nicolai: „Prædecessore sublato de medio, divina favente Clementia, ad apicem summi Apostolatus assumti *post nostram subsecutam coronationem* per quasdam literas nostras declararavimus etc.“ imo effectum ejus Bullæ etiam

extendit ad Episcopum Frisingensem tempore neutralitatis electum, quem Eugenius in sua Bulla exceperat.

§. 104. Clausula ergo Concordatorum unice refertur ad Bullam Eugenianam: *Inter cetera*; quæ utique plurimos habuit effectus circa res tempore neutralitatis gestas, sed ad Decreta Basileensia referri nullo modo potest. Hinc ipse Barthelius diss. III. C. I. §. XIII. fatetur, intera, quæ in clausula ab Eugenio dicuntur *concessa indulta, atque decreta* (addere debuerat: *et a Nicolao confirmata*) nonnulla erant, quæ mox omnem effectum suum consecuta, nullum amplius habent effectum juridicum, nisi quod illustrandis Concordatis serviunt: qualia sunt I. quod *Decreta Basileensia* per Albertum II. Romanorum Regem in Germania introducta suo in vigore permanere debeant, usque dum vel cum Legato Pontificio aliter concordatum, vel in futuro Concilio aliter ordinatum fuerit; quod concesserat Eugenius in Bulla: *Ad tranquillitatem*. §. 99. II. Quod collationes beneficiorum, dispensationes etc. tempore neutralitatis ordinaria auctoritate factæ, aliaque firma manere debeant, ut continetur in Bulla Eugenii; *Inter cetera*. §. 102. et 103. quod specifica gravamina Ecclesiarum Trevirensis et Coloniensis tolli debeant. §. 100. Id tantum opinatur Barthelius, Bullam Eugenii: *Ad ea ex debito*, de celebrando post 18. menses Concilio, et de agnita ab Eugenio auctoritate Conciliorum generalium nunc etiam consideratione dignam esse. Sed conf. §. 97. et 98. Ceterum clausulam illam Concordatorum ad Decreta Basileensia referri posse aut debere,

RR. quorundam commentum est, quod ex dictis aperte convellitur (*oo*).

(*oo*) Hactenus dicta, animadversaque de Concordatis Germaniæ pro angustiis libelli hujus sufficere arbitror. Uberior enim expositio, historiæ in primis eo spectantis, Juris specialis Publici Imperii Romano-Germanici propria est. Illud dolendum est vehementer, totam hanc tractationem a maxima parte Scriptorum nostrorum ad conflandam Apostolicæ Sedi, seu ut callide loquuntur, Romanæ curiæ invidiam passim converti. Exscribuntur ex Protestantium libris pravæ opiniones odio Romanæ Ecclesiæ confictæ: accusatur ambitio RR. Pontificum Episcopalia jura, uti vociferantur, opprimentium: exagitatur avaritia Curialistarum: statuuntur nova interpretationis principia, æquitati non minus, quam reverentiæ, quæ Christi Vicario exhibenda est, repugnantia, conciduntur modis omnibus reservationum Apostolicarum jura: fatigantur profana tribunalia, cumque talia malignitate animi alii excogitarint, alii majore numero ex prioribus arripuerint, descripserintque; tum etiam præclare de patria sua, atque universa Germania meritos se putant; quasi cum captassent præbendam pro civibus suis per fas et nefas; eo lucello compensari posset detrimentum Pontificiæ auctoritatis, animorumque ab Apostolica Cathedra alienatio in dies aucta.

§. 105. Ad causas beneficiales, perinde ut judiciales pertinent *Regulæ Cancellariæ* §. 86. Earum quædam formam solum præscribunt rebus in curia gerendis, nec extra curiam obligant: aliæ sunt generales, quæ passim in decidendis causis beneficialibus allegari solent, ac proinde vim legis generalis habere censentur, ceu I. Regula 19. de infirmis resignantibus, seu *regula de viginti*, qua irritatur resignatio infirmi, intra 20. dies post præstitum coram legitimo Superiore consensum decedentis. II. Reg. 21. *de impetratione beneficii per obitum viventis*, etsi postea decedat. III. Reg. 30. *de verisimili notitia*, qua statuitur, ut

omnes gratiæ de beneficiis per obitum vacantibus factæ nullius roboris sint, nisi post obitum, et ante *datam* gratiarum tantum temporis effluxerit, ut interim vacatio ipsa de loco, in quo obitus contigit, ad notitiam Papæ verosimiliter potuerit pervenire. IV. Reg. 35. *de annali possessore*, qua præscribitur, ut, quicunque beneficium ecclesiasticum tunc per annum immediate præcedentem pacifice possessum, et quod certo modo vacare pretenditur, deinceps impetraverit, nomen, gradum et nobilitatem possessoris, et quot annis ipse illud possederit, ac specificam causam, ex qua clare constet, nullum dicto possessori jus competere, exprimat; et infra sex menses eundem ad judicium evocari faciat, causamque extra tunc infra annum usque ad sententiam definitivam prosequi teneatur. Alioquin impetratio, et quæcunque inde secuta nullius sint roboris etc. V. Reg. 36. *de triennali possessore* decernitur, ut, siquis quæcunque beneficia ecclesiastica, *absque simoniaco ingressu* ex quovis titulo, Apostolica vel ordinaria collatione, aut electione, et electionis hujusmodi confirmatione sive præsentatione et institutione illorum, ad quos ista pertinent, per triennium pacifice possederit (dummodo in beneficiis hujusmodi, si Pontifici ex reservatione generali in corpore Juris clausa, reservata fuerint, se non intruserit), super iisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat. Impetrationes super beneficiis sic possessis dicuntur irritæ, et lites super iis motæ extinguuntur (*pp*). In casu hujus regulæ beneficium præscriptione acquiri jure dicitur.

(*pp*) Disputant passim de origine, primoque auctore regularum Cancellariæ, easque fere ad odium RR. Pontificum detorquent, ac pro novo Ecclesiarum onere traducunt. At cum paulo ante stabilitas has regulas benefi-

eia eo, quo nunc sunt, statu invaluerint, et cum illis, uti fit in humanis rebus, abusus, ac fraudes succreverint, necesse fuit, ut novis morbis nova adhiberentur remedia. Multa ad stilum judiciorum pertinentia, quae ante vigebant longa consuetudine, demum in scripturam redacta sunt: alia pro temporum varietate immutari debuerunt.

§. 106. *De primariis Precibus*, quatenus eæ ad Jus privatum pertinent, hæc maxime noscenda sunt. Solet electus Rex Romanorum, in Imperatorem promovendus, mox post electionem suam per Legatum *Obedientiæ*, ut vocant, solemniore pompa Romam missum, reverentiam et obedientiam erga Pontificem, et Romanam Ecclesiam exhibere, approbationem electionis suæ, nec non gratias et favores consuetos petere. Inter hos Pontifex specialiter concedit indultum primariarum precum, per quas Imperator in singulis Ecclesiis nominat aliquem, cui beneficium conferatur, datis etiam executoribus in dignitate ecclesiastica constitutis, qui auctoritate Pontificia satagant, ut preces ad effectum deducantur (*qq*).

(*qq*) Zech. de Jur. Rer. Eccl. Sect. III. Tit. X. §. 147.

§. 107. Hæ preces sese extendunt ad Germaniæ beneficia, dignitates, personatus, administrationes, et officia, electiva vel collativa, etiam Papæ reservata, in quibusvis mensibus quacunque ratione vacantia. Limita et excipe: 1. Singulæ collationes, et singulæ Ecclesiæ per has preces non ultra, quam in uno beneficio graventur. 2. Canonicatus autem, præbenda, ac dignitas sive personatus, administratio vel officium pro unico duntaxat beneficio computari debent, ita, ut non possit in eadem Ecclesia vi primariarum precum unus nominari ad canonicatum; vel præ-

bendam, alius ad dignitatem vel officium. Duplex hoc loco casus videtur distinguendus. Si canonicatus vel præbenda vacans perpetuo adnexam habet dignitatem, vel personatum, vel administrationem; tunc qui vi precum obtinet primum, excludi ab altero non poterit. Si vero is perpetuus nexus non adest, sed dignitas, vel administratio per electionem confertur, capitula putant, se satisfacere dato uno, altero negato. Sed Aula Cæsarea hodie urget utrumque. 3. Excipi debent non tantum ipsæ dignitates Metropolitanæ et Episcopales; sed etiam dignitates post Pontificalem majores in Cathedralibus, et Principales in Collegiatis Ecclesiis: item monocularia: quæ sunt juris patronatus laici: quæ ex natura sua requirunt professionem regularem: vicariæ temporales: beneficia manualia, perpetuo incorporata, commendata: per longævam consuetudinem, aut privilegium exemta: ad beneficia curata preces ab ipsis Cæsaribus non extenduntur: de iis; quæ vacant per resignationem; imo et ex causa permutationis, non semel pro Precista decisio facta est in Judicio Imperiali Aulico.

§. 108. Is, qui primas preces impetravit, pollere inprimis debet qualitatibus ad quodvis beneficium generatim, et per legitima statuta capitulorum requisitis. Dein a die vacationis notæ beneficium vacans per se, vel Procuratorem acceptare tenetur: si admitti non petat ad beneficium, quod primo vacat, retinet jus ad aliud postea vacaturum: in quibusdam Ecclesiis exigitur, ut Precista ante vacationem preces suas insinuet, tum præsertim; quando singuli Canonici jus nominandi habent per turnum; qui enim vice gaudet, mox priore defuncto alium sibi gratum no-

minat; atque hic Precistæ supervenienti, qui preces ante non insinuarat, difficulter cedet; quia jure jam quæsito gaudet. Per mortem Imperatoris jus Præcistæ non extinguitur. Cessio primarum precum, si absque simoniaca labe, riteque fiat, sustinenda videtur.

§. 109. Disserunt denique nonnulli Auctores ad hunc titulum de qualitatibus eorum, qui ad beneficia aspirant. Sed propria istius argumenti sedes in Lib. I. Decret. consistit *de ætate et qualitate et ordine Præficiendorum.* Multa autem a jure communi abhorrentia per usum et abusum introducta sunt. Jus enim commune vetat respicere nationem et originis locum. c. *Ad decorem.* 5. de Institut. vetat respicere sanguinem et consanguinitatem. c. *grave nimis.* 29. h. t. vetat respicere nobilitatem. c. *Venerabilis* 37. h. t. SS. Concilium Trid. Sess. XXIV. c. 12. de ref. doctrinam potius, quam nobilitatem attendi vult. Sic enim ait: *Hortatur etiam sancta Synodus, ut in Provinciis, ubi id commode fieri potest, dignitates omnes et saltem dimidia pars canonicatuum, in cathedralibus Ecclesiis et Collegiatis insignibus conferantur tantum Magistris vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Jure Canonico.*

§. 110. Obtendi solent consuetudines et Statuta Capitularia etiam jurata. Conf. dicta Lib. I. Decret. §. 135. n. 5. Adde c. *Sicut.* 27. X. et c. 1. de Jurej. in 6. Synodus Provincialis Moguntina anni 1529. c. 87. sapienter præcipit locorum Ordinariis, et Prælatis Capitulorum *ut Ecclesiarum statuta diligenti cura revideant, et juramenta non necessaria, a Sede Apostolica non confirmata, in primis vero injusta et per-*

niciosa, *non obstantibus quibuscunque consuetudinibus* (*cum iniquitati longinquitas temporis patrocinari non debeat*) *corrigant*, *cassent*, *et tollant* (*rr*).

(*rr*) Hartzheim T. VI. pag. 588.

TITULUS VI.

DE CLERICO ÆGROTANTE, VEL DEBILITATO.

ARGUMENTUM.

I. Dispositiones SS. Canonum pro casu infirmi vel inutilis Prælati aut Beneficiati. §. 111. *II. Coadjutor cum jure successionis*, *aut sine jure successionis.* §. 112. *III. Prærogativæ et jura utriusque.* §. 116.

§. 111. Si Episcopus, Parochus, aut quiscunque Beneficiatus senio, morbo, sinistro quovis casu, aut superveniente irregularitate ex defectu, officium totum, ejusve partem obire ad tempus, vel per omnem deinceps vitam non potest, prohibent Canones ex genuino humanitatis jure, 1. ne is abjiciatur vel deponatur: 2. ne sufficientia ei vitæ subsidia auferantur; quia scilicet *afflicto non est addenda afflictio*, *sed ejus potius miserendum est.* tot. tit. et can. *Scripsit.* 1. can. *Pontifices.* 4. VII. q. 1. Prohibent, 3. ne duo ejusdem Ecclesiæ Episcopi, vel Parochi sint ob Ecclesiæ unitatem, ut inquit S. Cyprianus can. *Factus est.* 5. VII. q. 1. Sed 4. volunt Canones, ut impedito vel infirmo Coadjutor constituatur unus vel plures. tot. tit. et cit. can. *Pontifices.* (*a*). 5. Sic autem, ut nequis Episcopus, aliusve Beneficiatus ipse sibi Successorem, sive *Coadjutorem cum jure suc-*

cessionis constituat. Id primo vetitum reperitur in Concilio Antiocheno anni 332. (uti putant Ballerinii T. III. opp. S. Leonis) can. 23. *Nulli Episcoporum licere sibi constituere successorem in exitu vitæ suæ.* Olim tamen multi sancti Antistites id fecerant; quia, ut inquit S. Augustinus Epist. 110. *scio post obitus Episcoporum per ambitiosos et contentiosos solere Ecclesias perturbari, et quod sæpe expertus sum, et dolui, deleo, quantum ad me attinet, ne contingat, huic prospicere civitati.*

(*a*) De S. Augustino scribit Paulinus apud Gratianum can. *Non autem.* 12. VII. q. 1 eum ita consecratum fuisse, *ut non succederet in Cathedra Episcopo, sed accederet. Nam incolumi Valerio Hipponensis Ecclesiæ Episcopo, Coepiscopus Augustinus est.* Verum ipse S. Augustinus in cit. Epist. etsi Eradium Presbyterum Coadjutorem sibi cum jure successionis constituerit, non tamen eum fecit Coepiscopum; quod autem se fieri Coepiscopum cum Antecessore suo, Valerio, ipse permiserit, in hunc modum excusat l. c. *Adhuc in corpore posito beatæ memoriæ Patre et Episcopo meo sene Valerio Episcopus ordinatus sum, et sedi cum illo: quod Concilio Nicæno prohibitum esse nesciebam, nec ipse sciebat.* Equidem nullum novi Canonem Nicænum, qui id prohibuisset. Sed passim antiquorum Conciliorum Canones post Nicænos positi ab antiquis collectoribus pro Nicænis laudati fuerunt.

§. 112. Ex his colligi potest finis et notio *Coadjutoriæ.* Est ea videlicet officium adjuvandi Beneficiatum in regimine et functione beneficii, nempe vel in temporalibus tantum, vel solis spiritualibus vel utrisque; estque alia *simplex* absque jure successionis, quoad durat infirmitas, vel; si hæc perpetua sit, ad dies vitæ ejusdem; alia cum *jure successionis*, quæ a quibusdam vocatur *perpetua.* Sed non raro fit hodie, ut Episcopis Coadjutores dentur non mo-

do infirmis, sed etiam aliis, præsertim ad senium vergentibus; qui vivente coadjuto nihil administrationis habent: hinc nova fortassis distinctione opus est, ut inter Coadjutores cum jure successionis alii dicantur *assumti ad administrationem*, alii *ad meram successionem.*

§. 113. SS. Concilium Tridentinum Sess. XXV. c. 7. de ref. ait: *Cum in beneficiis ecclesiasticis ea, quae haereditariae successionis imaginem referunt, sacris Constitutionibus sint odiosa, et Patrum decretis contraria, — coadjutoriæ cum futura successione nemini in quibuscunque beneficiis ecclesiasticis permittantur.* Excipit tamen Ecclesias cathedrales et Monasteria *ex urgente necessitate aut evidente utilitate*; ita, ut Coadjutor non alias cum futura successione detur, *quam hæc causa prius diligenter a Sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, et qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quae a Jure, et Decretis hujus S. Synodi in Episcopis et Praelatis requiruntur; alias concessiones super his factae subreptitiae esse censeantur.* Ceterum *necessitatem* affere potest senium, morbus, amentia, gravia negotia, ob quæ coadjutus perpetuo residere in Diœcesi absque gravi damno non potest. Quamvis enim istiusmodi necessitati mederi possit coadjutoria simplex sine jure succedendi; æquum tamen est, ut, qui dignus censetur gubernandæ Diœcesi vivente ejus Prælato, etiam post ejus obitum aliis præferatur. Hinc Gregorius M. apud Gratianum can. *quamvis* 14. in fin. VII. q. 1. de tali Coadjutore ait: *Qui etiam, si Episcopo, qui nunc aegrotat, superstes extiterit, loco ejus debeat consecrari. Utilitas* Ecclesiæ Coadjutorem cum jure meræ successionis exigere potest, si quando vacante

Sede timeantur turbæ et damna Ecclesiæ imminentia, quæ per Cadjutorem ipso jure succedentem præcaveri posse videantur.

§. 114. *De constituendo Coadjutore temporali* Episcoporum et superiorum Prælatorum Bonifacius VIII. c. un h. t. declarat et statuit I. ut ea datio Coadjutorum intelligatur de causis majoribus, referenda ad Sedem Apostolicam, et ab ea postulanda, *consuetudine non obstante contraria*. II. Ut in regionibus *remotis* (adeoque et in Germania) Episcopus senio, aut valetudine corporali gravatus, vel etiam alias adeo impeditus perpetuo, ut officium suumnequeat exercere, possit de sui consilio et assensu capituli, vel majoris partis ipsius, unum vel duos auctoritate Apostolica Coadjutores assumere ad dictum Officium exequendum. III. Si Episcopus demens fuerit, et, quid velit aut nolit exprimere, nesciat vel non possit: tunc ejus Capitulum vel *duæ ipsius partes* eadem auctoritate unum aut duos Coadjutores assumat idoneos, qui ejus officium exequantur. Hunc tamen ipsum casum demetriæ Capitulum ad Sedem Apostolicam referre debat; uti constat ex verbis sequentibus. IV. Si autem Episcopus senio aut incurabili morbo gravatus, vel perpetuo impedimento detentus, ad sui executionem officii reddatur inutilis; et Coadjutorem assumere vel habere noluerit, licet a Capitulo requisitus proprio, se illius non indigere suffragio forsitan asserendo: tunc nil per Capitulum innovetur, sed hoc casu, et etiam proximo (id est, proximæ præcedenti, ut explicat glossa; alius enim casus in Decretali non sequitur) idem Capitulum Episcopi et Ecclesiæ suæ conditionem et statum, ac facti circumstantias universas, quam cito poterit, fideliter et

explicet *referat* ad notitiam dictæ Sedis. Hæc Relatio in hac causa, uti et aliis majoribus universis, non fit novitatis gratia Pontifici narrandæ; hinc additur: *Recepturi humiliter et efficaciter impleturi, quod super hoc per Sedem ipsam contigerit ordinari* (*b*).

(*l*) Hanc Decretalem in odium RR. Pontificum, et contra usum reservandi causas majores explicare satagens Febronius imperite ait; *Datio Coadjutoris cum futura successione serius inter causas majores numerata est.* Profecto non agitur hic de Coadjutore cum jure successionis, quia in eadem Decretali Coadjutor de ges a administratione dicitur rationem redditurus non solum in districto examine (divini Judicis) et Prælatis eisdem (coadjutis), si sanæ mentis extiterint, ac Capitulis eorundem, sed etiam ipsorum Prælatorum successoribus, si hoc Coadjutor antea non fecerit. Agit ergo Decretalis de Coadjutore tantum temporali, nec eadem ad Germaniam omnino pertinet; quia pro remotis partibus jus et facultas dandi Coadjutorem potius extenditur, quam restringitur. Datio Coadjutoris cum jure successionis per antiquissimos jam Canones vetita erat perinde. ac omnis species successionis hæreditariæ in Ecclesia. Per se ergo pertinebat ad eum privative, qui in Jure communi dispensare potest.

§. 115. Forma assumendi Coadjutorem cum jure successionis consistit in his: 1. Ut regulariter consentiat coadjutus, præsertim si Coadjutor non detur ad administrationem. 2. Ut consentiat Capitulum saltem in Germania; cujus juribus ad electionem per Concordata firmatis Pontifex non vult præjudicare (*c*): Capitulum tamen Coadjutorem non proprie eligit, nec ad formam electionis adstringitur; consensum tamen suum, utpote in re gravissimi momenti, ponit capitulariter, id est, omnibus vocatis, capitulariter congregatis, et per plura suffragia consentientibus. 3. Pontifex de hoc consensu

certior redditus a Capitulo, cognoscit causam necessitatis, aut evidentis utilitatis, examinat qualitates coadjuti, uti Tridentinum præscribit §. 113. totumque negotium sua auctoritate perficit.

(c) Imperatores in capitulat. Art. 14. promittunt, se conaturos apud S. Sedem, nequid contra Germaniæ Concordata per Coadjutorias Prælaturarum electivarum agatur.

§. 116. Jura Coadjutoris; qui assumtus est ad administrationem; et adjuvandum Prælatum, consistunt potissimum in his: I. Ejus potestas tanta est, quam requirit conditio coadjuti, et literæ Apostolicæ. Regulariter potest omnia, ad quæ inutilis est coadjutus, excepta nominatim alienatione bonorum ecclesiasticorum. c. un. h. t. in 6. II. ib. deciditur, eidem pro modo administrationis congruos reditus ex bonis Ecclesiæ assignandos esse. III. Quando munere Prælati fungitur, eadem prærogativa ei debetur in Ecclesia, quæ competit coadjuto, ita tamen, ut hic semper præferatur suo Coadjutori. Relate ad extraneos distinguendum est inter functiones; in his enim aliquando spectatur qualitas personales, ceu ætas Ordinationis, aliquando ipsa dignitas. Extra hunc casum in aliis functionibus cogitandum est, Coadjutum fulgere radiis propriis, Coadjutorem alienis.

§. 117. Coadjutor assumtus ad meram successionem non ex concessu Capituli, sed ex auctoritate Pontificis jus acquirit, non quidem in actu secundo, sed in habitu, ac interim suspensum, donec eveniente vacatione efficiatur jus plenum et efficax absque alio ministerio, aut facto hominis. Emolumenta ex Coadjutoria regu-

lariter exigere non potest, nisi ob speciales rationes ipsi per Sedem Apostolicam super reditibus Prælaturæ pensio constituatur.

TITULUS VII.

DE INSTITUTIONIBUS.

ARGUMENTUM.

I. Diversa passim nominetur institutio. §. 118
II. Authorizabilis detur a solo Episcopo. §. 119
III Corporalis non fit facto proprio. §. 120.

§. 118. Distinguendi in primis sunt diversi actus, qui in ecclesiastico beneficio *plene acquirendo* contingunt. *Institutio* I. latissime sumitur pro quovis modo canonico beneficium ratione quadam acquirendi. §. 83. II. Est alia institutio *collativa tituli*, seu juris *in re*, nempe in beneficio, atque hæc aut fit ad præviam præsentationem vel nominationem patroni laici vel ecclesiastici; ac tum appellatur collatio *non libera*; aut fit ab Episcopo, aut inferiore persona vel communitate ecclesiastica, cui jus conferendi beneficium competit. §. 84. n. II Atque vocatur *collatio libera.* III. In beneficiis, quibus cura animarum incumbit, si a quovis inferiore collata sunt etiam proprie et in titulum pro hac cura obtinenda recurrendum est ad Episcopum; qui præmisso examine, aut si alias idoneum judicet eum, cui beneficium collatum est, concedendo curam animarum dicitur dare *institutionem authorizabilem*; quæ est *auctoritas ab Episcopo data in oves*, seu *commissio regendi.* Differt ergo institutio authorizabilis ab institutione collativa tituli facta per inferiorem Episcopo: differt eadem etiam ab *approbatione* pro audiendis confessio-

nibus; quæ illis necessaria est, qui beneficium curatum non habent. Trid. Sess. XXIII. c. 15. de ref. IV. Alia est institutio *corporalis* seu, *corporalis immissio, possessionis datio vel apprehensio*; atque hæc de jure scripto tribuitur ab Archidiacono, hodie ex consuetudine a Commisssariis Episcopi, Decanis ruralibus, aliis. Hæc institutio corporalis a multis vocatur *investitura*. At enim secundum quosdam Canones investitura differt a corporali immissione. c. *Pro illorum*. 22. de Præbend. c. *Proposuit*. 4. de Concess. præb. Sane etiam in jure Feudorum investitura feudi differt a traditione et adeptione corporalis possessionis. Est enim investitura feudi nil aliud. quam solemnis concessio feudi, quæ in ipso contractu intervenit, et sine traditione possessionis subsistit, adhibita imaginaria symboli traditione. Sic investitura beneficii olim per annulum fieri solita est, more deducto a jure Feudorum (*a*).

(*a*) Conf. Franc. Florens de Præl. et dign. p, 310.

§. 119. Institutio authorizabilis ita competit Episcopo, ut non videatur ab inferiore acquiri posse ulla consuetudine aut præscriptione; quia in iis, quæ absurda sunt, et a SS. PP. institutionibus aliena, locum non habet consuetudo aut præscriptio: at istiusmodi est, si inferior Episcopo det curam animarum, aut institutionem authorizabilem. c. *cum satis sit absurdum*. 4. de offic. Archid. can. *Nullus*. 11. XVI. q. 7. can. *Regenda*. 4. X. q. 1. SS. Concilium Trid. Sess. VII. c. 13. de ref. excludit in hac re *prætextum cujusvis Privilegii*, *seu consuetudinis*, *etiam ab immemoriali tempore præscriptæ*. Una ergo exceptio videtur relinqui, ut curam committere possit is, qui habet jurisdictionem quasi Episcopalem in

territorio exemto, aut qui novis ac singularibus privilegiis est munitus.

§. 120. Institutio corporalis fieri debet modo per Canones, aut legitimam consuetudinem præscripto. c. *ad haec* 7. §. 5. de offic. Archid. Nemo autem propria auctoritate possessionem beneficii apprehendere potest; ac si *Electus* id faciat ante confirmationem, eo ipso privatur omni jure per electionem quæsito. c. *Avaritiae.* 5. de Præb. in 6. Idem fit, siquis *vi* occupat beneficium quodcunque, aut *se scienter injuste intrudit in eo*, id est, cum sciat, sibi nullum jus in beneficio competere. c. *eum*, *qui.* 18. eod. in 6.

TITULUS VIII.

DE CONCESSIONE PRÆBENDÆ, ET ECCLESIÆ NON VACANTIS.

ARGUMENTUM.

I. Quae et quotuplex sit vacatio beneficii. §. 121. *II. Qualis requiratur, ut possit conferri* §. 122. *III. Promissio beneficii non vacantis.* §. 124. *IV. De tempore conferendi beneficia vacantia remissive.*

§. 121. *Vacare* dicitur beneficium multiplici modo: I. de facto tantum, de jure tantum, de jure et facto, uti beneficium caret Possessore tantum, aut proprietario tantum, aut utroque. *De facto tantum*, si is, cui verum jus in beneficio competit, necdum ejus possessionem cepit, aut inde vi expulsus est. *De jure tantum*, si quis titulum beneficii vel Ecclesiæ perdidit e. g. ex

sententia, vel acceptatione beneficii incompatibilis. *De jure et facto simul*, si neque jus, neque possessio beneficii penes aliquem est, quæ est propria et plena vacatio. II. *Vere* vacat beneficium: si neque jus, neque possessio, aut saltem si jus et titulus nemini jam competit, uti fit in obitu Episcopi, in renuntiatione simplici, privatione, depositione: *ficte*, quando beneficiatus e. g. Episcopus quoad Ecclesiæ suæ administrationem haberi potest, tanquam mortuus; uti si captus detinetur: si ob amentiam, aliudve impedimentum perpetuum vel diu durans inutilis est ad regendam Ecclesiam, vel regimen alteri committendum (*a*), aut si Episcopo in remotis locis diu abfuturo, Vicarius ab ipso relictus moriatur, vel excommunicetur. III. Dicitur etiam beneficium vacare *certo loco*, e. g. in curia; quod propter reservationes notandum est. Regula videtur statuenda hæc: Beneficium censetur vacare illo loco, in quo contingit factum, ex quo intelligitur secundum Canones vacatio beneficii (*b*).

(*a*) c. *Inter corporalia*. 2. §. 2, de Transl. Episc. ibi: *Juxta communem modum loquendi illa dicitur Ecclesia viduata, quæ, licet Episcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere.*

(*b*) Conf. Leuren. For. Benef. P. III. q. 25. seq.

§. 122. Beneficium vacans de jure tantum (multoque magis vacans de jure et facto) potest alteri conferri, imo debet intra præfixum tempus sub pœna devolutionis. Non tamen concedi potest ejus possessio, non citato et audito priore Possessore. c. *Licet Episcopus*. 28. de Præbend. in 6. Literæ ad beneficium impetratæ, si id vacet de jure tantum, nec in iis fiat mentio de colorata alterius possessione, non valent. c. *Cum*

nostris.6.Secus est, si possessio nequidem colorata, penes alium sit; uti fit, cum vacat beneficium ex adeptione secundi incompossibilis. c. *Literas*. 9. Universe qui impetrare vult beneficium, exprimere debet, et quod vacet, et quo modo vacet. Expresso autem uno vacationis modo e. g. per obitum, non venit alius e. g. per resignationem (*c*).

(*c*) Leuren. cit. P. III. q. 5.

§. 123. Concessio beneficii non vacantis (vel de facto tantum vacantis) graviter prohibita est, et irrita. c. 1. et 2. h. t. c. *consultationibus*. 4. de Donat. ubi additur exceptio: nisi ejus concessio fiat locis religiosis, sine præjudicio tamen viventis beneficiati. Vacatio ficta aut interpretativa non sufficit, nec validam reddit beneficii concessionem.

§. 124. Promissio beneficii non vacantis de jure, nulla est penitus hodierno jure. Olim enim vigebant gratiæ exspectativæ. Varii postea prohibitionis gradus facti sunt. I. Concilium Lateran III. statuit: *Nulla ecclesiastica ministeria seu etiam beneficia vel Ecclesiae tribuantur alicui seu promittantur, antequam vacent. Ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum et beneficium se crediderit successurum.* II.Hæc ratio pertinere maxime videbatur ad promissionem beneficii *determinati*, non vacantis; verum Innocentius III. id etiam explicavit; vel extendit ad beneficium vacaturum quodcunque *indeterminatum*. c. *Dilectus*. 19. de Præbend. c. *Accedens*. 14. h. t. III. Idem tamen Innocentius III. cit. c. 14. ait: aliud est, *Praelatum promittere collationem beneficii, cum poterit*; *aliud, cum vacabit*; hoc posterius fieri posse negat; illud prius concedit; *cum in multis*

casibus se facultas offerre posset, in quibus collatio non esset in exspectatione vacaturi beneficii differenda (*d*). Verum Bonifacius VIII. c. *detestanda*. 2. h. t. in 6. istuc etiam prohibuit, nullumque esse jussit. Atque hoc jure utimur. Neque id tantum ad Collatorem beneficii pertinet, verum etiam ad Patronum, qui jus præsentandi habet.

(*d*) Glossa in cit. c. 14. enumerat hos casus. Fieri potest, ut aliquis beneficio privetur: ut renuntiet: ut de una præbenda fiant duæ, si facultates augeantur ex testamento vel donatione.

§. 125. Post Decretalem Bonifacii VIII. SS. Concilium Trid. Sess. XXIV. c. 19. de ref. sustulit omnes gratias exspectativas, et reservationes mentales et alias quascunque gratias ad vacatura beneficia, indulta etiam ad alienas Ecclesias vel Monasteria alcui, etiam ex S. R. E. Cardinalibus concedenda (*e*). Hoc Decretum non intelligitur I. de primariis Precibus Imperatoris; quia is non nominatur; cum speciali nota sit dignus; uti nominantur Cardinales, qui et ipsi speciali nota digni sunt. II. Non pertinet ad morem Ecclesiarum Cathedralium, vel Collegiatarum, vi cujus assumunt quosdam in canonicos; sed ob accisos reditus senioribus tantum provident. III. Legitima consuetudine jam introducta, assumi possunt Canonici quidam *expectantes*, ut in Diœcesi Constantiensi. Extra casum legitimæ consuetudinis Canonicus ultra præstitutum numerum contra prohibitionem Concilii Trid. assumtus prætendere non potest jus ad proximam vacaturam præbendam (*f*). IV. Neque Decretum Trident. extenditur ad coadjutorias cum jure successionis.

(*e*) Reservatio mentalis, quam ipse Papa abdicavit in Concilio, erat, quando is beneficium aliquod in gene-

re, vel in specie sibi reservabat, ut personæ gratæ, quam non exprimebat, sed in mente retinebat, suo tempore conferretur. Olim indultum conferendi beneficia vacatura, erat validum; uti colligitur ex c. *Constitutus* 11. h. t.

(*f*) Memorabile est, quod deciditur c. *Ex parte* 10. h. t. nempe in Ecclesiis non numeratis vacationem præbendarum, seu canonicatuum possibilem non esse; ut proinde nec devolutio ex negligentia semestri in non providendo ibi locum habeat.

§. 126. Quod interpretes quidam ad hunc titulum congerunt *de tempore*, *intra quod beneficia conferri debent*, id necessario præoccupavi Lib. I. Decretal. §. 276. ubi animadverti, id tempus *utile* esse in initio, et decursu; quo pertinet c. *Quia diversitatem*. 5. et. c. *Post electionem*. 7. in part. decis. h. t. De *Jure Devolutionis* proprius est agendi locus pariter Lib. I. Decret. de suppl. negl. Præl. Id autem non extendi ad Archiepiscopatus et Episcopatus, deciditur c. *dilectus*. 12. h. t. De casu, quo collatio beneficii ad Episcopum, et Capitulum simul pertinet, distingui debet, utrum Episcopus Capitulo intersit, uti Prælatus, an ut Canonicus; priore casu a Capitulo non fit devolutio ad Episcopum; quia et ipse censetur negligere; at fit casu posteriore. Sic deciditur. c. *Postulastis*. 15. h. t.

TITULUS IX.

NE SEDE VACANTE ALIQUID INNOVETUR.

ARGUMENTUM.

I. Quando vacatio Sedis incipiat: quando desinat. §. 127. *II. Pro casu Sedis vacantis SS. Canones provident, et cavent.* §. 128. *III. Regula de juribus Capitulorum Sede vacante* §. 129. *IV. Exceptiones.* §. 130. *V. Exempla Regulæ et Exceptionum.* §. 131.

§. 127. *Sedes* refertur ad Ecclesias cathedrales, collegiatas, et Regulares: *Vacatio* ad veram, et fictam, seu interpretativam. §. 121. n. II. Nam vacare Sedem hoc loco idem est, ac viduari Prælato, et carere proprio defensore. c. fin. h. t. Atque ex hoc intelligitur, quando vacatio incipiat. *Cessat* autem *ficta* vacatio cessante impedimento Prælati, aut quando per Apostolicam Sedem quidpiam pro eo casu ordinatum fuerit. *Vera* vacatio cessat per confirmationem novi Prælati, et in illis Ecclesiis, quarum provisio fit in curia Apostolica, quoad administrationem capituli tunc cessat, quando confirmatus literas Apostolicas Capitulo in Originali exhibuerit. Extrav. 1. de Elect. int. comm. Agitur autem hic maxime de Sede *Episcopali* vacante.

§. 128. Quia potestas Prælatorum, et Episcopalia jura in bonum subditorum potissimum instituta sunt; hinc pro casu vacantis Sedis provisum fuit *primo*, ut de creando Prælato novo habeatur cura: interim vero administratio Episcopalium jurium, quantum necesse est, continuetur. *Secundo* quia autem ea administratio fit quodammodo ab alienis, et Ecclesia tunc proprio

defensore caret; præcaveri debuit, *ne Sede vacante aliquid innovetur*, per quod scilicet prior status mutetur, et Ecclesia vacans detrimentum incurrat. Ex his deducitur Regula, et Exceptio de administratione jurium Episcopalium pro casu Sedis vacantis.

§. 129. *Regula* est: Capitulum Cathedrale Sede Episcopali vacante administrare et exercere potest ea omnia, quæ ad ordinariam Episcopi potestatem et officium pertinent. Nam Decretales Pontificum per se sumunt, ac declarant, nomine *Ordinarii* venire æque capitulum Ecclesiæ vacantis, ac ipsum Episcopum Sede plena (*a*). Dein Capitulum Sede vacante in spiritualibus ac temporalibus administrare dicitur. c. *Si Episcopus* 3. et c. Ecclesiæ cathedrali. 4. de suppl. negl. Prael. in 6. In Germania quidem administratio et exercitium jurium Episcopalium vacante Sede Capitulo firmatur per Leges Imperii. Inst. P. O. Art. V. §. 17. Ceterum ea, quæ ad Ordinarium regimen ecclesiasticum pertinent, Capitulum exercet non per suffragia et actum capitularem, sed per Vicarium, quem infra octo dies post devolutam ad se administrationem constituere, vel confirmare debet. Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 16. de ref.

(*a*) Extrav. un. Joann. XXII. de Præb. ibi: *Ordinarios intelligimus — Episcopos, — vel Ecclesiis Cathedralibus vacantibus Capitula eorundem.*

§. 130. *Exceptio* a regula est: Capitulum Sede vacante exercere non potest ea, 1. per quæ status prior Ecclesiæ vel diœceseos mutatur, aut futuro Prælato præjudicium infertur. 2. Quæ Episcopo jure tantum extraordinario, vel ratione di-

gnitatis aut ordinis Pontificalis competunt, aut 3. ei specialiter sunt reservata, consequenter Capitulo per Canones prohibita.

§. 131. *Exempla datae Regulae* sibi propositurus expendere potest singularia capita, ad quæ amplissimam potestatem Episcopalem reduxi Lib. I. Decret. de officio Jud. Ord. a §. 521. Ac. I. *Functiones Pontificales* Capitulum alteri Episcopo demandare potest. II. Circa *ordinationem Cleri* Capitulum instituit præsentatos ad beneficia: confirmat, vel infirmat electiones Abbatum. c. *Cum olim.* 14. de M. et O. Capitulum confert beneficia, quorum collatio alias ad Episcopum, ut Prælatum, et Capitulum communiter spectat. c. un. h. t. in 6. Si collatio beneficii ad aliquem pertinet cum consilio Episcopi facienda, hoc mortuo non debet collatio differri. ibid. §. 2. III. Circa *modum regiminis Episcopalis* exercendi, Capitulum visitare potest diœcesin: exercet jurisdictionem Episcopi non tantum contentiosam et necessariam, sed etiam voluntariam et gratiosam, modo ea sit Episcopo propria et ordinaria: absolvit ab excommunicatione, quando Episcopus poterat absolvere. c. un. de M. et O. in 6. IV. Circa *res temporales et regimen oeconomicum* ad Capitulum pertinet administratio bonorum et redituum, tum qui titulo aliquo spirituali Ecclesiæ obveniunt, tum eorum, qui ex superioritate temporali, collectis, nundinis, monopoliis, aliisque juribus regalibus profluunt. Huc etiam pertinet regimen *Politicum* in locis, ubi Episcopi sunt Principes Imperii. Sic in Germania Capitulum vacante Sede gaudet jure suffragii in Comitiis Imperii et circulorum, Pace Westphalica confirmato. Inst. P. O. Art. V. §. 21. Exercet superioritatem territorialem cum omnibus annexis Regalibus; fert leges territoriales po-

liticas etiam juri communi adversas: cudit monetam nomine Ecclesiæ suæ: constituit judices etiam criminalium causarum: dat veniam vitæ reis facinorosis: legitimat proles ad effectus civiles, conducit milites etc.

§. 132. Exceptiones a regula exemplis maxime illustrandæ sunt. Sic enim casus omnes ad regulam pertinentes certius intelligentur; quia exceptio firmat regulam in contrarium. Excipiuntur ab administratione Capituli I. *ea, per quae status prior Ecclesiæ vel Diœceseos mutatur, aut futuro Praelato praejudicium infertur.* Hinc Capitulum non potest alienare bona et jura Ecclesiæ. c. 1. h. t. nec bona mensæ Episcopalis transferre ad mensam Capituli: nec litem super Ecclesiæ bonis inchoare, aut inchoatam prosequi. c. fin. h. t. nec potest canonicatum vel præbendam supprimere; uti satis colligitur ex Conc. Trid. Sess. XXIV. c. 15. de ref. Ipsa Rubrica hujus tituli est generalis, vimque Canonis habet, quamlibet mutationem status prioris, et quodvis Prælati præjudicium prohibentis.

§. 133. Excipiuntur II. ea, *quae Episcopo jure tantum extraordinario, aut ratione dignitatis Pontificalis competunt.* Capitulum ergo non succedit Episcopo in jurisdictione contra exemtos, contra quos ille tantum ut delegatus Sedis Apostolicæ procedere potest: nec succedit in usu privilegiorum, quæ Episcopo ob Pontificalem dignitatem concessa sunt. Istiusmodi censetur usus altaris portatilis. c. fin. de Privil. in 6. Celebratio divinorum tempore interdicti. c. *quod nonnullis.* 25. de Privileg. Libera electio confessarii. c. fin. de. Pœnit. et Remiss. Mitigatio censurarum contra Episcopos ferendarum. c. *quia Pontificali.*

2. de offic. del^g. Conformitas Capellani in celebrando divino officio. Clem. fin. de Celebr. Missar.

§. 134. Excipiuntur III. *ea*, *quæ Episcopo specialiter sunt reservata*; qualia sunt beneficia ad liberam solius Episcopi collationem spectantia. Hæc enim vacante Sede Episcopali conferre non potest Capitulum. c. 2. h. t. etsi Episcopus in iis conferendis consilium vel assensum sui Capituli alias requirere debeat. c. 1. §. 1. h. t. in 6. Nec Capitulum dare potest dimissorias intra annum a die vacationis, si subditi diœcesani non sint arctati ratione beneficii recepti, vel recipiendi. Concil. Trid. Sess. VII. c. 10. Sess. XXIII. c. 10. utrinque de ref. Specialiter etiam Episcopo reservata censetur degradatio Clericorum, cognitio summaria de gratiis Sedis Apostolicæ, cognitio in causa asyli etc.

TITULUS X.

DE HIS, QUÆ FIUNT A PRÆLATO SINE CONSENSU CAPITULI.

TITULUS XI.

DE HIS, QUÆ FIUNT A MAJORI PARTE CAPITULI.

ARGUMENTUM.

I. Canonici unde dicti sint. §. 135. *II. Qui Capitulares: Notio Capituli.* §. 136. *III. Jura Episcopi in Capitulum: Necessitas exquirendi Capituli consilium vel consensum.* §. 137. *IV. Institutio Capituli.* §. 141. *V. Quis actus Capitularis.* §. 143.

§. 135. Tractant his binis titulis Interpretes de Canonicis Ecclesiarum Cathedralium maxime,

tum etiam Collegiatorum et Regularium, eorumque juribus et actibus tam communibus ipsorum; et Prælati, quam propriis. *Canonici* primo dicti sunt a *Canone*, seu matricula Ecclesiæ, cui inscripti erant ob jus percipiendi ex illa Ecclesia oblationes, et stipendia. Alii enim Presbyteri sustentationem accipiebant a privatis vel Magnatibus, in quorum Oratoriis deserviebant. Seculo VIII. Canonici sunt appellati ex communitate, in qua degebant secundum regulam Chrodegangi Metensis Episcopi, ex SS. Canonibus concinnatam Postmodum dissoluta communitate vitæ præcipui quidam Clerici, Ecclesiis adscripti ad certas functiones spirituales cum jure percipiendæ præbendæ, auctoritate ecclesiastica in unum corpus redacti sunt, ut haberent *Canonicam*, seu jus stalli et participationem divinorum inter suos, ac *Præbendam*, seu jus percipiendi proventus ecclesiasticos ex communi massa præbendos. Id tamen jus in quibusdam Ecclesiis post concessam jam Canonicam ad aliquot annos differtur, consuetudine derogante juri scripto. c. *dilectus.* 19. v. *videtur indignum*. de Præb. et dign.

§. 136. Sunt *Canonici Ecclesiæ Cathedralis*, et *Collegiatæ*: sunt *Seculares*, et *Regulares*. At præterea in eadem Ecclesia alii dicuntur *Capitulares*, *alii non Capitulares*; sicut enim non omnes ejusdem Ecclesiæ Clerici sunt Canonici; ita non omnes Canonici constituunt Capitulum, nec jus suffragii in Canonicorum conventu habent. Per Capitulum hic intelligitur *Collegium Canonicorum, qui sacro ordine insigniti, præbenda et jure suffragii in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata gaudent* (*a*). Sive Capitulum est *Collegium Capitularium Ecclesiæ cujusdam cum suo capite or-*

dinatum pro tractandis negotiis ad statum et disciplinam Ecclesiæ pertinentibus. Si Capitulum restrictum est ad certum ac determinatum numerum Capitularium, ut e. g. non ultra XII. aut XXIV. esse possint Capitulares, tum vocatur *clausum.* Si vero determinatus non est Capitularium numerus, sed nunc major, nunc minor; quia quivis Capitularis, quamprimum debitas qualitates habet, nempe ætatem, ordines, residentiam, mox ad Capitulum adspirare potest, vocatur *non clausum.*

(*a*) Ad jus suffragii in Capitulo obtinendum requiritur Subdiaconatus. Clem. 2. de ætat. et qual. Præf. SS. Concil. Trid. Sess. XXII. c. 4. de ref. Canonici Domicellares non tantum jure suffragii destituuntur, sed nullas habent, aut perexiguas præbendas, nunquam autem Capitulares, aut sic dictas majores. Ceterum etiam Capitulares non semper fructibus æquales sunt; quia Seniores ex oblegiis, certis decimis, similibusque obventionibus sæpe majores percipiunt reditus. De Capitulis clausis extat Dissertatio in Thes. Jur. Eccl. T. III. Num. V.

§. 137. Capitulum ergo constituunt Canonici Capitulares cum suo Decano, qui illius caput est. Capitulum Ecclesiæ Cathedralis exprimitur nomine *Majores Ecclesiæ* (*b*), et conficit Senatum Ecclesiæ, quem Episcopus, si non agatur de re ad suum vel suorum commodum spectante, convocare, ejusque vota exquirere potest. Concil. Trid. Sess. XXV. c. 6. de ref. In eodem Concilio Sess. VI. c. 4. de ref. Episcopo tribuitur jus capitula Cathedralium et aliarum majorum Ecclesiarum toties, quoties opus fuerit, visitandi, corrigendi, et emendandi, etiam auctoritate Apostolica. Hoc decretum, non obstantibus querelis Capitu-

lorum quorundam Germaniæ, in Sess. XXV. c. 6. de ref. confirmatum fuit, et certo modo temperatum pro casu, quo Episcopus contra Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegiatæ, ex officio vel ad petitionem alicujus procedit *extra visitationem.* Ibidem additur: *Episcopi præterea ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est: eisque in choro et in capitulo, in processionibus, et aliis actibus publicis sit prima sedes, et locus, quem ipsi elegerint, et præcipua omnium rerum agendarum auctoritas. — — Cæteris autem in rebus Capituli jurisdictio et potestas, siqua eis competit, et bonorum administratio salva et intacta omnino relinquatur.*

(b) Exemplum extat. c. *Tua nuper.* 8. h. t. ubi dicitur, quod Episcopus sine assensu *majoris Ecclesiæ* non possit Cænobiis, vel aliis Ecclesiis conventualibus donare Ecclesias, etsi ad illas pertineat jus patronatus. Aliud exemplum extat. c. *Cum clericis.* 19. de V. S. Siquis jurat obedire Prælato et Ecclesiæ, hoc nomine *Ecclesiæ* non intelligitur totus Clerus diœcesanus, sed Capitulum. Ubi additur: *Is tamen, qui præstat hujusmodi juramentum, Episcopo tanquam capiti principaliter obligatur.* Nam principale caput Capituli est Episcopus, qui cum Capitulo repræsentat totam Ecclesiam, seu unum corpus. c. 4. h. t.

§. 138. *In exquirendo a Prælato Capituli consensu vel consilio*, (quæ res proprie ad hunc titulum pertinet) plurimum valet legitima consuetudo. c. *Non est.* 3. de Consuet. in 6. Sufficit etiam, si Prælatus *consilium* petat *a saniore parte.* c. 5. h. t. Quando *consensu*, non solo consilio opus est, satis est, si is postea superveniat. c. 3. h. t. et c. *contingit.* 3. de Transact. Consensus *tacitus* sufficit in concessione beneficiorum, quæ

ad Prælatum et Capitulum simul spectat, et a Prælato solo, tacente Capitulo facta est (c). Præsentatio tamen ad Abbatem et Monachos simul pertinens, si a solo fiat Abbate, dicitur non tenere. c. 6. h. t.

(c) In hanc sententiam explicatur c. 2. h. t. in singulari dissertatione, quæ continetur in Thesauro Jur. Eccl. T. V. Num. X.

§. 139. His præmissis Prælatus in negotiis majoribus, magisque arduis tenetur uti consilio sui Capituli, non autem eo omisso *aliorum Clericorum et laicorum circa ipsum commorantium.* c. 4. et 5. h. t. ceu in instituendis aut destituendis Abbatibus, in confirmandis electionibus. c. 4. et 5. h. t. in censuris ferendis contra Presbyteros c. 1. de Excess. Præl. Ex præscripto Concilii Trid. *in Decretis reformationis* Episcopus assistentia duorum ex Capitulo indiget, 1. si contra Canonicos extra visitationem procedit. Sess. XXV. c. 6. 2. In commutatione piarum fundationum. Sess. XXV. c. 8. 3. In publicatione indulgentiarum pro dantibus eleemosynas. Sess. XXI. c. 9. 4. In ordinandis Seminariis. Sess. XXIII. c. 18.

§. 140. *Consensu* Capituli, non merum consilium in iis requiritur, quæ præjudicium Ecclesiæ, Prælato, vel Capitulo et Prælato simul afferunt. Istiusmodi sunt alienatio rerum immobilium, vel mobilium pretiosarum. c. 1. h. t. c. *Fraternitatem.* 2. et c. *Pastoralis.* 7. de Donat. Ecclesiarum unio vel suppressio. c. 8. h. t. Concessio Ecclesiæ, ut in monasterium convertatur. can. *Si Episcopus.* 73. XII. q. 2. et c. 9. h. t. Impositio pensionum, quas una Ecclesia solvere de-

beat alteri, excedentes quinquagesimam partem proventuum. c. *Apostolicæ.* 9. de Donat. Contractus mutui, aliave conventio, qua obligatur Ecclesia. c. *Quod quibusdam* 4. de Fidejuss. et c. *Si quorundam.* 2. de Solution. Assumptio Coadjutoris §. 114. 115. Mutatio in numero Canonicorum, aut dignitatum augendo, vel minuendo. arg. c. 8. de Constit. c. fin. de V. S.

§. 141. In his, quæ de Capitulo dicta sunt, dum consensum præstat Prælato in negotiis arduis, aut quando propria tractat negotia, a rationibus Episcopi seperata, duo sumuntur. *Primo* Capitulum esse legitima auctoritate institutum: *Secundo* actum, quo is consensus præstatur, aut quo negotia Capituli expediuntur, esse capitularem ac legitimum. Atque hæc duo ad Tit. XI. hujus libri proprie pertinent.

§. 142. Pro instituendo igitur Capitulo Auctoritas Ecclesiastica requiritur. Neque enim Clerici alicujus Ecclesiæ ipsi suo arbitrio et pacto in unum corpus, ac legitimum collegium coire possunt. Secus non Capitulum, sed factio, et collegium illicitum est. conf. Lib. I. Decret. §. 511. n. III. Adde. c. *Dilecta.* 14. de Excess. Præl. et L. 1. §. 1. D. Quod cujusque universitatis. ibi: *Quibus autem permissum est, corpus habere collegii, societatis, sive cujusque alterius eorum nomine: proprium est ad exemplum Reipublicae, habere res communes, arcam communem, et Actorem sive Syndicum, per quem, tanquam in Republica, quod communiter agi, fierique oporteat, agatur, fiat.* Præter Syndicum, commune ærarium, et communem rem vel negotia communia, Capitulo etiam competit *jus sigilli.* cit. c. *Dilecta.* et c. *Tertio* 5. de Probat. c. *Significa-*

vit. 48. de Appellat. Porro ad Capitulum primo instituendum saltem tres requiruntur. L. *Neratius*. 85. D. de V. S. Duo autem sufficiunt ad institutum. c. 1. de Elect. Imo illius jura etiam in uno perseverant. L. 7; in fin. D. Quod cujusque Universitatis.

§. 143. Ut dein actus, qui ad expedienda Capituli negotia requiritur, censeatur *capitularis*, necesse est I. ut Capitulum sit legitime congregatum. Nam separatim per singulos acta; non censentur acta per Capitulum. c. *In Genesi*. 55. de Elect. Vocandi autem sunt more in quavis Ecclesia usitato, singuli in loco præsentes, imo in quibusdam casibus etiam absentes (*d*). II. Suffragia libera esse debent. c. *Quisquis*. 43. de Elect. nec per simoniam obtenta. c. *Nobis*. 27. de Simonia. III. Pro exitu negotii regulariter requiritur et sufficit consensus majoris et sanioris partis præsentium. c. 1. et 3. de his, quæ fiunt a maj. Major autem pars censetur sanior, nisi de pravo illius animo probatio fieri possit Superiori. Habita majore et saniore parte negotium per appellationem impediri non potest. cit. c. 3. eod. IV. Quamvis autem in negotiis, quæ peculiare singulorum præjudicium continent, singulorum consensus requiratur per c. 29. de R. J. in 6. tamen ut Canonici ad reparandam Ecclesiam Cathedralem redituum partem ab eadem Ecclesia provenientium conferre debeant, sufficit consensus partis majoris. c. fin. h. t. Atque hoc videtur extendi debere ad quamvis causam, quæ in utilitatem ejusdem Ecclesiæ cedit.

(*d*) Uti cum facienda est electio Prælati. Lib. I. Decret. §. 296 et seq. Quando recipiendus aliquis est in Canonicum, aut facienda collatio beneficiorum. c. *Cum*

in Ecclesiis. 35. de Præbend. in 6. Quando indicenda est cessatio a Divinis. c. *Quamvis.* 8. de offic. Ord. in 6. aut denique per cit. Reg. 29. in 6 quando aliquid decernendum est in peculiare singulorum præjudicium. De canonicorum officiis et Capitulorum juribus multa aliis locis, titulisque occurrunt. Expurgari autem ex dictis quorundam idea potest, qui sibi fingunt, jura Capitulorum unice ad conservandos reditus temporales pertinere. Sane ex fine et institutione primæva pertinent ea vel maxime ad conservandum statum et disciplinam Ecclesiæ; de qua cum in Conciliis tractetur maxime, Capitulis competit jus Deputatos mittendi ad concilia provincialia. c. fin. de his, quæ fiunt a Præl. Arduum maximeque insolitum negotium Archiepiscopi Germaniæ aggressi sunt per sic dictam Punctationem Emsensem. Miror, nihil uspiam de exquisito Capitulorum consilio vel consensu memorari.

TITULUS XII.

UT ECCLESIASTICA BENEFICIA SINE DIMINUTIONE CONFERANTUR.

ARGUMENTUM

I. Diminutio sit per nova onera personalia et realia §. 144. *II. Jus Episcopi circa imponenda onera personalia* §. 145. *III. Non per quævis onera realia fit diminutio beneficii* §. 146. *IV. sed per censum novum etc. Jus eum imponendi* §. 149.

§. 144. Rubrica continet regulam prohibentem, ne beneficia, dum conferuntur, pristinis emolumentis imminuta, vel novis oneribus aucta dentur contra intentionem scilicet fundatorum, et mentem SS. Canonum. Onera quædam sunt *personalia*, quæ ipsi personæ bene-

ficiati imponuntur, eaque vel *spiritualia* e. g. si jubetur adjuvare parochum in concionibus, catechesibus, excipiendis confessionibus: alia *temporalia*, si præstare jubetur partem fructuum, censum, pensionem etc. sic tamen, ut istuc onus cum ejus vita expiret, nec ad successores transeat; secus enim onus censetur *reale*, eoque gravatur non tam beneficiatus, quam ipsum beneficium. Atque ad hæc onera temporalia, per quæ fit diminutio priorum emolumentorum, regula maxime pertinet. Ab aliis omnia onera, quæ consistunt in præstando facto e. g. ministerio sacro, nuncupantur *personalia*: quæ in præstanda re, pensione etc. *realia*. Quidquid sit, distingui debet inter onus, quod imponitur beneficiato, et cum ejus morte extinguitur: et inter onus, quod imponitur beneficio, atque ad successores transit.

§. 145. Episcopus ex gravi causa pro bono Ecclesiæ et animarum tam beneficiato quam beneficio imponere potest onus personale, idque potest non solum tempore, quo vacat beneficium, sed etiam in ipsa collatione; modo istuc onus fini per fundatorem intento non præjudicet (*a*). Exemplum habetur c. *Significatum est.* 11. de Præbend. in quo Pontifex impositionem talis oneris probavit, et confirmavit. Sed dicunt 1. In casu cit. capituli intercessit auctoritas Papæ: ergo solus Episcopus potestatem sic onerandi beneficium vel beneficiatum non habet. Ac vulgo credunt Beneficiati, se conscientiæ et obligationi suæ satis facere, si præstent onera et obsequia in literis fundationis expressa, vel per legitimam consuetudinem definita. Resp. In casu cit. c. intercessit quidem confirmatio vel approbatio Papæ, sed nihil ex-

primitur, ex quo necessitas Pontificiæ auctoritatis colligi queat. Dein in eod. c. onus non ab Episcopo, sed a Capitulo ejusque Præposito fuit impositum. Nostra autem decisio agit de Episcopo, cujus major est auctoritas, quam Capitulorum. Dicunt 2. Collatio beneficii sub conditione, onere, modo vel pacto sapit simoniam. c. fin. de Pact. Ergo sub conditione oneris personalis nequit conferri beneficium. R. d. a. Si talia pacta fiant a privatis, et onera personalia imponantur mere temporalia, pretio temporali æstimabilia, et in commodum temporale privatorum. c. a. Si onera imponantur auctoritate ecclesiastica, eaque spiritualia et in commodum animarum, vel piam causam. n. a. Hac enim ratione nihil intercedit, quod rationem pretii temporalis habere possit.

(*a*) Exemplum est, si Episcopus Primissarium alias otiosum, aut vacantem obliget ad concionem catecheticam sub primo Sacro habendam; cum homines eidem assistentes nec concionem et forte etiam nec catechesin alias audiant. Conf. Van Espen P. 2. tit. 18. c. 4. n. 31.

§. 146. De oneribus *realibus*, et præstatione census, partis fructuum etc. injuncta tum, cum beneficium confertur, notandum I. non censetur beneficium cum diminutione conferri, si illud datur cum oneribus et obligationibus justitiæ per Canones jam impositis, præstandi e. g. solitas annatas, Cathedraticum, et suo tempore subsidium caritativum. Hæ enim obligationes beneficio et beneficiato per se jam incumbunt, nec fit nova aliqua diminutio. II. Si beneficio statim initio et tempore fundationis imposita est obligatio, ex proventibus ecclesiasticis solvendi annuam pensionem in signum subjectionis, vel alterius juris; qualis annua pen-

sio eo tempore imposita vocatur census *antiquus*, non fit diminutio, si beneficium conferatur cum obligatione præstandi censum antiquum (*b*).

(b) Talis census antiquus tum perpetuus, tum temporalis imponi potest 1. a Papa in signum subjectionis vel etiam solius protectionis; aut exemtionis, arg. c. *omnis anima* 2. de cens. c. *Recepimus*. 8. de Privil. c. *Si Papa* 10. eod in 6. 2. Ab Episcopo tempore fundationis, dotationis vel consecrationis Ecclesiæ. can. *Eleutherius*. 30. XVIII. q. 2. et c. *Præterea*. 23. de Jure Patronat. c. *Prohibentus* 7. de cens. 3. A Patrono in limine fundationis cum consensu Episcopi c. *quanto*. 16. de cens.

147. E contrario cum diminutione confertur beneficium I. si Patronus, cum ad illud præsentat, aut collator, cum id confert, partem fructuum sibi, aut suis, aut mensæ suæ vel Capituli reservat; ac si de hac re paciscitur cum eo, cui confert, etiam simoniam admittit c. 6. et fin. de Pactis. II. *Si in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione vel alia provisione, sive admissione ad possessionem alicujus cathedralis Ecclesiæ, vel beneficii, canonicatuum vel præbendarum, vel partem proventum, seu ad distributiones quotidianas, certæ conditiones seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesve illicitæ, aut etiam, quæ in aliquibus Ecclesiis dicuntnr Turnorum lucra, interponantur* (*c*). III. Fit diminutio, si Episcopus in collatione beneficii obligationem imponit nuovo beneficiato, cuidam alteri solvendi pensionem annuam, sive ut appellant, censum novum. Quod an fieri possit ab Episcopo, mox discutiendum est. Vir Cl. Zechius de Jur. Eccl. Sect. III. Tit. XII. §. 179. animadvertit: Si ex reditibus pinguioris bene-

ficii subvenitur Ecclesiae pauperi vel in perpetuum, vel ad certum tempus, id non habet rationem pensionis, sed solummodo si imponatur in utilitatem cujusdam privati Cleric. Fieret tamen hoc casu dismembratio piguioris beneficii. §. 70.

(c) S. Concil, Trid. Sess. XXIV. c. 14. de ref. Ibi mandatur Episcopis, ut quaecunque hujusmodi in pios usus non convertuntur, atque ingressus eos, qui simoniacae labis, aut sordidae avaritiae suspicionem habent, fieri non permittant, ipsique diligenter de eorum constitutionibus, sive consuetudinibus super praedictis cognoscant; et illis tantum, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas ut pravas ac scandalosas rejiciant; et aboleant.

§. 148. De jure imponendi beneficio aut beneficiato censum novum, qui nempe fundationis tempore constitutus non fuit, nota 1. eum censum esse perpetuum, vel temporalem. 2. Speciem novi census esse *Pensionem*, quae relate ad Pensionarium est jus percipiendi aliquos fructus ex alieno beneficio, auctoritate legitima et justa de causa concessum. 3. Causa justa imponendi pensionem esse potest bonum pacis ad sedandas lites, alimentatio resignantis, exauctorati, a beneficio injuste expulsi: utilitas Ecclesiae; merita in Ecclesiam (*d*). Non tamen causa justa pensionis in permutatione beneficiorum ea est, quod unus cedat pinguius beneficium, et tenuius obtineat. 4. Cavendum, ut necessariae sustentationis modus non excedatur. 5. Ut constitutio pensionis initium sumat non ex pactione partium, sed ex jussione judicum ob generalem prohibitionem pactorum in re beneficiaria.

(d) Exempla extant in concil. Chalced. Act. 10. et 12. Apud S. Gregorium M. l. 2. Ind. 11. epist. 53. et l. 1. epist. 43. In ejus Vita apud Joan. Diac. l. 3. c. 16. l. 4. c. 39.

§. 149. His præmissis dicendum est: I. Censum novum *perpetuum* beneficiis aut Ecclesiis imponere nemo potest Papa inferior. Id enim repugnat juri communi. Rubr. h. t. c. *Scientes.* 3. et c. *prohibemus.* 4. de cens. Trid. l. c. II. Canones permittunt Episcopo, beneficiato imponere censum temporalem justa ex causa, non tantum morte ipsius cessaturum, sed etiam duraturum usque ad mortem Pensionarii. c. *de cetero.* 5. de Transact. ibi: *Census absque Episcopi auctoritate — solutus, vitam ejus, qui solverit, non excedat.* Unde conclusio fit argumenti a sensu contrario. Dices: c. *Nisi* 21. de Præb. de ejusmodi censu vel pensione statuitur: *Non dignitas Prioratus, sed persona Prioris maneat onerata.* At si pensio durare potest ad vitam Pensionarii, fieri potest, ut obligatio eam solvendi transeat ad successorem beneficiati; ac proin non tam ejus persona, quam beneficium censeatur onerari. Resp. 1. In cit. c. 21. id præscribitur non Episcopo, sed judicibus delegatis, qui præjudicarent juri Episcopi, si beneficium onerarent ultra vitam beneficiati. 2. Etiam tali casu censetur oneratus, solus beneficiatus, ex tali nempe causa, quæ sufficit ad onerandum ejus etiam successorem; cui censebitur de novo idem onus imponi, si forte Pensionarius adhuc vivat.

TITULUS XIII.

DE REBUS ECCLESIÆ ALIENANDIS, VEL NON.

ARGUMENTUM.

I. Necessitas Ecclesiarum habendi et conservandi bona §. 150. *II. Hinc omnibus Rubricæ verbis lata interpretatio adhibenda est.* §. 152. *III. Causa et solemnitas alienationis* §. 154. *IV. Quando fieri possit alienatio.* §. 159. *V. Remedia juris, si male facta est.* §. 160.

§. 150. Posteaquam Libro hoc tertio, qui *de Rebus Ecclesiasticis* inscribitur, de disciplina Clericorum, et beneficiis actum est, venitur ad res temporales Ecclesiarum, itemque eas, quæ ab Ecclesiis ad manus Clericorum pervenerunt. Sane interest religionis, atque adeo ipsius reipublicæ, ut Ecclesiis perpetuo suppetant sufficientia bona, ac jura temporalia, quæ ad obeundum divinum cultum, et sustentandos ministros requiruntur; interest, ne vota fidelium, patrimonium pauperum, res Dei sacrilege diripiantur, ac distrahantur; ob quod *Deus iratus animas percutit.* c. 6. nam *amico quippiam rapere furtum est*: *Ecclesiam fraudare, sacrilegium est.* can. *Gloria* 71. XII. q. 2. Interest ergo, ut resistatur *ambitiosæ cupiditati illorum præcipue, qui divinis et humanis affectati, damnatione postposita immobilia, et pretiosa mobilia, Deo dicata, ex quibus Ecclesiæ, monasteria et pia loca reguntur, illustranturque, et eorum ministri sibi alimoniam vendicant, profanis usibus applicare, aut cum maximo illorum ac divini cultus detrimento exquisitis mediis usurpare præsumunt.* Extrav. un h. t. int. comm. *Exquisita media*, quæ hic nominantur,

denotant callidas artes, per quas ad alienanda, et distrahenda Ecclesiarum bona administratores eorum vel ipsi tendunt, vel ab aliis inducuntur. Quapropter alienatio rerum Ecclesiæ generatim omnino prohibita, aut si explorata necessitatis, evidentis utilitatis, vel pietatis causa eandem exposcat, certis solemnitatibus coercita fuit, eo fere modo, quem civiles leges observant iu bonis Reipublicæ, pupillorum, minorum, aliorumque, qui sub tutela sunt. tot. tit. D. de curator. furios. dand.

§. 151. De contexenda serie SS. Canonum, per quos alienatio rerum Ecclesiæ aut prohibita omnino, aut certe arctissime restricta fuit, laborandum non est (*a*); sed curandum potius, ut ii recte intelligantur, applicenturque. I. Ergo explicanda sunt Rubricæ verba, quæ latissimam merentur interpretationem; quia de maximo Ecclesiarum favore hic agitur. II. Exponendæ sunt solemnitates pro alienatione præscriptæ. III. De alienatione male facta indicandæ decisiones et remedia juris.

(a) Can. Apost. 57. can *Non liceat.* 20. et can. *Sine exceptione* 52. XII. q. 2. c 1. 4. 5. seq. *X.* c. 1. et 2. in 6. Clem. 1. et Estrav. un. het. int. com. SS. Conc. Trid. Sess. XXII. c. 11. de ref. In Septimo Decret. l. I. tit. 7.

§. 152. Rubrica agit de rebus Ecclesiæ, non de ipsis Ecclesiis, quæ proprie alienari non possunt; quia in alicujus dominio non sunt. Ecclesiarum autem nomine loca sacra et religiosa veniunt, ceu monasteria. Clem. 1. et Extrav. *Ambitiosæ.* h. t. int. comm. *Res* Ecclesiarum hic intelliguntur *immobilia*, et *pretiosa mobilia.* cit. Extrav. §. 150. Immobilibus æquiparantur jura incorporalia, decimæ, ususfructus, hypothecæ,

servitutes immobilibus, adhærentes, loca montium, census annui, nomina debitorum, actiones. c. 1. et 2. in 6. et l. fin. C. de rebus alien. non alienand. Mobilia *pretiosa* æstimantur vel ex *materia*, ceu aurum, margaritæ, vel ex *forma*, uti artificiosæ picturæ, vel ex *reverentia* Deo, Sanctis, fundatoribus, aut benefactoribus debita, ceu Reliquiæ, dona in memoriam fundatorum relicta. In hac æstimatione videtur habenda ratio magnificentiæ vel opulentiæ Ecclesiæ; ut eadem res tanquam pretiosa censeri debeat in Ecclesia rurali, quæ non multum æstimatur in majore Ecclesia urbis. Fieri etiam in mobilibus solet distinctio inter res, quæ servando servari possunt, et destinatæ sunt ad usum, quo non consumuntur; qualis est grex ovium, et bibliotheca; et alias, quæ sine corruptione diu servari non possunt, vel destinatæ sunt ad usum, quo consumuntur, uti frumentum, singulæ pecudes, pecunia (*b*), nisi hæc destinata sit ad comparandam rem immobilem, aut mobilem pretiosam, vel seposita per modum thesauri ad sublevandas extraordinarias necessitates.

(b) Can. *Aurum*. 70. XII. q. 2. ibi. Aurum Ecclesia habet, non ut servet, sed ut erogel, et subueniat in necessitatibus.

§. 153. *Alienatio* comprehendit I. actus, per quos transfertur jus in re: cujusmodi sunt donatio, venditio, permutatio, datio in solutum, et quoad jura incorporalia cessio litis, juris, actionis jam acquisitæ, unio Ecclesiarum. Clem. 2. h. t. olim etiam manumissio c. 3. et 4. Comprehendit II. actus, per quos tanquam viam ad alienationem devenitur; quales sunt pignus, hypotheca specialis, compromissum, transactio. III. Actus, per quos dominium etiam minus plenum transfer-

tur, uti sunt infeudatio, emphyteusis, locatio diuturna, constitutio usus, ususfructus, servitutis, possessionis, precariæ. IV. Alii actus, per quos Ecclesiæ in rebus temporalibus gravantur, uti si eæ, aut bona immobilia, seu jura ipsarum Laicis submittantur; quod fit, si Prælatus Ecclesiæ profiteatur, aut recognoscat, se illa bona vel jura a Laicis tanquam superioribus tenere, aut si hos tanquam Patronos Ecclesiarum vel bonorum perpetuo, vel ad tempus non modicum constituat. c. 2. in 6. Sunt igitur hi actus alienationis. At *qui occasione acquirendi non utitur, non intelligitur alienare, veluti qui hereditatem omittit, aut optionem intra certum tempus datam non amplectitur* (c).

(c) L. 28. D. de V. S. Aliter de pupillis statutum est l. 5. §. 8. D. de rebus cor. qui sub tutel. Etsi enim inter Ecclesiam, et pupillos sit analogia quædam, major tamen est Rectoris Ecclesiæ auctoritas, quam tutoris et pupilli, cui non tantum alienatio prohibita est sed etiam omissio vel repudiatio lucri. Conf. Zech de Jur. rer. eccl. Sect. IV. tit. I. §. 213.

§. 154. Ex ipsa Rubrica tituli intelligitur, fieri aliquando posse alienationem rerum Ecclesiæ, nempe ex justa causa, et quoad immobilia, vel pretiosa mobilia cum solemnitatibus. Justa alienationis causa est 1. *necessitas Ecclesiæ* (*d*), cui alio modo subveniri non potest - aut si lex, sententia judicis, expresse testatoris voluntas alienandi necessitatem imponit (*e*). Quia autem jus necessitatis stricte sumendum est, non ultra id, quod necessitas poscit; hinc isto casu alienatio inchoanda est a rebus minus necessariis, nec ad perpetuam alienationem veniri debet, si per locationem, oppignorationem etc. necessitas levari potest. 2. *Pietas* e. g. pro redimendis captivis, sustentandis pauperibus in ma-

gna annonæ inopia. can. 15. 16. 70. XII. q. 2. Denique 3. *evidens utilitas* quæ vi notionis non in eo sita est, ut status Ecclesiæ non fiat deterior, sed ut fiat melior, vel ut auferatur incommoditas quædam e. g. si res longe distet, aliave afferat incommoda (*f*).

(*d*) Non sufficit necessitas respiciens Prælatum, uti pro solvendis Annatis, redimendis Bullis. Hæc enim sunt onera Prælati, non Ecclesiæ.

(*e*) Nonnulli hoc casu requirunt, ut res Ecclesiæ vendatur plus offerenti. Certe si immobilia relinquantur, aut donentur iis, qui ob incapacitatem ea tenere non possunt (Concil. Trid. Sess. XXV. cap. 3. de Regul.) tum alienatio fit necessaria, sed fieri non potest nisi prævia edictorum affixione, ut vendantur plus offerenti.

(*f*) Beneplacito Apostolico pro alienatione rerum Ecclesiæ aliquando apponitur clausula: *Dummodo alienatio cedat in evidentem Ecclesiæ utilitatem*; de qua conf. Pyrrhus Corradus Prax. Dispens. l. 9. c. 2.

§. 155. *Solemnitas* preter justam causam ad alienationem requisita consistit 1. in tractatu, consensu subscriptione Capituli, 2. in consensu et auctoritate Superioris, imo in Beneplacito Sedis Apostolicæ. 3. Aliquando etiam necessarius est consensus ejus qui hoc ejus sibi in fundatione vel dotatione Ecclesiæ reservavit: vel Domini directi, si bona sint feudalia, aut Principis ob specialia pacta vel concordata.

§. 156. I. De *tractatu, consensu et subscriptione Capituli* Nota 1. In Ecclesiis quæ Capitulum non habent, præter Rectorem Ecclesiæ requiritur consensus Episcopi. 2. Si vero Ecclesiæ præter Capitulum habent Episcopum, vel aliud caput, ejusmodi potestate præditum; tunc distingui oportet, utrum agatur de alienandis bonis

Capituli sejunctis a bonis mensæ Episcopalis ; atque hoc casu consensus Capituli requiritur *pro Interesse*, nec aliunde suppleri potest. Si vero agitur de bonis mensæ Episcopalis, vel de rebus Ecclesiæ Collegiatæ aut Cathedralis, is tractatus et consensus requiritur ad *solemnitatem*: ac sufficit, si superveniat ratihabendo, imo per obtentum Beneplacitum Apostolicum suppleri potest. Putant aliqui, consensum Capituli *pro Interesse* etiam requiri tum, quando agitur de Jurisdictionalibus dignitatis Episcopalis; quia Capitulum succedit Episcopo, Sede vacante, et unum corpus cum eo constituit, ut proin etiam vivente Episcopo quasi habitualiter habere jurisdictionem censeatur. Sed totum id, quod Sede vacante ad Capitulum devolvitur ex dispositione canonum profluit, et summa auctoritas penes Episcopum, dum vivit, indivise residet. Ceterum consensus Capituli his temporibus repræsentat consensum totius Cleri a Leone P. I. requisitum can. *Sine exceptione*. 52. XII. q. 2. conf. §. 138.

§. 157. II. *Beneplacitum Apostolicum* ad solemnitatem alienationis requirit Constitutio Paulina Extrav. *Ambitiosæ* int. comm. pro majore nempe cautela, et indemnitate Ecclesiarum. Concilium Lugdunense idem præscripsit pro casu, quo bona immobilia vel jura Ecclesiarum submittenda sunt Laicis. c. 2. in 6. conf. §. 153. a. IV. Ceterum de Constitutione Paulina et necessitate Beneplaciti Apostolici non consentiunt Scriptores in Germania. Alii eam restringunt ad Ecclesias immediate Papæ subjectas: in aliis sufficere putant auctoritatem Episcopi, eo solum excepto, quod is bona Ecclesiæ alicujus inferioris non possit in se ipsum vel mensam suam alienare. Clem. 2. h. t. ne scilicet in facto proprio auctoritatem præ-

stet. Gloss. in textum Gratiani post can. 40. XVII. q. 4. Alii ajunt, eam Constitutionem in his Provinciis non esse receptam. Dura est hæc assertio; cum Episcopi in sententiam et verba hujus Constitutionis jurent. conf. formulam Juramenti Episcopalis Lib. I. Decretal. §. 333. in fin. Replicant: ruramentum ultra non stringere, nisi quatenus ella Constitutio in usum deducta est. At enim contraria consuetudo res facti est, et probari debedet. Certe Romani Scriptores afferunt plurima uxempla ex Germaniæ Diœcesibus vel petiti bene placiti Apostolici, vel rescissæ alienationis ob illius defectum (g).

(g) In dicta Const. nominatim continentur monasteria. Sed plurimi Regulares privilegium postea nacti sunt alienandi sine Beneplacito Apostolico cum derogatione ejusdem Constitutionis. Verum Urbanus VIII. per S. Congreg. Concilii edi jussit Decretum 7. Sept. an. 1624. quo omnia istiusmodi privilegia revocantur intra fines Europae, prohibeturque alienatio rerum immobilium, ac pretiosarum mobilium absque congregationis Concilii expressa licentia in scriptis, et gratis concedenda.

§. 158. III. Quando ad alienationem consensus Laicorum ex speciali jure reservationis in fundatione vel dotatione factæ, aut pactorum vel Concordatorum requiritur, is utique exposcendus est. Aliæ generales leges magistratuum politicorum Ecclesiam non obligant. can. *Bene quidem.* 1. dist. 96. et c. *Ecclesia S. Mariæ.* 10. de Constit.

§. 159. His jam præmissis *de rebus Ecclesiæ alienandis vel non*, decidendum est 1. res Ecclesiæ mobiles non pretiosæ, præcipue quæ servando servari non possunt, ab Administratoribus vel Rectoribus Ecclesiarum ex justa causa licite alienantur absque ullis solemnitatibus, modo Ecclesia non patiatur injustum damnum. 2. Id exten-

ditur etiam ad res immobiles *exigui valoris*, et inutiles vel noxias. can. *terrulas*. 53. XII. q. 2. et can. *Non liceat*. 20. ead. ibi: *Nisi tantummodo domos, quæ in quibuslibet urbibus non modica impensa sustentantur*. Si inutilitas non est liquida, tractatus adhibendus est; uti colligitur ex c. 8. in fin. h. t. 3. Juramentum, quo se obstringunt Episcopi ad non alienandum, non impedit, quo minus alienent in casibus a jure permissis, uti si bona in emphyteusin ab antiquo dari solita sunt, aut si dentur ei, qui terram non fertilem ad culturam reducit. c. 7. h. t. (*h*).

(*h*) Quia Constitutio Paulina multis Decretalibus posterior est, non omnia, quae olim Episcopo permissa fuerunt, absque Beneplacito Apostolico fieri nunc possunt.

§. 160. Administratoribus et Rectoribus Ecclesiarum cogitandum est, se non esse dominos bonorum Ecclesiæ, sed Dispensatores, quorum potestas ad Canones alligata est. Quidquid ergo ultra concessionem Canonum agunt, nullum ac irritum est; uti si absque *juxta causa* quidpiam alienent, aut neglectis solemnitatibus, quando eædem per Canones præscriptæ sunt. Neque talis alienatio aliunde vim et valorem habere potest; eo ipso, quod alienans jure dominii destitutus sit. Dominium ergo rei male alienatæ semper penes Ecclesiam manet, imo et possessio civilis, nisi hæc per silentium longi temporis amittatur. Locum ergo habent non tantum remedia petitoria; qualis est vindicatio contra quemcunque possessorem, ad rem cum omnibus fructibus a die contractus, deductis expensis, restituendam c. 4. et 6. h. t. 5. Sed etiam remedia possessoria retinendæ, aut recuperandæ possessionis. Conf. Zech. de Jur. Rer. Eccl. Sect. 4. tit. 1. §. 214.

TITULUS XIV.

DE PRECARIIS.

TITULUS XV.

DE COMMODATO.

TITULUS XVI.

DE DEPOSITO.

ARGUMENTUM.

I. Præmittuntur necessariæ notiones de contractibus, eorumque variis classibus. §. 161. *II. De quasi contractibus, ac differentia inter consensum tacitum ac præsumtum.* §. 174. *III. Notiones ac positiones de damno, dolo, culpa, mora, casu in contractum incidentibus.* §. 178. *IV. De Precariis.* §. 185. *V. De Commodato et Precario.* §. 186. *VI. De Deposito.* §. 190. *VII. De Mutuo.* §. 194.

§. 161. De generica notione *Pacti*, ac de generalibus requisitis ejusdem, nempe jure paciscendi, consensu paciscentium, et apto pactionis objecto, denique de effectu pacti actum est lib. I. Decret Tit. XXXV. Nunc speciatim de contractibus explicandæ sunt notiones, præcipuæque regulæ; quia frequentem circa res ecclesiasticas ac Clericorum, usum habet. Eorum species, ac propriæ singulorum formæ, tum etiam diversæ classes, ad quas reducuntur, adcurate distinguendæ, ac memoriæ mandandæ sunt. Nam I. iu plurimis contractibus insunt quædam *substantialia*, per quæ in certa specie aut classe constituuntur, et sine quibus *hic* contractus non est, sed in *aliam* speciem migrat (*a*).

Alia dein dicuntur *naturalia*, quæ ex frequenti usu contractui insunt, et inesse intelliguntur, etsi nihil dicatur expresse; quæ tamen salva substantia contractus abesse possunt vitio quodam negotii, aut contrahentium consensu (*b*). Denique alia censentur *accidentalia* contractuum, quæ salva substantia et natura contractuum adesse vel abesse possunt, uti sunt varia pacta, quæ contractibus nonnunquam adjiciuntur. II. De singulis formis ac classibus contractuum singulæ extant leges, ac decisiones juris e. g. circa obligationes ex contractu ortas, actiones, præstandam culpam. Quando dein theoria contractuum ad usum et praxin applicanda est, id per naturalem cogitandi vim duplici fit syllogismo; ac *primo* datum negotium reducitur ad certam speciem aut classem contractuum. Id fieri non potest, nisi singulorum contractuum substantiæ et internæ eorum notæ antea perspectæ et exploratæ sint. *Secundo* quæ de singulis contractibus in legibus definita sunt jura, obligationes, actiones, aliique effectus juris, ea dein ad datum negotium applicantur (*c*).

(*a*) E. g. Substantia *mutui* in eo sita est, ut detur res fungibilis: ut ejus in mutuatarium transferatur dominium; ut adjiciatur obligatio idem restituendi in genere. Hæc substantia contractuum non tam ex nomine, quod a contrahentibus negotio imponitur, cognoscenda est, quam ex notis et qualitatibus negotii et contractus, ad quem idem reducitur. L. *cum manu* 80. §. 3. D. de contrah. emt ibi: *Nemo potest videri eam rem vendidisse, de cujus dominio id agitur, ne ad emtorem transeat: sed hoc aut locatio est, aut aliud genus contractus.* Adde l. *Lucius.* 24. D. Depositi. §. fin. Inst. de mandato.

(*b*) Naturale est mutuo, ut sit gratuitum, emtioni, ut venditor præstet evictionem. His pacto exclusis manet mutuum: manet emtio venditio.

(*c*) Exemplum sit hujusmodi: 1. in dato negotio conventum est inter contrahentes de usu equi pro cer-

ta mercede præstando At contractus consensualis de usu rei pro certa mercede præstando, est locatio conductio ; igitur in dato negotio celebrata est locatio conductio. 2. In locatione conductione præstari a conductore debet damnum levi etiam culpa datum : in dato autem negotio seu in hac locatione conductione a conductore datum est damnum culpa levi : ergo id præstari ab eodem debet.

§. 162. Hisce ob oculos positis notio contractus generatim, tum notæ variarum classium, formarumque explicandæ sunt. *Contractus* est conventio, cui subest *causa civilis*, id est, *conventio antiquitus approbata juris civilis regulis.* Romani enim quodvis tale negotium, ac civilis obligationis originem *causam* dixerunt. L. 11. et 12. D. de V.S. Non quamvis autem conventionem ita approbarunt, ut eidem per leges assisterent data actione (*d*). Hinc alii, ut contractum a pacto specifice dicto distinguant, ajunt: contractus est *conventio per se pariens actionem.*

(*d*) Contractui passim opponunt pactum nudum, uti indicavi lib. I. Decret. §. 546. Sed ex legibus Romanis tria distinguenda sunt. 1. *Pactum nudum*, de quo l. *Si tibi.* 27. C. de locat. et cond. dicitur : *Si conventio placiti fine stat* : *ex nudo pacto perspicis actionem jure nostro nasci non posse.* Tale est pactum, et nihil præterea, spectata obligatione civili : uti e contrario *nuda* traditio dicitur, quæ est sine omni conventione. L. *Nunquam.* 31. D. de acquir. rer. domin. 2. *Pactum non nudum*, quod non per se, sed *per accidens* actionem producit, vel quia ei lex nova, . aut Prætor assistit, aut quia contractui bonæ fidei in continenti adjectum est, unde pactum non nudum est *legitimum*, *Prætorium*, vel *adjectum*. 3. *Contractus*, qui habet causam, seu approbationem juris civili, et ob id *per se* actionem gignit. Etsi autem jure naturali, Canonico et Germanico omne pactum servari debeat, atque etiam actionem producat ; tamen hæc differentia noscenda est ad intelligendas leges Romanas, earumque commentationes.

§. 163. *Causa civilis*, quæ cuivis contractui inest, triplicis, est generis. 1. Si alteruter paciscentium promissum præstat, et pactum *re* implet. De hac forma in Inst. l. 3. extat titulus XV. *quibus modis re contrahitur obligatio.* 2. Si contractus ineuntur certa formula sive scripta, sive ore nuncupata. Ad hos ex Inst. pertinent tituli: *De verborum obligationibus. De literarum obligationibus.* 3. Siquis contractus est ex numero illorum quinque, qui poscente necessitate et frequente usu perficiuntur *solo consensu*; qualis est *emtio venditio*, *locatio conductio*, *societas*, *mandatum*, *emphiteusis.*

§. 164. Variæ sunt classes, ad quas contractus referuntur, ut, qui in una classe conjuncti sunt, in alia sint separati. I. Ex causa, de qua dictum est §. præc. alii sunt contractus *reales*, qui re seu traditione ex una saltem parte, perficiuntur, ceu *commodatum*, *depositum*, *pignus*, *mutuum*; qui sunt contractus reales *nominati.* De his agam hoc titulo. Sunt alii reales *innominati*: quales sunt quatuor illi: *do*, *ut des*: *do*, *ut facias*: *facio*, *ut des*: *facio*, *ut facias.* De his inscribitur titulus, *de rerum permutatione*: Ex formula nuncupantur contractus *verbales*, *et literales* quod commode explicatur infra tit. *de fidejussoribus.* Ex consensu, contractus quinque consensuales supra nominati, qui pertinent ad titulos *de emtione*, *venditione*, *de locato et conducto.*

§. 165. II. Ex eo, quod inter contrahentes agitur, alii sunt contractus *beneficii*, alii *permutatorii.* Ex beneficis alii *mere benefici*, ceu liberalis donatio, et gratuita præstatio facti utilis. Quo pertinet titulus XXIV. hujus libri *de donationibus.* Alii benefici cum *mutua quadam obligatione*,

uti cum res vel rei usus gratis conceditur, ea tamen lege, ut res eadem in genere vel specie restituatur. Istiusmodi sunt 1. *Mutuum*, quo res fungibilis datur, restituenda in genere. 2. *Commodatum*, quo res non fungibilis ad certum usum et tempus gratis conceditur, ut tamen finito usu in specie reddatur. 3. *Precarium*, quod precibus utentis tamdiu conceditur, quamdiu patitur is, qui concessit 4. *Depositum*, quo res alicui gratis custodienda traditur, ea lege, ut eadem in specie ad deponentis arbitrium restituatur. 5. *Mandatum*, quo alteri negotium gratis gerendum committitur, et ab altero suscipitur. 6. *Fidejussio*, mandato affinis, est, cum quis ei, qui tertium quemdam ad præstandum sibi obligatum habet, se hoc præstiturum spondet, nisi is, qui debet, præstiterit.

§. 166. Contra *permutatorii* contractus sunt; quibus operæ vel res non gratis in alterum conferuntur, sed ita ut hic vicissim aliam rem vel operam præstet. In his alii sunt *diremtorii*, quando una pars ita dat, vel facit, ut pars altera aliud det vel faciat. Alii, qui non dirimunt partes, sed *communionem afferunt*. Atque in his permutatoriis contractibus spectatur *æqualitas uttantundem* pro re vel opera præstita uterque contrhaentium nanciscatur; ac nisi animus partem quandam rei vel operæ præstitæ liberaliter conferendi clare manifestetur, præsumi non potest, velle alterum gratis conferre id quod per contractum permutatorium confert. Huc maxime pertinet emtio venditio, locatio conductio, cambium, permutatio etc.

§. 167. III. *Ex effectu, qui intenditur per contractus*, alii sunt *translativi juris in re*, ceu

hypotheca, et accedente traditione emtio venditio, pignus, mutuum etc. alii *non translativi juris in re*, per quos nempe solus usus, ut custodia transfertur, ceu locatio conductio, commodatum, depositum. Per se quidem ex omni contractu non oritur, nisi jus ad rem, et actio personalis, nisi accedat traditio, aut speciale adminiculum juris, uti in hypotheca.

§. 168. IV. Est alia classis contractuum, qui *aleam* continere dicuntur, quibus nempe super incerto eventu utrinque convenitur; suntque 1. *emtio spei*, quando certo pretio emitur res acquirenda incerta, ceu jactus retis. Quod contractus genus sustinendum est, etsi nihil acquiratur de eo, quod speratum est; quia ex natura sua aleam continet. Aliud est, si conveniatur de emendis fructibus futuris; hi enim intelliguntur emi sub conditione: *si nascantur*. 2. *Sors*, a cujus fortuita determinatione suspenditur acquisitio rei. Id fit non divinando, quid futurum sit, sed *eligendo* unum ex pluribus: *attribuendo* rem indivisam uni: *dividendo* rem communem, et assignando rei divisæ partem unicuique. Huc etiam pertinet Loteria, olla fortunæ, rota fortunæ, jactus tesserarum, præmium victoriæ, ludus fortuitus, artificialis, mixtus, sponsio, denique conventio de lucro minore certo pro majore incerto.

§. 169. V. Spectata origine, primoque usu alii sunt contractus *Juris civilis*, nempe Romani, cui iidem originem suam debent, ut stipulatio, obligatio literarum etc. alii *Juris gentium*; qui ab aliis gentibus fuerant introducti, a Romanis recepti, variisque legibus ordinati. Non pauci contractus: qui hodie in usu sunt, a consuetudine, vel legibus aliarum civitatum sunt profecti. Eo-

dem enim jure constituendi contractus gaudent alii populi, quo usi fuerunt Romani. Unde necesse non est, ut vestigia, nomen aut natura cujuspiam contractus in legibus Romanis investigetur; sed id tantummodo cavendum, nequid legibus justitiæ et caritatis repugnans contineant contractus novi. Jus paciscendi, contrahendi a natura est; etsi id exigente primum necessitate, datave occasione in usum deducatur. *Multas enim formas edere natura novas deproperat*, inquit Justinianus l. 2. §. 18. C. de veteri jure enucl.

§. 170. VI. In legibus Romanis fit distinctio inter contractus *stricti juris*, et *bonæ fidei*. Illi dicebantur, in quibus non obligatur contrahens, nisi ad id, quod expresse promisit. In his etiam ea præstanda sunt, quæ in conventionem non deducta, sed bona fide omissa sunt; ceu usuræ propter moram. Stricti juris apud Romanos erant contractus formularii, ut stipulatio, et literarum obligatio. Reliqui non formularii erant bonæ fidei. Sed fatentur plerique Jurisconsulti, hujus distinctionis hodie nullum superesse usum. Aliud est enim, quod in nonnullis contractibus, ubi de unius solum obligatione, et alterius lucro agitur, strictius inhaerendum sit verbis, nec obligatio in alterius præjudicium extendi possit.

§. 171. VII. Sunt quidam contractus *unilaterales*, alii *bilaterales*, uti alter solum contrahens vel uterque ad dandum quid, aut faciendum obligatur. Unilaterales sunt mutuum, stipulatio, literarum obligatio, et contractus innominati: reliqui bilaterales. Atque in his si uterque ex ipsa conventione statim initio obligatur, utrinque mox oritur actio *directa*; si vero alter ex ipso contractu principaliter, et ex post facto, ut

ajunt, occasione contractus obligatur, tunc oritur duplex actio, contra priorem; qui principaliter obligatur, *directa*, contra posteriorem *contraria*. l. 17. §. 1. et 3. l. 18. §. 2. l. pen. D. Commodati. Sic contra mandatarium, commodatarium depositarium datur actio directa mandati, commodati, depositi: contra mandantem, commodantem, deponentem actio contraria mandati, commodati, depositi ad consequendam indemnitatem.

§. 172. VIII. Contractus aut *principales* sunt, aut *accessorii*. Accessorius dicitur, qui aliam obligationem jam existentem prærequirit, et ad eam firmandam initur; ceu contractus pignoris, et fidejussio. Secus est principalis.

§. 173. IX. Alii contractus sunt *simplices*, alii *compositi* vel *mixti*, in quibus plures ex indicatis actibus simplicibus in uno negotio concurrunt. Si sciens rem majoris emam, partim erit emtio, partim donatio ejus, quod plus est in pretio. Si aurifabro pecuniam promittam, ut de auro suo mihi annulum faciat, partim erit emtio auri, partim conductio operæ. (*e*)

(*e*) Grotius de Jur. belli ac pac. l. 2. c. 12. n. 5. et 6.

§. 174. X. A veris contractibus differunt *quasi contractus* de quibus l. 3. Inst. inscribitur Titulus XXVIII. *De obligationibus, quæ quasi ex contractu nascuntur*. Multa hic passim confundi a Scriptoribus videntur; cum inter consensum *tacitum*, *et præsumtum* non distinguat; et subtilitatibus Juris Romani præoccupati fingant *tacita* pacta, ubi sola æquitate a Legibus

approbata decidi controversia poterat. Accedit, quod simplicitas naturalis Juris ab istiusmodi fictionibus penitus abhorreat. Notandum igitur I. consensus *tacitus* censetur, qui tali declaratur facto, quod communiter, et consensu omnium habetur pro signo declarandi voluntatem præstandi vel concedendi aliquid, præsertim si alias factum poni non debuisset (*f*). II. Talis consensus tacitus est species veri consensus, nisi de consensu expresso contrario constet; tunc enim frustra allegatur consensus tacitus; quia verba sunt signa ordinaria declarandi voluntatem, facta autem extraordinaria et subsidiaria.

(*f*) Exempla sunt hæc. 1. Qui reddit, vel abolet Chirographum, tacite seu ipso facto remittit debitum: ex subtilitate Juris Romani saltem init pactum de non petendo l. 2. pr. et §. 1. D. de Pactis. ne scilicet obligatio re contracta, solo consensu tolli videatur. 2. Postulatio cibi et potus ab hospite diversorii infert consensum tacitum, quod velim pretium cibi solvere. 3. Si patiar præsens alterum pro me fidejubere, mandatum est. l. 6. §. 2. l. 18. et 53. D. Mandati. Quapropter per *factum* hoc loco etiam *non factum*, ceu patientia et silentium intelligitur; quando ex non facto communiter omnes consensum colligunt, nempe pro casu, quo alias deberet aliquis contradicere, loqui. Similiter locatio est, si patiar diutius manere conductorem in re conducta. l. 13. §. ult. D. Locati. 4. Qui statum adventitium, officium, munus, administrationem suscipit, in obligationes atque annexa onera consensisse censetur. 5. Huc pertinent facta, quæ *ipso jure naturali* justa et concessa non sunt, nisi alia eodem tempore obligatio suscepta intelligatur cum jure illius facti connexa. Qui scienter rapinam emit, exerit voluntatem reddendi Domino id, quod ei ablatum est. can. *rapinam*. 5. *XIV.* q. 5. Jus non est, tollendi res ab alio amissas, nisi una suscipiatur obligatio inquirendi in Dominum. Neque extrema necessitate jus

consumendi res alienas a natura concessum est, nisi ut transacta necessitate compensatio fiat.

§. 275. III. Consensus *præsumptus* habetur ex factis, aut non factis, quando ea non sunt signa ex communi hominum consensu ad declarandam hominum voluntatem recepta, sed ex æquitati naturali legibus approbata, aut verius per ipsas leges pro talibus signis habentur; quo casu ipsæ leges factis aut non factis certos effectus alligant, qui etiam invitos stringunt. Ad hunc consensum a legibus præsumtum, aut fictum pertinet vulgatum axioma: *Protestatio facto contraria nihil operatur*, contra ac supra dictum est de consensu tacito (g).

(g) Exempla sunt in quasi contractibus Inst. l. 3. tit. 28. item in hypothecis tacitis et l. 2. C. de Pactis. Sic consensu præsumpto renuntiat beneficio, qui matrimonium contrahit, aut alterum recipit incompatibile.

§. 176. IV. Notandum: non modica est inter consensum tacitum et præsumtum differentia, uti ex dictis colligi jam potest. Ac 1. qui voluntatem suam expresse declarare prohibetur jure aut natura, uti fit in prodigis aut furiosis; is nec tacite consentire videtur. At ex consensu præsumto etiam talis obligatur, uti si furiosi aut prodigi negotia gesta sunt. 2. Consensus præsumtus etiam apud ignorantes vim habet, non item tacitus. 3. Ex consensu tacito oriuntur veri contractus, uti colligitur ex §. 174. in nota n. 3. ex præsumto duntaxat quasi contractus, qui explicantur cit. tit. 28. l. 3. Inst.

§. 177. V. Notandum: Dici quidem potest: omnis consensus tacitus est etiam præsumtus,

nempe præsumtione hominis; quia ex facto aut non facto colligitur voluntas interna: at non omnis consensus præsumtus, nempe præsumtione juris et adminiculo legis, simul est etiam tacitus. Quapropter si nec factum aut non factum adest, ex quo voluntas interna colligatur, neque etiam lex aut consuetudo legi æquipollens adminiculum præstat, frustra recurritur ad consensum præsumtum. E. g. si sciret Superior, daret facultatem id agendi, daret dispensationem, daret jurisdictionem. Ejusmodi consensus Superioris mere conditionalis est; et conditio nihil ponit *in esse*, ut vulgo ajunt. Quapropter talis consensus *mere* præsumtus non tribuit ullum jus, ullam facultatem, dispensationem, jurisdictionem (*h*). Denique addi hoc loco potest: In actibus, qui ex natura sua requirunt consensum personalem, ceu in contrahendo matrimonio, suscipiendo sacramento, facienda professione religiosa etc. consensus a lege præsumtus nihil aliud operatur, nisi forte ut obligationem imponat præstandi consensum personalem; qui ob id nondum præstitus est.

(*h*) Conf. Jus Nat. priv. §. 129. pag. 270. Ceterum quando ob consensum tacitum, vel præsumtum agitur ex contractu, vel quasi contractu, præsupponuntur facta honesta et licita; nam ob illicita agitur ex delicto vel quasi. Inst. l. 4. tit. I. de obligationibus, quæ ex delicto nascuntur; et ib. tit. V. de obligationibus, quæ quasi ex delicto nascuntur: consensus autem præsumtus sæpe a legibus delicto affigitur. Exemplum est in Reservato Ecclesiastico. Ceterum solent nonnunquam Romanæ leges et Scriptores ad consensum tacitum recurrere, quando ex ipsa æquitate et jure naturali deciso profluit. Exemplum est in l. 51. pr. D. Locati. Aliud attuli in Jur. Nat. priv. §. 110. pag. 238.

§. 178. In contractus præter obligationes principales eorum proprias sæpe incidunt *accessoriae* de indemnitate præstanda. Hinc de damno, ejusque causis agendum. *Damnum* a *demendo* dictum est, siquis *minus* habet in bonis suis, quam haberet, si nihil incommodi incidisset. Hinc generatim dici potest *amissio commodi*; estque *positivum*, siquid de patrimonio demtum, aut deterius factum est: *privativum*, quando lucrum aliquod cessavit, aut interceptum fuit (*i*).

(*i*) Conf. I. N. priv. §. XVIII. f. pag. 44. §. CXXVII. pag. 264. §. CXXXVIII. pag. 288.

§. 179. Damnum aut fit *casu*, nempe eventu, cui resisti non poterat: aut datur *dolo* alterius, seu proposito nocendi, vel *culpa*, id est, omissione diligentiæ *debitæ*, quæ conjuncta per se est cum peccato, per accidens ex invincibili inadvertentia, oblivione, præcipitantia a peccato formali in *foro conscientiæ* excusari potest; hinc vulgaris est in scholis distinctio Inter culpam *theologicam*, et *juridicam*. Diligentia, qua præcavetur damno, gradus habet, et *summa* est in patrefamilias *attentissimo*, *media* in *frugali*, *minima* in *incurioso*; sic gradus habet culpa; diciturque *levissima*, si omittitur diligentia summa, quam attenssimi ad rem tantum adhibent, l. 18. D. Commodati. *Levis*, si omittitur diligentia media et ordinaria, quam viri prudentes adhibent vulgo, l. 32. D. Depositi. *Lata*, si omittitur diligentia, qua etiam homines incuriosi ac dissoluti vulgo utuntur. l. 213. §. 2. et l. 223. pr: D. de V. S. (*k*).

(*k*) Res hæc tota perinde in theoria, ac praxi difficultatibus subjacet. Nam *primo* difficile est definire

limites inter dolum, et culpam latam: inter varios culpæ gradus: inter levissimam culpam, et casum fortuitum. *Secundo* difficultatem non tollit distinctio inter casum *merum*, cui resisti omnino non poterat: et *mixtum*, qui contingere dicitur tunc, quando adhibita diligentia potuisset damnum averti. At ex eo, quod absolute damnum *potuisset* averti, non sequitur, casui culpam admisceri; nisi ostendatur, in facto positivo intervenisse imprudentiam, aut præcipitantiam culpabilem: aut in facto negativo omissum fuisse, id, quod *debebat* fieri. *Tertio* Prudentiores damno effecti, pro culpa habemus factum, aut non factum, in quo ante damnum nemo culpam vidisset, qui centum oculos non haberet. Quapropter status rerum et adjunctorum non demum post eventum, sed qualis antea fuit, expendi debet, ut de culpa vel casu judicari possit, de qua re animadversiones quasdam proposui in Jur. Nat priv. §. 141. pag. 293. *Quarto* confundi non debet culpa levis in *abstracto* æstimata cum culpa levi in *concreto* Illa generatim desumitur ex diligentia, quam in rebus suis adhibet quivis paterfamilias frugi; hæc refertur ad diligentiam, qua is ipse, quocum contrahitur, in re sua uti solet. Hanc socius pro socio præstare tenetur. §. 9. Inst. de societate. Nam sibi imputare debet, qui cum negligente societatem contraxit. Denique de eo solum damno hic agitur, quod dolo aut culpa datur in contractibus vel quasi. De aliis damnis extra causam contractuum agitur L. V. Decret. Tit. de injuriis et damno dato.

§. 180. *Mora*, quæ ex culpa, aliquando etiam ex dolo provenit, est *injusta rei peragendæ dilatio. Mora solvendi* aut *restituendi*, quæ a debitore committitur, incipit post interpellationem *legis*, *diei*, vel *hominis*. l. 32. D. de Usur. l. 12. C. de contrah. et committ. stipul. *Mora accipiendi*, quæ committitur a creditore, incipit post oblationem verbalem rei immobilis. l. 9.

D. soluto matrim. aut realem rei mobilis. Nov. 91. c. 2.

§. 181. Præpositis notionibus afferenda sunt generalia juris præcepta de dolo, culpa, mora, ac casu, ex quibus damnum extitit. *Dolus* I. ab eo, qui committitur, semper et in omni contractu præstatur. II. Antecedens *pactio, ne dolus præstetur, rata non est.* l. 17. pr. D. Commod. l. 23. ib. de R. J. III. Remittere reparationem damni dolo jam dati, juri non repugnat. l. 27. §. 3. D. de Pactis. l. 5. §. 7. ib. de Administr. tutor. Nam pactione antecedente daretur occasio delicti, quæ pacto aquiri non potest; ac censeretur paciscens consentire in dolum dandum. Nil tale fit caso posteriore. IV. In quibusdam contractibus, in quibus amici fidem maxime sequimur, committens dolum infamia notantur, nempe in deposito, mandato, societate et tutela l. 1. D. de His, qui notantur infamia; quod de eo statuitur, qui suo nomine, non qui contrario judicio damnatus erit.

§. 182. *De culpa* distinguunt inter obligationem *præstandi facti*, et obligationem *dandi quidpiam vel restituendi.* I. Qui ad *factum* præstandum obligatus est, ordinarie tenetur de culpa levi. l. 1. D. de tutelæ, et rat. distrah. II. Si de obligatione dandi vel restituendi agitur, in iis contractibus, in quibus, penes unum commodum, penes alterum incommodum est, ille ordinarie culpam etiam levissimam præstat, hic latam duntaxat. l. 5. §. 2. D. Commod. III. Si in contractu par utriusque commodum et incommodum est, uti fit in permutatoriis, culpa etiam levis ab utroque præstanda est. cit.

l. 5. §. 2. (*l*) IV. Qui sua sponte tali se negotio obtulit, quod alias homines fugere solent, vel obligationem suscepit, in qua singularis industria personæ requiritur, is ad culpam etiam levissimam tenetur, etsi solum incommodum sustineat. c. 2. de Deposito. l. 1. §. *sæpe.* 35. D. eod. l. 23. v. in his quidem et diligentiam. D. de R. J. §. 1. Inst. de obligat. quæ quasi ex contractu. V. Hæ leges præstandi culpam pro varietate contractuum utroque foro tam civili, quam canonico receptæ, sine dubio vim et obligationem conscientiæ continent, tum ad eam adhibendam diligentiam, quæ iis præscripta est, tum ad culpam, siqua commissa est, præstandam, uti natura contractus exigit; saltem si pars læsa eam præstationem quoquo modo vel extra judicium exigit, ac si de culpa jam constat (*m*).

(*l*) Conf. Jus Nat. priv. §. 146. pag. 304.

(*m*) Ib. pag. 306. lit. d.

§. 183. Moræ ex parte *debitoris* commissæ effectus sunt hi: 1. Periculum rei in debibitorem transfertur l. 23. et l. 82. §. 1. D. de V. O. qui proin etiam casum fortuitum præstat. c. un de Commod. c. 2. de Deposito. Exceptio est, si res etiam apud creditorem peritura fuisset. l. 45. D. de O. et A. et l. 14. §. 1. D. Depositi. 2. Inducitur obligatio ad compensandum creditori lucrum cessans, et damnum emergens; quia mora in culpa numeratur. 3. Negotium ob moram corruit, si ita conventum aut creditori res ob moram inutilis facta est.

Mora ex parte *creditoris* pariter periculum in illum transfert l. 72. D. de Solut.

§. 184. De *casu* duæ quæstiones segregandæ sunt: I. *Quis casum sentiat, aut ferre debeat?* II. *Quis eum præstet.* Ac 1. casum, qui contingit in *persona*, quæ factum præstare promisit, aut in persona, cui jus est, factum exigendi, sentit persona, quam tangit (*n*). 2. casum, qui in *re* accidit, ex conventione *danda*, sentit is, cui res debetur. §. 3. Inst. de emt. vend. l. 1. pr. D. de peric. et comm. rei vend. 3. Si acccidit in re, quæ ex conventione alteri *restituenda*, aut in re, quæ neque danda, neque restituenda est e. g. si conductor fructus casu perdit, tunc casum sentit dominus- l. 23. D. de R. J. l. 18. pr. D. commod. De altera quæstione instar axiomatis est: casum nemo præstat, nisi qui eum ultro susceperit, aut culpam admiserit, vel in mora fuerit. c. un de Commod. c. 2. de Deposito.

(*n*) 6. 15. §. 6. D. Locati. E. g. Si locatur opera e. g. vectura; tunc si casus fortuitus contingit in persona, quæ operam promisit, nempe in locatore, non debetur merces: imo si in antecessum data est, repeti potest. Inferunt, famulos morbo impeditos integram mercedem stricto jure petere non posse. Contra si casus contingit in conductore, seu in persona, quæ jus habet exigendi operam, merces integra solvenda est, nisi locator alii operam locarit. l. 38. D. Locat. l. 4. D. de offic. Adsessorum.

§. 185. Hisce generatim præmissis ad præcipuas contractuum species veniendum est. Primo in Jure nostro occurrunt *Precariæ*; quod genus contractus circa bona et jura ecclesiastica olim usitatissimum erat, in partibus Galliarum præ-

sertim, ubi usus rei ecclesiasticæ immobilis ad preces alicui concedebatur, non uno modo, ut vel concessio singulis quinquenniis renovaretur, ad conservandum jus Ecclesiarum: vel usus daretur ad vitam Clerici, pro sustentatione nempe, ante erecta beneficia: vel denique sic, ut pro libitu concedentis revocari potuerit, quod concessum erat. Id prioribus casibus fieri non poterat. c. 1. et 3. de Precariis (*o*). Ob varia incommoda Precariæ primum imminutæ sunt, jussique Episcopi revocare eas, quæ irrationabiliter factæ fuerant. c. 2. demum in usu esse desierunt (*p*).

(*o*) Triplicem hanc concessionis formam Ostiensis sic exprimit; Riæ, Ria, Rium, tria sunt, quibus est caput unum:

Riæ sunt solitæ per singula lustra novari.
Ria fit ad vitam; nec citra vult revocari;
Finiturque Rium tunc, quando vult suus auctor.

De incommodis harum concessionum Ivo Carnotensis sic scripsit ad Paschalem II.: „ De Precariis vero, „ quas jam bis in Ecclesia Carnotensi vetuistis, si- „ militer precamur, ut nunquam mutetur vestra sen- „ tentia, sed magis confirmetur; quia quando per- „ sonaliter accipiebantur, oriebantur inde illicita „ emtio et venditio: inter accipientes et non ac- „ cipientes fœda contentio, iræ, rixæ, aemulationes, „ inimicitiæ, et multa illicita, quæ redicitus evel- „ lenda esse ab Ecclesia, sancire debet vestra Ex- „ cellentia. „ Conf. Thomassin. P. 2. l. 3. c. 22. de Precariis, et. Gonzalez h. t.

(*p*) Hinc non refert disquirere, cujusmodi contractus hic fuerit secundum formas Juris Romani, realis, consensualis, an omnino literalis. Nam proprie Precaria vel Præstaria nuncupabatur charta vel instrumentum, quod in tali concessione conficiebatur, uti exhibet Marculfus in formulis l. 2. c. 5. item Auctor incertus formularum veterum. c. 27. 28. 41. 42.

Idem apparet ex formulis Sirmondicis c. 7. In Concil. edit. Mansi T. XVII. in append. et T. XVIII. referuntur notæ Bignonii in cit. formulas.

§. 186. Etsi Precariæ ab usu recesserint; viget tamen, præsertim inter familiares et vicinos, *Precarium*; estque id affine Commodato, de quo prius agendum est. *Commodatum* est contractus realis, quo res ad certum tempus, et usum, quo non consumitur, gratis datur, ea lege, ut finito usu in specie restituatur. Commodari potest res quævis mobilis, immobilis, incorporalis, etiam fungibilis ad usum, quo non consumitur, etiam homo ad obsequia. Si res usu, ad quem conceditur, naturaliter fit deterior, uti siquis Ecclesiæ commodaret cereos in altari arsuros, idque gratis, admiscetur donatio. Si autem exigitur pretium pro ratione imminuti ponderis, fit contractus compositus §. 173. Universe si commodans mercedem stipulatur, commodatum transit in locationem §. 2. Inst. quibus modis re contrah. oblig. si rem aliam sibi commodandam, fit contractus innominatus l. 5. D. de præscript. verbis. Non tamen Commodatum excludit *Honorarium*. arg. l. 6. pr. D. Mandati (*q*).

(*q*) Differt honorarium a mercede. 1. Hæc definitur conventione; illud ultro offertur: 2. mercedem admittunt operæ tantum illiberales; honorarium liberales, et quæ æstimationem non recipiunt.

§. 187. Facultate commodandi gaudet, qui liberam habet rei administrationem. *Eum, qui quid utendum accepit, ipse alii commodaverit, furti obligari responsum est.* l. 54. §. 1. D. de furtis. Manet tamen eo etiam casu actio commodati. l. 15. et 16. D. h. t. Commodans ante finitum usum revocare nequit commodatum. l. 17. §. 3. D. h. t.

nisi ipse ex causa improvisa indigeat re sua. arg. l. 3. C. de locat. Idem tenetur commodatario de culpa lata, uti si sciens vasa vitiosa commodasset. l. 18. §. 3. D. h. t. Si commodatum sit in gratiam utriusque; ab utroque præstatur culpa levis. cit. l. 18. pr. v. *At si utriusque.* Tenetur etiam commodans resarcire impensas in rem factas, non autem sumtus necessarios ad usum.

§. 188. *Commodatarius* non potest rem aliis usibus adhibere, quam concessis. Secus furtum usus committit. §. 6. et 7. Inst. de oblig. quæ ex del. nasc. l. 54. §. 1. D. de furtis. Tenetur de culpa *levissima*, si solus commodum ex contractu percipit. c. un. h. t. l. 1. §. 4. D. de O. et A. (*r*) non tamen tenetur de casu. l. 18. in fin. l. 19. et 20. D. l. 1. C. h. t. nisi intervenerit pactum, mora, vel culpa c. un. h. t. Neque vero casum in se suscipere videtur, si res commodetur ad usum periculosum e. g. equus ad bellum; sed potius commodans censetur consentire in damnum rei suæ. l. ult. D. h. t. conf. Leyser. Vol. III. spec. 153. Casum abfuisse, probare non tenetur, nisi in iis eventibus, quæ raro contingunt sine culpa, ceu in furtis. Quoad restitutionem commodati habet *jus retentionis* pro expensis in rem factis. l. 15. §. 2. et l. 59. D. de furtis. Non autem habet exceptionem compensationis, quamdiu species restitui potest. l. fin. C. h. t. neque exceptionem dominii alieni. arg. l. 25. C. de loc. et cond. neque proprii, nisi fortassis pro casu, quo probationes dominii proprii in continenti liquidæ sunt. Si tamen pro specie restituere pretium debet, exceptio compensationis omnino admittenda est. l. 4. D. et l. 4. C. de Compensat. Ab hoc generali compensationis jure sola videtur excipi actio depositi. l. fin. C. de Compens. etsi nec istud difficultate ca-

reat, si pro deposita specie restitui debet pretium (*s*).

(*r*) Ex aperta decisione cit. legis explicari debet, quid intelligatur nomine *exactæ diligentiæ*. §. 2. instit. quib. mod. re contrah. obl. et nomine *diligentis custodiæ* in commodato l. 5. §. 5. D. h. t. ne scilicet leges sibi contradicere videantur. In l. 13. §. D. de pign. act. dicitur: *Venit in hac actione* (pignoratitia) *et dolus et culpa, ut in commodato : venit et custodia* : legendum esse ; *at in commodato venit et custodia* ; recte conjicit Gerardus Noodt Probabil. Jur. Civ. l. 1. c. 4. et l. 4. c. 3.

(*s*) Tritum est in jure, si res restitui vel tradi non possit, pretium esse reddendum. l. 1. pr. et l. 4. et 11. C. de act. emt.

§. 189. Commodato affine est *Precarium*, quod precibus petenti *utendum conceditur*, *quamdiu patitur*, *qui concessit*, c. 2. de Precar. l. 1. D. de Precario. Ad substantiam ejus pertinet *revocabilitas* ad nutum concedentis, non attento usu vel tempore determinato. Si tempus adjiceretur Precario, hoc eo pertinet, ut rogans sciat, precarium finiri absque alia revocatione; quo non obstante id repeti potest ante illud tempus. Qui precario ad *tempus* rogavit, finito etiam hoc tempore, si dominus patitur, velut de novo concessum precario retinet. l. 4. §. 4. D. de Precario. *Solvitur* autem *precarium obitu ejus*, cui *concessum est* (nec ad heredes transit) *non etiam concedentis*; aut *cum illud alienari contingit alicui hoc revocare volenti*; *quia per conventionem hujusmodi non licet rem alienam invito domino possideri*. c. 2. de Precar. et l. 12. §. 1. D. de Precario. Ob hanc revocabilitatem minus beneficii inest in precario, quam commodato; unde qui illud accepit, tenetur solum præstare culpam latam et levem. l. 8. §. 3. de Precar. Pro revocando autem precario Prætor dat interdictum restitutorium

tum concedenti, tum ejus heredibus. l. 2. D. de Precario. et l. 32. ib. de Donat. et ibi Brunneman.

§. 190. *Depositum* est contractus realis, quo alteri quidpiam gratis custodiendum traditur, ea lege, ut idem in specie ad Deponentis arbitrium restituatur. Si id fiat necessitate tumultus, incendii, ruinæ, naufragii, appellatur depositum *necessarium* ac *miserabile* l. 1. §. 1. et seq. D. h. t. Rationem depositi habet sequestratio voluntaria, quando litigantes rem litigiosam ultro apud alium deponunt. l. 6. 17. pr. D. h. t. (*t*). Substantiam Depositi efficiunt hæc. 1. consensus utriusque contrahentis rem habendi pro deposita. 2. Traditio ejusdem et receptio *custodiæ* causa. Nam leges pro eodem sumunt commendare, ac deponere l. 24. D. h. t. l. 186. D. de V. S. 3. Ut custodia impendatur gratis. 4. Ut depositum restituatur in specie ad arbitrium deponentis etiam ante tempus conventum, si velit; quia spectatur solum commodum deponentis. Ex defectu primi requisiti Ecclesia non tenetur de Deposito, si Clericus vel Religiosus illud acceperit sine consensu Capituli. c. 1. h. t. Aliud est etiam, quod monasteria vel Ecclesiæ tempore belli locum commodent deponendis aliorum rebus: aliud, quod se obligent ad custodiam; cum præsertim occasione rerum illatarum majus ipsæ suarum rerum periculum incurrant.

(*t*) Aliter disserendum est de sequestro, quod fit jussu Judicis, ut in casu singulari c. 14. de Sponsal. aut cum usurarum sistendarum causa apud Judicem aliquid deponitur.

§. 191. Siquid in iis, quæ ad substantiam depositi pertinere censentur, voluntate contrahen-

tium immutatur, alii doctores cessare depositum ajunt, ac oriri alium contractum: alii depositum vocant *irregulare*. Ac I. quia Depositum dictum est *ex eo, quod ponitur* l. 1. D. h. t. si res immobilis custodienda mandatur, alii agnoscunt depositum, alii contractum mandati censent. Nam is, cui res immobilis commendatur, non tantum *patitur*, rem apud se esse, uti depositarius, sed ad factum obligatur. II. Si merces intercedit, fit locatio conductio; si aliud quid, contractus innominatus. l. 1. §. 8. seq. D. III. Si rei non fungibilis usus conceditur, Depositum transit in commodatum: si vero usus rei fungibilis conceditur expresse vel tacite, ex deposito fit mutuum, simul ac usus rei fit. cit. l. 1. §. 34. Tacite videtur usus concedi, quando deponitur pecunia numerata, neque clausa, neque obsignata; nisi essent nummi singularis notæ, quos deponens asservatos velit. l. 24. 25. 26. §. 1. D. h. t. In pecuniis depositis cum expressa vel tacita licentia utendi, periculum non transfertur in depositarium, donec uti cæperit. l. 10. D. de rebus cred. Aliter statuit Codex civ. Bavar. P. 4. c. 2. §. 8. Alii in pecunia etiam sic deposita rationem, actionemque depositi admittunt.

§. 192. Ex natura hujus contractus sequitur: 1. Per depositum non transfertur dominium, aut jus in re, ac ne quidem vera possessio; unde nec longissimo tempore præscribitur. 2. Depositarius uti non potest re deposita sine consensu deponentis; secus committit furtum usus. §. 6. J. de obl. quæ ex del. nasc. l. 29. D. h. t. 3. Custodire rem depositam debet ea saltem diligentia, quam rebus suis adhibet. c. 2. h. t. 4. Si ea perit casu fortuito, aut culpa levi depositarii, periculum

spectat ad deponentem ; qui suæ facilitati imputare debet, si negligenti rem commendavit. §. 3. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. et l. 32. h. t. Tenetur ergo Depositarius tantum de dolo et culpa lata, nisi se ipsum deposito obtulit, aut aliquid pro custodia recepit: c. 2. h. t. Pacto, culpa, vel mora præcedentibus etiam casus fortuitus imputatur. ib. imo etiam dolo præcedente l. 1. §. 25. D. h. t. In restituendo deposito *hanc esse justitiam*, docet Ictus l. 31. D. h. t. *quæ suum cuique ita tribuit, ut non distrahatur ab ullius personæ justiore repetitione.* Si Depositum ipsum alius præter deponentem juste petere non possit, ob exuberantiam bonæ fidei nec locum in eo habet compensatio. c. 2. h. t. et l. 11. C. Depositi. et l. ult. C. de Commodat. etsi res omnes deponentis, ac proinde ipsum etiam depositum hypothecæ subjaceant. Aliud tamen est, si res ipsa deposita specialiter sit hypothecata, aut si propter expensas in depositum *necessario* factas jure retentionis quis utatur. Vinnius Select. QQ. l. 1. c. 52. Nam Depositarius indemnis servari debet ratione cujusvis damni a deponente dati dolo vel culpa etiam levissima, et consequi expensas in conservationem rei depositæ necessario factas l. 23. D. h. t.

§. 193. Quia in Commodato principaliter obligatur Commodatarius, in deposito depositarius, contra hos datur actio directa: ipsi autem indemnitatis causa actionem habent contrariam (§. 171.) uti in Jure civili ad hosce titulos distincte exponitur.

§. 194 Præter *commodatum* ac *depositum* ad contractus reales *nominatos* pertinet *pignus*, de quo inscribitur Titulus XXI. hujus libri, et *mu-*

tuum, cujus notio indicanda videtur hoc loco. Nam uberior tractatio rejecta est in L. V. *de Usuris.* Est igitur *Mutuum* contractus realis, quo res fungibilis ita datur alicui, ut ab eodem aliquando reddatur in genere. Ad *substantiam* Mutui vi notionis spectat I. *res fungibilis*, qualis dicitur ea, quæ fungitur vice alterius speciei, eique spectato usu, ad quem destinatur, æquipollet. Fungibiles censentur res, quæ pondere, numero, mensura æstimantur l. 2. §. 1. D. de rebus creditis. Id contingit in nummis, vino, tritico. In his enim tantundem est idem. II. *Traditio translativa dominii*; hinc mutuum dicitur, quasi *ex meo fiat tuum.* cit. l. 2. §. 2. Fit igitur in mutuo vera alienatio; quia transfertur dominium cum consectariis dominii, ceu facultate libere disponendi, percipiendi commoda rei, et ferendi onera, ceu periculum rei, nisi alio contractu avertatur. Ceterum traditio etiam fieri potest *brevi manu.* l. 11. pr. et l. 15. D. de reb. cred. III. *Obligatio* restituendi rem in genere. Nam species usu consumitur; si accipiens re mutuata usus non sit, per accidens fit, ut eadem reddatur in specie. Hinc creditori datur actio mutui, vel condictio certi ex mutuo. l. 5. C. quib. non objic. long. temp. præsc. adversus debitorem ejusque heredem ad tantundem in eadem quantitate et qualitate consequendum.

§. 195. Contractus mutui natura sua est *beneficus*, non tamen sine obligatione perfecta restituendi idem in genere: qua facta restitutione habetur perfecta æqualitas; nec debitor titulo solius mutui *ultra* obligari potest; quia *re* contrahitur obligatio; ac proin ultra *rem* acceptam non contrahitur. Lucrum ultra sortem ratione solius

mutui acceptum tanquam ex debito, appellatur *usura* omni jure prohibita; quemadmodum exponetur Lib. V. Decretalium, ubi etiam agitur de aliis titulis a ratione mutui diversis, quidquam exigendi ultra sortem; quales sunt lucrum cessans, damnum emergens, periculum sortis: de contractibus item, qui mutuo videntur affines, sed ab eo essentialiter discrepant. Quodsi titulus aliquis justus fingitur lucrum capiendi ultra sortem, cum reipsa non subsit, usura vocatur *palliata* (*u*). Ex natura Mutui sic explicata sequitur. 1. ut tantundem censeatur, si redditur idem in genere, id est, in eadem quantitate et qualitate. l. 3. D. de reb. cred. l. 99. ib. de solut. 2. Ut conveniri possit, ut minus reddatur, quam acceptum est, non ut plus. l. 11. §. 1. D. de reb. cred.

(*u*) Ex usu SS. Canonum Usura fere in deteriorem sensum solet accipi, uti nempe denotat usuram illicitam, et lucrum ratione solius mutui perceptum. Cum autem respuere non liceat voces Juris civilis et Jure-Consultorum jam civitate donatas: ad evitandam confusionem adhiberi solent termini restringentes, ut lucrum ratione solius mutui perceptum appelletur usura *stricte dicta*. Auctarium vero ultra sortem ex justo titulo in mutuo obtentum, *usura minus stricte dicta*.

§. 196. Quia in mutuo fit alienatio, id dare nequit, qui destituitur jure et facultate alienandi. §. ult. Inst. quib. alien. non licet. l. 11. §. ult. l. 13. D. de reb. cred. Et quia ex mutuo nascitur obligatio restituendi; qui obligari efficaciter non potest, is nec mutuum accipere. Religiosus accipiens mutuum sine consensu Abbatis et Capituli, aut Abbas vel Episcopus sine consensu Capituli non obligant monasterium vel Ecclesiam, nisi creditor probet, illud conversum fuisse in utilitatem Conventus vel Ecclesiæ. c. 4. de Fidejuss.

Nov. 120. c. 6. §. 3. Beneficiatus vel Rector Ecclesiæ absque consensu Superioris mutuum accipiens duntaxat tenetur ex fructibus, quos percipiendi liberam habet potestatem. Prælati Ordinum, quibus Capitulum adjunctum non est, istiusmodi contractus celebrant secundum statuta ordinis, ut Ecclesia vel domus obligetur. Singulare quid in Jure civili statuitur de filiofamilias, pecunias mutuas accipiente. §. 7. Inst. quod cum eo, qui in alien. potest. et tot. tit. D. de Scto Maced. et C. ad Sctum Macedonianum; quod prohibet, mutuas dare pecunias eis, qui in potestate patris sunt, eique, qui dederit mutuas, *regulariter* negat actionem efficacem tum adversus eos, qui in potestate sunt, tum eum, qui in potestate habet, hac etiam soluta.

TITULUS XVII.

DE EMTIONE ET VENDITIONE.

TITULUS XVIII.

DE LOCATO ET CONDUCTO.

ARGUMENTUM.

I. Contractus consensuales §. 197. *II. In his eminet Emtio Venditio* §. 198. *III. Sequitur Locatio Conductio* §. 208. *IV. Emphyteusis* §. 212. *V. Societas* §. 213 *VI. Mandatum* §. 214.

§. 197. Post contractus reales nominatos explicantur ii, qui solo consensu perficiuntur. In his præcipua est *Emtio Venditio*, et *Locatio Conductio*; quibus addi debet *Emphyteusis*; de qua

agitur c. ult. de loc. et cond. item *Societas* et *Mandatum.* Tit. Inst. de obligat. ex consensu. Ibi: *Istis modis obligatio dicitur consensu contrahi: quia neque scriptura, neque præsentia omnimodo opus est: ac nec dari quidquam necesse est, ut substantiam capiat obligatio. Sed sufficit, eos, qui negotia gerunt, consentire. Unde inter absentes quoque talia negotia contrahuntur, veluti per epistolam vel per nuntium. Item in his contractibus alter alteri obligatur in id, quod alterum alteri ex bono et æquo præstari oportet.*

§. 198. Celeberrimus est contractus emtionis et venditionis; quæ duæ partes ita connexæ sunt, ut altera sine altera intelligi non possit, uti fit in locatione et conductione, atque adeo in omni relato. *Origo emendi vendendique a permutationibus cœpit*, l. 1. pr. D. de Contrah. emt. donec nimirum nummus, seu pretium eminens, tanquam communis mensura rerum temporali pretio æstimabilium induceretur. Hinc Esau jus primogenituræ permutans pulmento, *Primogenita sua vendidisse* dicitur. Genes. XXV. v. ult. et quando in Jure sacro Simonia dicitur studiosa voluntas *emendi vel vendendi* aliquid spirituale vel spirituali annexum, nomine emtionis venditionis intelligitur omnis pactio utrinque onerosa, per quam una ex parte pretium temporale, aut quidquid eodem æstimatur, ex altera spirituale aut spirituali annexum concurrit. Proprie autem *emtio venditio* est contractus consensualis de re pro certo pretio tradenda. Res, de qua pro pretio tradenda convenitur, appellatur Merx. Ad substantiam ergo hujus contractus pertinet I. Res vel *Merx.* II. *Pretium.* III. *Consensus*, qui circa mercedem et pretium versatur.

§. 199. I. *Merx*, in quam pretium statuitur, I. censetur res omnis, quæ *in commercio* est, etiam spes, res futuræ, incorporales, ut hæreditas jam delata, actiones, nomina, et chirographa, indeque resultantia jura (*a*) II. etiam res aliena, modo alienam esse ignoret emtor; valet in his emtio venditio, non ut excludatur jus veri domini, qui eam vindicare potest, nisi usucapta sit. l. 30. §. 1. D. de act. emti sed ut actio emti et venditi oriatur, et venditor emtori re evicta teneatur ad id, quod interest. tot. tit. D. de Evictionibus. III. Si res, quæ venditur, in quantitates dividi potest per numerum, pondus, mensuram, et pro re tota in cumulo, vel pro omnibus quantitatibus unum pretium statuitur, dicitur venditio fieri per *aversionem*: si vero in singulas quantitates singula pretia constituuntur, *venditio ad mensuram*. l. 40. §. 2. D. de contrah. emt. In venditione per aversionem certus etiam quantitatum numerus duplici modo indicari potest, nempe *restrictive* ut ad præstandum certum numerum se venditor adstringat, vel *demonstrative* ut ad id non se adstringat, sed quadam ratione duntaxat æstimet; priori casu venditor eum numerum tenetur præstare, et contractus ad illum adstringitur, non item posteriore; sive dein major inveniatur numerus sive minor. arg. cit. l. 40. §. 2. adde l. 4. §. 1. l. 13. §. 14. l. 42. D. de act. emti. l. 69. §. 6. D. de evict. IV. Ad mercem venditam etiam referri debent *Pertinentiæ*, nempe accessoria, a re principali non separanda ob dispositionem legis, vel destinationem domini, si e. g. res mobilis cum immobili firmiter connectitur, vel perpetui usus causa ad eam destinatur. Huc ergo pertinent *fixa vincta*, non autem *ruta cæsa*. l. 17. pr.

et §. 6. l. 18. pr. l. 38. §. 2. D. de act. emt. V. Contra mercis nomine non veniunt res, quæ sunt extra commercium, aut speciali lege alienari prohibitæ, omnium vero minime res spirituales, iisque annexæ, aut quæ divini juris sunt.

(*a*) Jus censiticum, quod incorporale est, emi vendi posse, deciditur Extrav. 1. et 2. h. t. int. com. uti exponetur tit. de Usuris. Venditio nominum pro minore pretio sæpe subjacet legi Anastasianæ l. 22. et 23. C. Mand.

§. 200. II. *Pretium* pro merce, quatenus ad substantiam emtionis venditionis pertinet, 1. consistere debet *in pecunia numerata* saltem majore ex parte; si enim datur res pro re, fit permutatio §. 2. Inst. de emt. et vend. In dubio spectatur, quid contrahentes egerint, aut primo intenderint. l. 9. C. de rescind. vend. l. 6. §. 1. D. de act. emti. 2. Pretium debet esse *verum*; nam quod simulatur, aut dicis causa datur, non facit emtionem venditionem. l. 36. D. de contrah. emt. arg. l. 46. D. de loc. cond. (*b*) 3. *Certum* per se vel per relationem ad rem aliam, vel ad arbitrium tertii; quo standum est. Quodsi is pretium non definierit, emtio venditio nulla est. l. ult. C. de contrah. emt. §. 1. Inst. h. t. Certum non est pretium, si pecunia detur in folle.

(*b*) Exemplum simulati pretii extat c. 5. h. t. Dedit quis alteri mutuum; cumque usuras sibi stipulari ob prohibitionem Concilii Later. non auderet, id egit, ut mutuatarius sibi venderet domos et olivas, addito pacto, ut si is post elapsum septennium intra duos annos restitueret pretium, quod vix dimidium mercis attingebat, eam mercem, nempe domos et olivas redimere posset. Ob parvitatem pretii emtio venditio habita fuit a Pontifice simulata, et dolo inita ad percipiendam usuram palliatam. Ceterum siquis donationis causa minoris vendit,

venditio valet. l. 38. D. de contrah. emt. Addunt aliqui. pretium debet esse *justum*. Sed alia est quæstio de justitia, alia de substantia contractus. Si emens aut vendens enormiter læditur, rescissioni obnoxius est contractus, sed non per se irritus. Quod patet ex c. 3. h. t.

§. 201. *De justitia* pretii nota 1. Pretium dicitur, quanti res vel opera valet communi hominum, aut singulari peritorum æstimatione, aliquando etiam ex singulari aliquo affectu, quod pretium *affectionis* vocatur. 2. De rebus ad vitæ necessitatem vel commoditatem pertinentibus traditur l. 63. D. ad leg. falcid. *Pretia rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur*. 3. Communiter autem rerum pretia æstimantur non ex re sola, sed cum variis adjunctis, habita ratione copiæ vel raritatis mercium, singularis industriæ, periculi, laboris, impensarum res transportandi ab uno loco in alium. Sola utilitas vel necessitas ementis justa causa non est, pretium augendi. Hinc peregrinis, qui necessitate emunt, carius vendi non potest, quam alias in mercatu usuvenit. c. 1. h. t. 4. Pretium *Vulgare* est, quo res omne, inter se comparantur, æstimantur, et quodammodo exæquantur: *Eminens* appellatur pecunias vel *nummus*, in quo pretium rerum virtute continentur; atque hoc pretium communem velut mensuram præbet rebus omnibus in commercium venientibus. 5. Tale pretium dicitur *aut legale*, h. e. determinatum a lege vel magistratu: atque in hoc pretio quivis excessus vel defectus injustus est, ac reparari debet ei, in cujus favorem est definitum. Plerumque autem definitur in favorem emtorum; unde non licet pluris, sed minoris tantum vendere: aut *conventionale*, arbitrio paciscentium definitum; quod cum in indivisibili non consistat, intra justitiæ limites

dividi solet in *summum*, seu rigorosum: *medium* seu moderatum, et *infimum*. 6. ob læsionem *enormem* seu *ultra dimidium* rescindi potest emtio venditio remedio l. 2. C. de rescind. vend. Quæ lex ob æquitatem ad alios contractus onerosos protenditur. 7. Si venditor ultra dimidium læsus agit ad restitutionem rei venditæ, emtor ab eo onere ex legis dispositione liberatur supplendo id, quod deest justo pretio c. 3. et 6. h. t. (*c*)

(*c*) Quando venditor ultra dimidium læsus censeatur, facile patet, si pro re justo et infimo pretio æstimata 100. nummis, accipit tantum 40. De Emtore, quando ultra dimidium læsus censeri debeat, disputant; multi putant id fieri, si pro re justo et summo pretio æstimata 100. nummis dedit 160. Sic enim inquiunt: venditor ultra dimidium læditur, si ab accepto pretio (40 nummorum) plus quam dimidia pars justi pretii (quæ est 50 num.) deficit. Ergo emtor ultra dimidium læditur, si in dato pretio (160) plusquam dimidia pars justi pretio (50) redundat. Alii ad talem læsionem emtoris in dato exemplo requirunt, ut emtor dederit ultra 200 e. g. 202. Id quod statuta Bavariæ habent. Sic enim disserunt: venditor læditur ultra dimidium, si acceptum pretium (40) non attingit dimidiam partem datæ mercis justo pretio æstimatæ (50). Sic emtor læditur ultra dimidium, si accepta merx juste pretio æstimata (100) non attingit dimidiam partem dati prætii $\left(\frac{160}{2} = 80\right)$. Id autem dici non potest, nisi emtor dederit ultra ducentos. Prior sententia videtur æquitati conformior. Pro justitia emtionis venditionis, quæ fit ad mensuram, præcipue curandum, ut mensuræ et pondera sint justa. c. 2. h. t.

§. 202. III. *Consensus* tanquam tertium requisitum ad substantiam hujus contractus pro objecto habet pretium pro merce, mercem pro pretio. Si ergo consensus ratione mercis vel pretii nondum est perfectus, nec emtio venditio erit perfecta; uti si res venditæ ad pondus,

numerum et mensuram (§. 199. III.) nondum adpensæ, adnumeratæ, vel admensæ sint. l. 35. §. 5. D. de Contrah. emt. vel si res ad gustum vendita, nondum degustata perierit. l. 34. §. 5. ib. (*d*). Si inter contrahentes convenerit, ut emtio *in scripto* celebretur, perfectus consensus censetur suspensus ad absolutam scripturam. pr. Inst. h. t. l. 17. C. de fid. instrument.

(*d*) Consensus ante admensurationem non intelligitur perfectus ad hoc, ut periculum rei in emtorem transeat, nisi res ante admensurationem esset tradita. Eo non obstante etiam ante admensurationem cessat jus pœnitendi.

§. 203. Consensus ad substantiam hujus contractus necessarius tria videtur continere 1. voluntatem deliberatam ac liberam a dolo et errore, quatenus hic voluntati ac valori pactorum generatim obstat. l. 9. seq. D. de contr. emt. 2. Jus ac facultatem emendi vendendi, quæ sæpe alligatur certis solemnitatibus, quas adhibitas fuisse præsumitur post longissimum tempus. c. 4. h. t. Huc pertinet, quod nemo invitus emere aut vendere cogatur, nisi urgente æquitate vel utilitate publica: et quod Clericis ac Religiosis emere *negotiationis* causa sit prohibitum. can. *quicunque*. 9. XIV. q.4. 3. Perfectionem emtionis venditionis *solo* consensu nixam, etsi nihil ab alterutra parte præstitum sit; nec scriptura, aut verborum solemnitas intercesserit. Hinc posito consensu reipsa oritur actio emti et venditi, etsi efficaciter intentari non possit, nisi ab eo, qui ex sua parte implevit contractum, aut mox implere paratus sit. Implementum ergo vel consummatio hujus contractus ab ejus perfectione distingui debet (*e*).

(*e*) Perfecta per consensum emtione venditione discedi ab ea non potest, nisi communi consensu, ut proin

neutri contrahentium sit locus pœnitentiæ: quamdiu tamen nihil eorum, quæ ex natura contractus præstari debent, præstitum est, Jure Romano res dicitur integra, ut nempe solo pacto discedi a contractu possit. l. 58. D. de Pact. l. 1. et 2. C. quando liceat disced. ab. emt. §. ult. Inst. quibus mod. toll. oblig.

§. 204. Jura et obligationes emtoris ac venditoris ex natura hujus contractus intelliguntur. Alter pretium solvere, alter rem tradere tenetur; quæ tamen prestatio mutua non nihil diversa est. Emtor nummos, quos pretii nomine præstat venditoris facere cogitur; quia pretii, quod in pecunia numerata consistit, nullus est usus, nisi fiat accipientis; et generis debitor non liberatur, nisi rem ex eo genere perfecte faciat accipientis l. *heres* 58. D. de evict. l. *si a substituto.* 45. §. 1. D. de legat. 1. At venditor per se non dominium transferre debet, sed vacuam rei possessionem tradere. l. 25. §. 1. D. de contrah. emt. l. 2. §. 1. l. 3. pr. l. 30. §. 1. D. de act. emt. Si venditor rei traditæ dominium ante habuit, id traditione transferret reipsa in emtorem; secus transfert conditionem usucapiendi, et evictionis nomine obligatur.

§. 205. Si emtor alienis nummis emit rem suo nomine, decisum est, in judicio singulari rem non succedere in locum pretii, nec pretium in locum rei. Exceptio est 1. si ex pecunia militis res emitur. l. 8. C. de rei vind. 2. Si ex pecunia pupilli. l. 2. D. quando ex facto tutor. 3. Si ex pecunia ecclesiastica. can. *Res in Episcopatu.* 12. XII. q. 2. can. *Placuit.* 1. ead. q. 3. can. *Sacerdotes.* 1. ead q. 4 c. 4. de pecul. Cleric.

§. 206. Emtor pretio non soluto, nec satisfactione alio modo præstita dominium rei etiam traditæ non acquirit, nisi fidem emtoris secutus sit venditor. l. 19. D. de contrah. emt. §. 41. Inst. de rer. divis. Perfecto per consensum contractu etiam ante traditionem sentit casum, et habet commoda rei (§. 184.) nisi res ex antiquo vitio perierit. l. 1. D. ult. C. de per. et Commod. rei vend. aut si emtio nondum fuerit perfecta. §. 202. Tenetur præterea emtor manifestare bonitatem mercis, quam ignorat venditor: tenetur venditor manifestare occultum vitium, quo res fit inutilis ad finem. Et cum in hoc contractu par sit utriusque commodum, alter alteri tenetur præstare culpam levem. Emtori competit actio emti, venditori actio venditi. Ob occultum rei vitium a venditore non manifestatum emtori ex ædilitio edicto præterea competit actio *redhibitoria*, et *æstimatoria*, seu *quanti minoris.*

§. 207. Commemoranda sunt varia pacta, quæ emtioni venditioni sæpe adjiciuntur. I. *Pactum de retrovendendo et redimendo* est, vi cujus emtor, ejusve heres possit aut debeat rem emtam revendere venditori. II. Pactum *legis commissoriæ*, vi cujus pretio intra certum tempus non soluto res sit, vel fiat inemta. tot. tit. D. de lege commiss. III. *Addictio in diem*, vi cujus venditori licet rem venditam alteri vendere, qui meliorem obtulerit conditionem, nisi emtor eandem offerat. tot. tit. D. de in diem addictione. IV. *Pactum Protimiseos*; quo venditor pro casu, quo res aliquando ab emtore vendatur, prælationem sibi præ aliis reservat. l. 75. D. de contrah. emt. ubi etiam agitur de *pacto constituti possessorii*. Lib. II. Decret. §. 158. n. II. A jure protimi-

seos differt omnino jus *Retractus*, vi cujus potest quis rem immobilem alteri venditam ad se retrahere, eodem tamen oblato pretio, quod alter dedit vel promisit, et refusis expensis, quas interea fecit primus emtor. Ejusmodi Retractus est legalis, conventionalis, qui in jure Protimiseos continetur, et Gentilitius.

§. 208. *Locatio et conductio proxima est emtioni et venditioni, iisdemque juris regulis consistit.* Princip. Inst. de locat. et cond. Estque contractus consensualis de usu rei, aut opera illiberali, vel confectione operis pro certa mercede præstandis. Tria ergo ad ejus substantiam pertinent, ex quibus siquid deficit, aliud negotium censetur actum; I. *consensus.* II. *Usus rei*, *opera*, vel *opus conficiendum.* III. *Merces*, consistens in pecunia numerata, eaque certa, ac vera, non simulata, uti dictum de emt. et vend. §. 200. Res tamen, quæ fructus ex se progignunt, recte pro parte fructuum *absolute* determinata locantur. l. 21. C. de locat. et cond. Si conventum fuerit de certa quota omnium fructuum, conductor dicitur *colonus partiarius* et socio quodammodo similis est. l. 25. §. 6. D. locati cond.

§. 209. *Res* locari possunt omnes, mobiles, immobiles, incorporales: quæ nempe usu non consumuntur, et in commercio sunt, id est, quarum usus temporali mercede æstimatur. Unde lib. 5. extat Rubrica Decretalium: *Ne Prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu concedant (f).* Operæ item omnes, quæ honestæ sunt, et mercedem ac æstimationem recipiunt; quales sunt illiberales. Unde opera medici, advocati, aliorum, qui ingenio, elo-

quentia, fide rem nostram agunt, non censetur locari. Clericis et militibus dantur *stipendia*, officialibus *salaria*, iis, qui factum utile sine conventione nobis præstant, *honoraria*. Pro re immobili conducta dicitur dari *pensio*: pro usu alterius rei vel pro opera illiberali *merces* non *pretium*. Nam pretium est æstimatio rei totius, ut in emtione: at æstimatio usus rei vel operæ dicitur *merces*, sive pretium usus.

(*f*) Ex diversitate rei conductæ varia proveniunt nomina: qui agros conducit, *colonus*: qui ædem, *inquilinus*: qui vectigalia, *publicanus*: qui reditus alicujus provinciæ vel districtus, *admodiator*. In locatione operis faciendi, qui pensionem dat, dicitur *locator operis*, et *conductor operarum*: qui opus pro pensione faciendum suscipit, *conductor vel redemptor operis*, et *locator operarum*.

§. 210. *Consensus* ad hunc contractum requisitus tria videtur involvere, uti supra dictum est de emtione §. 203. *Primo* voluntatem contrahentium a dolo et errore liberam: *secundo* jus et facultatem moralem. Huc pertinent decisiones hæ: Clerici prohibentur conducere ex causa quæstus. c. 1. Ne Clerici vel Monachi. Prælati et Rectores Ecclesiarum res immobiles locare non possunt ultra triennium absque solemnitatibus juris. Extrav. *Ambitiosæ*. int. comm. de reb. Eccl. alien. In Germania est consuetudo locandi ad novennium; quia in multis locis pleni fructus prædiorum non percipiuntur, nisi singulis trienniis. Hinc si prædium Ecclesiæ sine solemnitatibus locatur ad longius tempus, contractus sustinetur ad novennium. Locatio nomine Ecclesiæ rite facta; tenet etiam post mortem Rectoris. Si autem Rector Ecclesiæ locet suo nomine prædia ad suam mensam pertinen-

tia, successori suo præjudicare non potest. *Tertio*, perfectionem contractus, quæ solo consensu fit ante omnem traditionem, ut mox actio locati conducti nascatur; nec possit a locatore usus rei concedi alteri, majorem fortassis mercedem aut pensionem offerenti; uti ob hanc causam ante finitum conductionis tempus conductorem expellere sine ejus consensu non potest; qui est casus c. 1. h. t. Poena gravior ibi addita videtur fuisse localis pro Bononia; quo illa tempestate plurimi exteri studiorum causa confluxerant, hospitia quærentes cum detrimento priorum conductorum.

§. 211. Jura et obligationes locatoris et conductoris ex natura contractus intelliguntur, et exponi solent in Institutis, Digestis et Codice h. t. Et quia de utriusque commodo agitur, alter alteri tenetur de culpa levi. Lis non infrequens est de incendio in domo conducta orto. Nisi enim constet de casu fortuito, præsumitur, id accidisse *culpa* inhabitantium. l. 3. §. 1. D. de offic. Præf. Vigil. l. 11. D. de peric. et commod. rei vend. Sed Dominus ædium probare debet, *cui* imputanda sit culpa, eamque saltem levem fuisse. Alia non raro quæstio agitatur de remittenda mercede, si colonus parum aut nihil fructuum percepit. C. 3. h. t. deciditur in hunc modum: *Propter sterilitatem afficientem magno incommodo conductores, vitio rei, sine culpa coloni, seu casu fortuito contingentem, colonis Ecclesiæ tuæ pro rata pensionis remissio est facienda, nisi cum ubertate præcedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari.* Denique cum ante tempus conductionis elapsum conductor *regulariter* expelli non possit, eod. c. ponitur exceptio: *in-*

vito inquilino domum inhabitare vel reficere poteris, si necessitas, (quæ tamen non imminebat locationis tempore) id exposcat: remissa sibi pro residuo temporis pensione: qui etiam inde rationabiliter amovetur, si perverse ibi fuerit conversatus, vel cum canonem per biennium non solvisset, sibi satisfactione celeri non providit. Id pertinere non modo ad emphyteusin, si per biennium canon non solvatur, sed etiam ad locationem, si ejus merces non solvatur biennio, patet ex contextu hujus capituli, in quo de locatione ædium agitur, et ex l. 54. §. 1. l. 56. D. de locat. et cond. Reliquæ exceptiones continentur l. 3. C. eod.

§. 212. *Emphyteusis* distinctam ab emtione venditione, et a locatione conductione naturam nacta est per Constitutionem Zenonis Imp. §. 3. Inst. de loc. cond. L. 1. C. de jure emphyteut. Nomen habet ab inserendo vel implantando; cum olim terra inculta hoc contractu tradi consueverit, ut ad culturam redigeretur. c. 7. de reb. Eccl. non alien. Est autem nunc Emphyteusis contractus, quo res immobilis cum translatione dominii utilis, alteri colenda et fruenda conceditur sub onere pensionis realis domino directo certis temporibus persolvendæ pro fructibus, et in recognitionem dominii directi. Ex prima constitutione initi hujus contractus colligendum est, quinam sequentibus temporibus primo Emphyteutæ succedant, et quoties, cum mutatur Emphyteuta, Laudemium in recognitionem investituræ solvi debeat. Vendi res non potest irrequisito domino directo. Et quia per emphyteusin fit alienatio dominii utilis, res Ecclesiarum sine solemnitatibus concedi non possunt, *nisi in emphyteusin ab antiquo concedi solitæ* (Extrav. *Ambitiosæ*, int Comm. de Reb. Eccl. non alien.)

manentibus nempe iisdem circumstantiis, et eadem Ecclesiæ utilitate. Quodsi dein ex emphyteusi ecclesiastica canon per *biennium* non solvatur, ea fit caduca, nisi Emphyteuta celeriter offerendo moram purget. c. fin. de loc. et cond. (g) Emphytensi affinis est contractus *Libellarius*, quo prædium certo pretio conceditur, et certa pensione in annos singulos constituta, hac fere lege, ut condicto tempore contractus renovetur, rursus numerato pretio certo vel arbitrario: Aliud negotium erat *affictus*, de quo fit mentio c. fin. de restit. spoliat. II. Conf. Stryck de U. M. l. 19. tit. 2. §. 23.

(g) A bonis emphyteuticis distingui oportet censitica, quæ apud gentes Germanicæ originis tam frequentia sunt, ut in dubio censitica potius, quam emphyteutica præsumantur. Ex his solvitur census annuus vel in recognitionem jurisdictionis, vel quia venditores accepto minore pretio eum sibi reservarunt, aut dato pretio postea a dominis prædiorum emerunt.

§. 213. Quartus contractus consensualis est *Societas*, quæ confundi non debet cum *rerum communione*. l. 2. D. communi divid. et l. 31. 32. 33. D. pro socio. Societas est contractus consensualis de re vel operis communicandis, usus aut quæstius gratia. Interest autem, utrum quis operas conferat tanquam socius, an tanquam *Institor* pro certa mercede negotiationi præsit. *Si maleficii societas coita sit, constat, nullam esse societatem. Generaliter enim traditur: rerum inhonestarum nullam esse societatem:* l. 57. D. eod. Societas inita cum pacto, ut unus omne lucrum solus; alter totum damnum, si forte eveniat, solus sentiat, *Leonina* dicitur. l. 29. §. 2. ib. Communio lucri, quæ per societatem intenditur, naturaliter etiam infert communionem damni. Po-

test tamen istius periculum abesse, si alia ratione alteri id compensatur, forte per spem majoris lucri. Speciale est in hoc contractu, 1. quod socius socio teneatur ad culpam levem in concreto. l. 72. ib. 2. Quod socius dolum committens notetur infamia. l. 1. et 6. D. de his, qui notant. inf. 3. Quod demum, contra morem contractuum bilateralium, a societate etiam invito socio discedi possit, etsi expresse aliter conventum fuerit; id quod odio communionis permissum est; modo renuntiatio non absenti, intempestive et fraudulenter fiat. Nascitur ex hoc contractu *actio pro socio* utrinque directa.

§. 214. Postremus contractus consensualis est *Mandatum*, quo alteri negotium gratis gerendum committitur, et ab altero suscipitur. Nititur fide et mutuo consensu, non auctoritate mandantis. Unde mandari potest inferiori, pari, Superiori. Si tibi mandem tua tantum gratia, nec mea intersit, non erit mandatum, sed consilium. Nec si tibi quempiam commendavero, ut ei benevolum te præbeas, mandatum est. Si absentis et ignorantis negotium suscipitur, non mandatum, sed *negotiorum gestio* dicitur. At mandatum tacitum censetur, siquis præsens ab altero negotia sua geri patitur (*h*). Imo et ratihabitio pro mandato est, modo alterius nomine res acta sit, et ratihabitio nondum perfecto negotio accedat. c. 9. et 10. de R. J. in 6. et l. 60. D. eod.

(*h*) Exempla sunt l. 6. §. 2. D. Mandati. et l. 18. eod. ibi: *Qui patitur ab alio mandari, ut sibi credatur, mandare intelligitur.* E. g. te præsente et non contradicente mandavi Vitio, ut tibi X. daret. Intelligeris mihi mandasse, ut Vitio mandem; et teneris mihi, perinde ac Vitio mandati. adde l. 53. ib.

§. 215. De Mandatario generatim statuitur, eum excedere regulariter non posse fines mandati, nec obligare mandantem, si excesserit, et in potestate habuerit non excedere. l. 5. pr. D. l. 12. C. Mand. c. 22. de rescript. ubi acta contra aut præter formam mandati, dicuntur irrita. Contraria decisio videtur extare c. fin. de homicid. in 6. ibi: *Is, qui mandat aliquem verberari, licet expresse inhibeat, ne occidatur ullatenus, vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens, mutilet vel occidat: cum mandando in culpa fuerit, et hoc evenire posse debuerit cogitare.* At constat præsertim ex c. 12. 16. et 24. de Homic. SS. Canones ob reverentiam divinæ rei de irregularitate ex homicidio rigidiores statuere regulas, quæ ad alios casus penitus diversos applicari non possunt. Culpam etiam levissimam a mandatario esse præstandam, multi ajunt ob l. 13. et l. 21. C. h. t. Alii negant; quia mandatarius duntaxat ad factum obligatus est. §. 182. Quia autem mandatarius suscepto mandato obligatur principaliter, mandans secundario, ac pro eventu quodam; hinc contra priorem datur actio *directa*, contra posteriorem *contraria* §. 171. Quo pertinet memorabilis doctrina tradita l. 27. §. 4. D. Mand. ibi: *Impendia mandati exequendi gratia facta, si bona fide facta sunt, restitui omnino debent: nec ad rem pertinet, quod is, qui mandasset, potuisset, si ipse negotium gereret, minus impendere.* (*i*).

(*i*) De Mandato judiciali sive de procuratore ad litem actum est Lib. I. Decret. tit. 38. de Procuratoribus; ubi ad §. 567. animadverti, distinctionem inter procuratorem *cum libera, et sine libera* ab Heineccio haberi pro otiosa et inani. Alii sic ajunt: mandatum *cum libera* tantum in genere determinat, quid a mandatario

fieri debeat, ceteris ejus arbitrio relictis: *sine libera* præcise definit, quid fieri debeat, ita ut nihil ejus arbitrio relinquatur. Sed hoc etiam discrimen alii ad mandatum generale et speciale referunt. Reliqua ad hos contractus pertinentia petenda sunt ex Inst. Dig. et Cod. Juris civilis.

TITULUS XIX.

DE RERUM PERMUTATIONE

ARGUMENTUM.

I. Contractus innominati, et Pacta præparatoria. §. 216. *II. Permutatio rerum Ecclesiæ, et beneficiorum.* §. 217.

§. 216. Agitur hic de Contractibus *realibus* innominatis (§. 164.) qui requirunt; ut unus det, aut faciat ea lege, ut alter det vicissim, aut faciat. Hi generatim revocantur ad *permutationem* rerum vel operarum. Sunt Scriptores, qui *permutationem stricte dictam* appellant, quando datur species, ut vicissim alia detur species: si vero datur species pro genere, vocant contractum innominatum: *do*, *ut des*. Ab his contractibus, qui *re* perficiuntur, tam nominatis, quam innominatis, differunt pacta *præparatoria*, solo consensu nixa, de dando commodato, deposito, mutuo, pignore, aut de permutando. Ex his, cum essent pacta *nuda*, actio non dabatur Jure Romano. At vero Jure naturali, Canonico, et Germanico atque ipsa praxi ex his etiam oritur actio (*a*). Dein Jure Romano in contractu permutationis, qui prior dedit, jus habebat pœnitendi, etsi alter stare vellet contractu, modo eum nondum implesset. l. 3. §. 2. l. 5. pr. seq. D. de Cond.

causa data. l. 5. §. 1. D. de præscript. verbis. At vero hodie is, qui prior dedit, tantum agere potest actione præscriptis verbis, ut alter id, quod vicissim promisit, præstet. §. 28. Inst. de Act. et l. 1. 2. 3. 4. D. de præscript. verbis. Si alter rem *alienam* præstare deberet, non potest agi, ut ea detur, vel id, quod interest; sed qui prior dedit, repetit rem suam conditione *causa data*, *causa non secuta.* Idem est, si unus dedit rem, et res alterius, de qua conventum est, pereat. l. ult. D. de cond. causa data (*b*). Si uterque rem tradidit, unus propriam, alter alienam, et hæc postea evincatur, datur actio in factum. l. 1. §. 1. D. h. t. Ad contractus innominatos referri solet 1. *contractus æstimatorius*, quo res æstimata certo pretio vendenda traditur cuipiam; ea lege, ut vel res eadem referatur, vel pretium. l. 1. pr. D. de æstimatoria. l. 17. §. 1. ib. de præsc. verb. 2. *Contractus suffragii*, quo Aulico quid datur, ut negotium Principi commendet. l. un C. de Suffrag. 3. *Cambium*, seu negotiatio collybistica.

(*a*) Conf. Lib. I. Decret. Tit. de Pactis. §. 546. De Praxi Germaniæ conf. Leyserus Vol. I. Spec. 39. de Pactis nudis, ubi §. VII. refutatur Carpzovius, qui unus fere negat, ex pacto de permutando actionem produci.

(*b*) Obstare videtur l. 5. §. 1 D. præscr. verbis ibi: *Si Scyphos tibi dedi, ut Stichum mihi dares, periculo meo Stichus erit* Item regula data §. 184. n. 2. At enim Romani dando condictionem causa data, causa non secuta pro contractibus innominatis, confugiebant ad quasi contractus, et præsumebant illum, qui ex causa accepit, tacite se obligasse extra id, quod actum erat, ut causa non secuta acceptum restituat. Heinec. in Pandect. ad tit. de condict. causa dat.

§. 217. His generatim præmissis ad permutationem rerum Ecclesiæ vaniendum est. I. Res *temporales* Ecclesiarum permutari possunt cum

emolumento earum, aut certe sine damno, et adhibitis solemnitatibus, ut de hoc ipso constet. c. 1. h. t. (*c*). ac facilius etiam conceditur permutatio, quam venditio; quia pretium pecuniarium majori dissipationis periculo subjacet. l. 22. in fin. C. de Administr. tutor. II. Res *spirituales* permutari non possunt cum temporali, sed cum spirituali e. g. reliquiæ cum reliquiis; de beneficiis mox dicam. III. Res *mixtæ ex spirituali et temporali annexo* ita permutantur, ut fiant duo contractus, qui inter se misceri non debent, quemadmodum eleganter traditur. c. 6. h. t.

(*c*) Sententia hujus c. continetur in Nov. 7. c. 2. et refertur in Auth. *Sed et permutare* ad l. 14. C. de SS. Eccl. Unde patet, Ecclesiam se facilem præbere, si Princeps velit permutare rem suam majoris vel æqualis pretii cum re Ecclesiæ.

§. 218. De permutatione beneficiorum, præbendarum et dignitatum ecclesiasticarum nota: I. Ea fieri non potest propria auctoritate permutantium. Omnia enim privatorum pacta in caus- beneficiali sunt irrita. c. 5. de Pact. et qui permutationem facto attentant, privantur suis beneficiis per sententiam judicis. c. 7. II. Possunt tamen inter se tractare de permutando, et conditionate concludere, si Superior admittat. Jure quidem communi istiusmodi permutationes prohibitæ sunt, sic tamen, ut Episcopo ex justa causa detur facultas permutationem admittendi, vel potius sua auctoritate efficiendi. c. 5. (*d*). III. Nam quia in permutatione fit destitutio et institutio simul, ac utraque canonica esse debet; permutatio *intuitu beneficiatorum* nihil est, nisi resignatio conditionalis, ut loco unius beneficii obtineatur aliud: Intuitu autem Episcopi ea est translatio personarum de uno beneficio ad aliud, fa-

cta ejus auctoritate cit. c. 5. Notanda est autem doctrina Clem. un. h. t. ibi: *Siqua beneficia ex causa permutationis, ab aliquibus resignata, aliis, quam ipsis permutare volentibus conferantur, nullius hoc esse volumus firmitatis.* Hinc etiam gratiæ exspectativæ non obsunt permutationi. c. un h. t. in 6. conf. §. 106. seq. de primariis Precibus. IV. Etsi Episcopus ex justa causa in permutatione adjicere possit aliquas conditiones, vel pensiones, non tamen ex hoc solo capite, quod unus permutet beneficinm pinguius cum minus pingui; quia jus percipiendi reditus pinguiores utpote annexum titulo spirituali sine simonia compensari non potest pecuniis tanquam pretio temporali. Nec vero Episcopus titulum spiritualem separare potest a jure percipiendi reditus ob jus commune per Rubricam expressum: *Ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur.* V. Ad permutationem consensus etiam patronorum requiritur. Etsi enim hi impedire non possint, quo minus beneficiatus relinquat suum beneficium; non tamen tenentnr acceptare alterum, quem non præsentaverint. Ex eadem ratione permutatio beneficii, cujus collatio specialiter reservata est Pontifici, coram ordinario fieri non potest. VI. Episcopum etiam invitos compellere posse ad permutandum, si bonum commune id poscat, Doctores passim tradunt.

(*d*) Episcopi nomine venit 1. is, qui potestate quasi Episcopali pollet. 2. Sede vacante Capitulum in beneficiis, quorum collatio non ad solum Episcopum, sed ad Capitulum et Episcopum simul, vel ad tertium spectat. 3. Eo nomine non venit Vicarius generalis, nisi ex speciali commissione: nec Collator Episcopo inferior; quia in permutatione opus est non tantum potestate instituendi, sed etiam destituendi beneficiatum, quam inferiores Collatores plerumque non habent.

TITULUS XX.

DE FEUDIS.

ARGUMENTUM.

I. Sunt contractus, per quos transfertur dominium utile. §. 219. *II. In his sunt feuda.* §. 220. *III. Feuda ecclesiastica.* §. 222. *IV. Episcoporum Germaniæ et Clericorum.* §. 223.

§. 219. Sunt contractus, per quos transfertur *dominium utile*, sive jus utendi fruendi prorsus liberum, proprietate sive dominio directo penes alium manente. Id fit I. in *Emphyteusi*, II. in *contractu libellario*, de quibus actum est §. 212. ob affinitatem cum locatione conductione: III. In *jure superficiario*, (Lib. II. Decret §. 149. n. II.) quale etiam constituitur in ædibus jam extructis, quæ ita venduntur aut donantur, ut dominium in solo retineat venditor, aut donator: IV. In *Feudo.* Ususfructus alius dicitur *causalis*, si competit ex causa et jure dominii, tanquam consectarium ejusdem. Lib. II. Decret. §. 148. Alius *formalis*, estque servitus personalis, quæ consistit in jure, rebus alienis corporalibus utendi fruendi salva earum substantia. Atque hoc jus, (ut patet tit. Inst. de usuf.) non est ita liberum, ac illud, quod vi dominii pleni vel utilis competit, et cum jure vindicationis conjunctum est.

§. 220. *Feudum* est dominium utile in re immobili aut incorporali constitutum sub onere fidelitatis ab eo, qui dominium directum retinet,

Qui tale dominium hoc modo obtinet, appellatur *Vasallus*, aut *Feudatarius*. Notandum autem, istiusmodi voces, quæ in materia contractuum occurrunt, ceu feudum, Emphyteusis, superficies, commodatum, depositum pignus etc. sumi tripliciter, 1. *objective* pro ipsa re in feudum, emphyteusin data, aut deposita vel commodata. 2. *Formaliter* pro ipso contractu, aut titulo, quo eæ res conceduntur. 3. *Effective* pro effectu juris inde resultante. Hoc modo feudum *active* est jus domino directo competens investiendi de feudo, *passive* est jus vasalli, seu dominium utile supra descriptum.

§. 221. Olim feuda ex benignitate Principis dabantur ministris in stipendium salarium, compensationem servitiorum militarium vel aulicorum cum obligatione fidelitatis, quæ ministris propria est. Unde more aliorum stipendiorum ad nutum revocari poterant: postea per annum, demum ad vitam Vasalli durabant, et *beneficia* dicta sunt. Atque hæc natura antiqui Juris feudalis nunc elucet ex modo, quo Clerici beneficia sua possident. Tractu temporis ac consuetudine, qua Jus feudale nititur tum generali Longobardica corpori Juris inserta, tum speciali Alemanniæ, Saxoniæ etc. alia prorsus forma inducta est, ut scilicet non tantum concedatur gratis et benevole, sed ut etiam perpetuo ad heredes, et quidem masculos, sub nova investitura, inalienabiliter sine consensu domini directi transeat: ut fidelitas promittatur jurato, et ut Vasallus obligetur ad obsequia personalia certa. Porro feudum, quod has proprietates omnes, ac primariam intentionem servat, vocatur *Rectum*, seu *Proprium*: quod in uno alterove articulo declinat, *non re-*

ctum seu improprium, Species feudi recti est feudum *Nobile*, et maxime feudum *Regale*. Sunt aliæ feudi denominationes, ceu ratione *originis* novum, antiquum, avitum: item datum, oblatum: emtitium, pignoratitium. *Ratione successionis* hereditarium simpliciter, vel ex pacto et providentia Majorum, quod etiam appellatur *Gentilitium*, seu feudum familiæ. Ratione *bonorum ecclesiasticum*, quod in bonis ad Ecclesiam pertinentibus constituitur a Prælato ecclesiastico: *sæculare*, quod constituitur in bonis non ecclesiasticis, sive concedens, aut accipiens sit persona ecclesiastica, aut secularis. Ratione *subjectionis et obligationum Vasalli* est Feudum Francum seu liberum, aut bursaticum ob solvendum relevium, quoties mutatur Vasallus; dein Ligium, quando Vasallus domino præstat fidelitatem adversus quoscunque. Clem. 2. de Sent. et re jud. In terris Imperii semper excipitur Imperator. II. Feud. tit. 7. et tit. 55. in fin. Non Ligium, quando Vasallus Domino promittit fidelitatem non adversus quoscunque alios, sed ita, ut etiam aliis obligare se possit (*a*). Bonis omnibus Feudalibus opponuntur *allodialia*.

(*a*) Historia et doctrina rei feudalis in specialem redacta est disciplinam, atque ad Jus Publicum particulare refertur maxime. Unde satis est ea attingere hoc loco, quæ Juris ecclesiastici cummunis propria sunt.

§. 222. In feudo fit translatio dominii utilis, quæ est alienatio. §. 153. n. III. ac fieri non potest sine solemnitatibus præscriptis. Singulariter infeudari prohibentur ab Urbano II. bona ad necessariam Cleri sustentationem assignata (*b*): et ab Alexandro III. et Conc. Lateranensi III. Decimæ (*c*). Nihilominus Prælati Ecclesiarum

possunt I. renovare Feuda antiqua, novas investituras dando heredibus Vasalli secundum tenorem primævæ institutionis. II. Feuda aperta, atque ad Ecclesiam reversa dare de novo, si tales res nondum fuerint mensæ Prælati incorporatæ c. 8. de rebus Eccl. non alien. et si ab antiquo infeudari solitæ sint; idque facere possunt non obstante juramento de non infeudando de novo. c. 2. h. t. III. Si Feudum ob alienationem a Vasallo factum sit caducum, ejus filium, aut consanguineum investire possunt. cit. c. 2. IV. Si Feudum ita alienatum fuerit, ut ab ipsis Prælatis facile recuperari non possit; iidem illud alicui Laico ita concedere possunt, ut illud recuperet, et in Feudum per Ecclesiam recognoscat. ibid. (*d*).

(*b*) Lib. I. Feud. tit. 6.

(*c*) C. 15. 17. 19. de Decimis.

(*d*) Olim bona Ecclesiarum ob eam maxime causam in Feudum data fuerunt, ut Nobiles Vasalli ad earum defensionem adstringerentur: item a Prælatis, qui sunt Principes Imperii, ob officia aulica Mareschalli, Camerarii, Vincernæ et Dapiferi, quæ sunt officia hereditaria. Alia Feudorum occasio erat oblatio bonorum facta Ecclesiæ hac intentione, ut eadem rursus in feudum darentur offerentibus. Jus Patronatus in feudum concessum fuisse, et adhuc concedi, plurimis exemplis, ipsaque appellatione Germanica (6. farr. Lehen) intelligitur.

§. 223. Episcopi, aliique Prælati Germaniæ Principatus et plerasque ditiones suas recognoscunt tanquam feuda Imperii, et iis investiuntur ab Imperatore. Etsi enim status Vasallorum origine sua sit militaris; potest tamen Concedens varias conditiones aptare feudo, at-

que hanc etiam, ut servitia militaria præstentur per alium. Id quod faciunt Episcopi nostri absque læsione status sui. Unde criminatio Protestantium non tam in Prælatos Ecclesiarum, quam ipsos Imperatores vertitur (e). Tempus petendæ investituræ, quod est *annus et mensis*, vel ut aliis locis dicitur, *annus et dies*, Episcopi catholici computant ab obtenta confirmatione Apostolica, et Imperatori fidelitatem jurant more Principum Laicorum (f). Si Prælatus ob delictum privatur feudo, id non nocet Ecclesiæ. Post mortem Episcopi Capitulum administrat, et exercet jurisdictionem.

(e) Vid. Bœhmer Jur. Eccl. Protestant. h. t. §. 70.

(f) Innocentius III. c. 30. de Jurej. illos tantum Laicos perstringit, qui *viros Ecclesiasticos nihil temporale obtinentes ab eis, ad præstandum sibi fidelitatis juramenta compellunt.* Actum hic est de Episcopis et aliis Prælatis Feuda Imperii obtinentibus, ad quæ per electionem assumuntur, et ab Imperatore investiuntur. Aliis casibus dubium non est, quin Clericis Feuda primo conferri possunt; nam eo ipso nihil statum clericalem dedecens exigi sumitur. Præterea facile permittitur moribus Alemanniæ, ut Clericus factus retineat feudum jam possessum; contra ac habent consuetudines Longobardicæ. L. II. Feud. tit. 21. 26. 30. nam secundum has Vasallus privatur Feudo, si Clericatum vel Religiosum ordinem assumit. Multo ergo minus secundum has consuetudines succedit Clericus vel Religiosus in Feudo jam constituto. Atqui ad has consuetudines recurritur, quando ex primæva institutione, pactis aut observantia certæ familiæ, aut quovis statuto speciali aliud non apparet. Conf. Zech. de Jure Rer. Eccl. Sect. IV Tit. 17. de Feudo §. 411. nota 30.

TITULUS XXI.

DE PIGNORIBUS, ET ALES CAUTIONIBUS.

ARGUMENTUM.

I. Notio et diversitas Pignoris et Hypothecæ §. 224. *II. Constitutio ejusdem* §. 226. *III. Effectus juris.* §. 229. *IV. Solutio pignoris* §. 230. *V. Actiones, et præscriptio in causa pignoris* §. 231. *VI. Pactum legis commissoriæ et Antichreseos* §. 239.

§. 224. *Cautio* est securitas alteri præstita de implendo promisso, reparando damno, danda satisfactione, exsolvendo debito quocunque, saltem naturali (quale est in pactis pupillorum) etiam futuro aut eventuali e. g. si ex novo opere damnum datum fuerit: etiam alieno. l. 5. D. de Pignor. et hyp. Cautio est *simplex*, consistens in nuda promissione. l. 3. C. de verb. et rer. signif. alia *juratoria*; alia *idonea*, di est, pignoratitia, et satisdatoria, seu fidejussoria. L. 25. D. de R. J. dicitur: *Plus cautionis in re est, quam in persona.*

§. 225. *Contractus pignoris* est, quo res aliqua creditori in securitatem debiti ita traditur, ut soluto debito eadem in specie restituatur. Siqua autem res creditori obligatus sine actuali traditione, *Hypotheca* dicitur. Utrinque creditor obtinet jus reale, vi cujus ipsa res pignori aut hypothecæ subjecta creditori pro debito obligata censetur, et vinculo ac veluti servitute affecta, ita ut cum hoc onere transeat

ad quemcunque possessorem, quemadmodum in omni jure reali usuvenit. c. 5. in f. h. t. (*a*)

(*a*) Pignus non modo pro contractu. sed etiam pro re ipsa oppignorata, effectu juris sumitur. §. 220. Antiquis dicebatur Vadium, aut Wadium. c. 1. h. t. Wadius dicebatur Fidejussor. Hypothecæ hodie sæpe adjici solet clausula constituti possessori. (L. II. Decr. §. 158. II.)

§. 226. Perficitur contractus pignoris traditione rei; cum sit contractus realis. (§. 164.) Hypotheca constituitur sola conventione, quæ tamen a Prætore vim nacta est, producendi jus reale. Scriptura jure communi non requiritur, nisi forte ad probationem, aut ne res eadem sæpius hypothecæ subjiciatur. l. 4. D. de Pign. et hyp. Aliquando lex constituit hypothecam in bonis debitoris, quæ vocatur *legalis*, vel *tacita*. Talem habet fiscus, pupillus, communitas, Ecclesia in bonis administratorum. l. 24. C. de SS. Eccl. Uxor pro dote in bonis mariti. c. 5. h. t. Creditor ad refectionem ædium, Locator prædii urbani in rebus illatis, et alii tot. tit. D. *In quibus causis pignus vel hypotheca tacite contrahitur.* aliquando Judex dat pignus, aut dari jubet, ceu pro executione sententiæ, vel contra contumacem. Lib. II. Decretal. Tit. 15. *De eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandæ.* Sic usufructuarius tenetur præstare idoneam cautionem de restituenda re, ex qua usumfructum, aut quasi percipit c. fin. h. t. Pignus auctoritate Judicis constitutum, dicitur *Judiciale necessarium* et proprie *publicum. Privatum* fit voluntate contrahentium, etsi forte coram Judice constituatur Alii aliter dividunt. Conf. Heinecc. in Inst. et Dig. h. t. De quibusdam pactis, quæ privato pignori adjici solent, infra agam.

§. 227. *Materia*, quae pignori vel hypothecae subjici potest, est res omnis, quae potest emi et vendi. Hinc excluduntur res sacrae c. 1. h. t. homo liber c. 2. res litigiosae etc. Tit. Dig. *Quae res pignori vel hypothecae datae, obligari non possunt.* Ratione rei alia est hypotheca *generalis*, qua obligantur omnia bona debitoris, aut quoddam genus bonorum, seu totus grex ovium: alia *specialis*, quae afficit rem singularem.

§. 228. Jus constituendi pignus vel hypothecam privatam competit ei, qui habet jus allienandi: accipere potest, qui habet jus exigendi debitum, et simul efficaciter potest, obligari. Praelatus ecclesiasticus potest oppignorare res mobiles non pretiosas. In mobilibus pretiosis et immobilibus potest constituere hypothecam *generalem* pro utilitate Ecclesiae, non autem *specialem*. c. 5. de reb. Eccl. non alien. Ubi expressa prohibitio hypothecae *specialis* videtur tacita esse concessio hypothecae generalis; cum per eam Ecclesia debitrix nullo gravetur novo onere. Ex hoc proin loco et argumento explicari debet Extrav. *Ambitiosae.* de reb. Eccl. non alien. int. comm.

§. 229. Effectus juris, qui ex hoc contractu proxime oriuntur relate ad creditorem et debitorem, intelliguntur ex natura contractus ipsius. Commodum habet uterque, nempe debitor, ut data securitate contractum principalem inire possit e. g. accipere mutuum: creditor, ut sit securus de solutione. Hinc uterque praestat culpam levem. l. 5. §. 2. D. Commod. Speciatim creditor habet jus retinendi pignus usque ad plenam solutionem, etiam aliorum debitorum. Dolo enim agit, qui satisfacere vult pro debito,

pro quo pignus est constitutum, non item pro altero: Potest idem retinere pro expensis necessariis, item pro eo, quod interest etc. Habet jus, post moram distrahendi pignus auctoritate Judicis. Tit. Dig. *De distractione pignorum et hypothecarum.* In concursu creditorum gaudet jure prælationis præ Chirographariis creditoribus, et inter hypothecarios ex prioritate temporis, aut ex privilegio. Unde extat Titulus. *Qui potiores in pignore, vel hypotheca habeantur; et de his, qui in priorum creditorum locum succedunt.*

§. 230. *Solvitur* jus pignoris duplici modo. 1. Obligatione principali *penitus sublata.* §. præc. e. g. per solutionem, compensationem, dationem in solutum. 2. *Salva* obligatione principali per interitum, vel remissionem rei oppignoratæ. Si res pignori vel hypotecæ subjecta eo nexu, ac onere solvitur, dicitur ea *lui*, vel *relui*; quo spectat titulus Dig. *quibus modis pignus, vel hypotheca solvitur.*

§. 231. Actiones in causa pignoris, sunt hæ: 1. Soluto nexu pignoris, debitor id repetere potest rei vindicatione vel actione publiciana tum a creditore, qui id possidet, vel dolo desiit possidere, tum a tertio. 2. Contra creditorem debitor præterea ex contractu habet actionem *pignoratitiam directam*, ut illud soluto debito reddatur in specie, salvum et integrum cum omnibus fructibus, accessionibus, commodis, quæ occasione pignoris est consecutus: item ut resarciantur damna dolo, culpa lata vel levi data. Datur hæc actio, etsi res non extet, nisi periisset casu fortuito; aut culpa levissima tan-

tum creditoris, qui id probare debet. E contrario creditor contra debitorem habet actionem *pignoratitiam contrariam*, ut resarciat expensas in conservationem pignoris factas: ut reddat possessionem ipsi precario concessam. 3. Ex jure reali pignoris vel hypothecæ creditori competit actio hypothecaria, tum *Serviana*, qua locator prædii rustici petit res coloni pro mercedibus fundi sibi obligatas tacite vel expresse: tum *quasi Serviana*, qua alii quivis creditores pignora vel hypothecas persequuntur, ut scilicet Judex jus pignoris declaret, ejusque possessionem creditori adjudicet. Huc pertinet interdictum *Salvianum*, quo creditor hypothecarius agit ad adipiscendam possessionem rerum hypothecæ subjectarum.

§. 232. Hæ actiones utrum præscriptione extinguantur, passim disputant. Primo distingui oportet inter pignus proprie tale, quod est in manibus creditoris, a quo, soluto debito, id repetitur actione pignoratitia directa: et inter hypothecam, quæ manet penes debitorem, vel ad tertium pervenit: dein alia est præscriptio acquisitiva, qua jus pignoris in re aliena, vel ipsum pignus acquiritur: alia extinctiva, qua jus pignoris, aut hypothecæ extinguitur. His præmissis secundum jura decidendum est: I. Solo lapsu 30. an. non præscribitur obligationi principali e. g. debito indefinite contracto, quamdiu manet scientia juris alieni. Id probatum est lib. II. Decret. de Præsc. §. 392. Per ipsam retentionem pignoris præscriptio perpetuo interrumpitur.

§. 233. II Lapsu 30. an. aut alio quovis tempore longissimo a creditore non præscribitur ipsum pignus. L. 13. pr. D. de Usurp. et Usucap.

Pignori rem acceptam usu non capimus; *quia pro alieno possidemus.* Deest præscribere volenti possessio, titulus, bona fides. III. Nec tempore longissimo præscribitur juri reluendi pignoris, sive actioni pignoratitiæ directæ ante factam solutionem. Prob. Ante factam solutionem nunquam nascitur actio pignoratitia; ergo ante factam solutionem extingui non potest. l. 9. §. 2. D. de pign. act. ibi: *Omnis pecunia exsoluta esse debet, aut eo nomine satisfactum esse, ut nascatur pignoratitia actio.* De Jure Germanico id manifestum est ex Instr. P. O. Art. V. §. 27. ubi nec tempus immemoriale reluitioni pignoris obstare traditur.

§. 234. IV. Actioni hypothecariæ a debitore ipsum pignus possidente præscribitur annis 40. l. 7. §. 1. 2. C. de præsc. 30. vel 40. an. V. Ab extraneo præscribitur actioni hypothecariæ, si *bona fide* pignus possideat, tempore longo, id est, 10 annis inter præsentes, 20. inter absentes. l. 1. et 2. C. si adversus creditor. præscriptio. Additur autem ibi: *Ubi creditori a possessore longi temporis præscriptio objicitur, personalis actio adversus debitorem salva ei competit.* Si mala fide pignus possideat, actioni hypothecariæ præscribitur annis 30. l. 3. et 7. C. de præscript. 30. vel 40. an.

§. 235. VI. De præscriptione acquisitiva secundum generalia principia decidendum est: *primo.* Si tertius bona fide et justo titulo pignus possidet, is dominium pignoris præscribere potest tempore ordinario; e. g. si heres rem pignori datam defuncto, bona fide vendit vel donat tertio. Salva tamen debitori manet actio personalis adversus creditorem seu heredem ad præstandum,

quod interest, et indemnitatem. *Secundo.* Ipsum jus pignoris præscribi potest tempore, quo præscribuntur alia jura; ut si heres rem alienam bona fide pignori det.

§. 236. Contra decisionem III. objiciunt I. generalem Juris regulam, vi cujus omnes actiones tempore longissimo 30. vel 40. an. extinguuntur. Resp. D. a. Si tempore longissimo non moveatur actio, ex quo ea jam nata est, tum extinguitur, c. si actio eo tempore nondum nata erat, n. L. 3. C. de præsc. 30. vel 40. an. ibi: *Quæ ergo antea non sunt motæ actiones, triginta annorum jugi silentio,* EX QUO JURE COMPETERE COEPERUNT, *vivendi ulterius non habeant facultatem.* Similiter statuitur l. 1. §. 1. C. de annali except. ibi: *Nemo audeat — — cujuscunque personalis actionis vitam longiorem esse triginta annis interpretari, sed* EX QUO AB INITIO COMPETIT, ET SEMEL NATA EST, — — *post memoratum tempus finiri.* At vero debito nondum oblato et exsoluto, aut rite deposito actio pignoratitia nondum jure competit (ut dictum est §. 233.); nondum vivere cœpit; nondum nata est; ergo nec finiri aut extingui potest.

§. 237. Dicunt II. Actio emti statim oritur, quamprimum de merce et pretio conventum est, etsi emtor ante oblationem pretii efficaciter agere non possit ad tradendam mercem. l. 13. §. 8. D. de act. emti. Nam venditor de tradenda merce conventus exceptionem pretii non oblati opponere potest. Ergo, inferunt, actio pignoratitia mox nascitur a tradito pignore, etsi ea a debitore ante factam solutionem cum effectu intentari non possit. Resp. c. a. n. c. Postquam conventum est de pretio et merce, contractus est perfectus, et obli-

gatio tradendi mercem absoluta, etsi executio ad oblationem pretii differri possit. Si tamen venditor mercem antea tradit, id facit ex obligatione contractus. At in causa pignoris obligatio id restituendi ante acceptam solutionem non est absoluta, et si creditor ante restituit, quam solutionem accepit, id non facit ex obligatione contractus pignoratitii. Sane differunt hæc duo: *Competit actio, etsi inefficax sit qnoad effectum,* quamdiu per exceptionem elidi potest: Et: *Competeret actio, si certa conditio poneretur.* Prius pertinet ad actionem emti: posterius ad actionem pignoratitiam directam.

§. 238. Dicunt III. Actioni hypothecariæ præscribit debitor intra 40. annos: extraneus intra annos 30. etsi uterque in mala fide sit, et scientiam juris alieni, quod competit creditori, habeat. Ergo mala fides non obest, quo minus aut ipsum pignus præscribatur a creditore, aut actioni pignoratitiæ. Resp. tr. a. n. c. Si prius illud in foro toleratur etiam de jure canonico, non tam præscriptio fieri censetur, quam mera extinctio juris quoad actionem instituendam; quia creditor tanto tempore negligens jus suum, eodem juste privatur. Lib. II. Decr. §. 348. n. IV. Ad securitatem enim ac certitudinem dominiorum publice interest, ut actiones maxime reales certis temporum finibus constringantur. Hinc in Bavaria statutum, ut, si res hypothecata vendatur; creditor autem præsens in provincia intra quinquennium, absens intra decennium a die possessionis ab emtore initæ, jus suum in rem hypothecatam non persequatur, emtor ab onere hypothecæ fiat liber.

§. 239. In Digestis l. 20. tit. 1. ad Rubricam *De Pignoribus et hypothecis*, *et qualiter contrahantur*; additur: *et de paetis eorum.* Jure canonico cavetur, ne adjiciantur pacta, quæ usuram palliatam continent. Tale est I. *Pactum commissorium*, vel *legis commissoriæ*, quo id agitur, ut debito intra certum diem non soluto, pignus creditori cedat c. 7. h. t. l. ult. C. de pactis pignorum. Pignora quantitatem debiti fere superant; cum alias satis securos se creditores non credant. Cum igitur per hoc pactum injusto lucro inhient, juste id utroque Jure reprobatur.

§. 240. II. Alterum est *pactum Antichreseos*, quo jus re oppignorata utendi, aut utendi fruendi loco pecuniæ creditæ in creditorem confertur. De quo animadverte. 1. Sicut usura alia est *stricte dicta*, alia *minus stricte* (§. 195. in not.); ita *antichresis stricte dicta*, nempe illicita et usuraria est, quando pactum utendi fruendi pignore nititur solo mutuo, aut compensatione usurarum stricte dictarum. Antichresis *minus stricte*, quando pactum utendi fruendi pignore nititur alio justo titulo e. g. damni emergentis aut lucri cessantis. Animadverte 2. Pignus datur in securitatem crediti. Si ergo pro mutuo datum sit, jus pignoris non præbet justum titulum, quidpiam percipiendi ultra sortem ex mutuo; ac siquid inde percipitur, id extra naturam contractus pignoratitii est, id est, alio titulo niti debet.

§. 241. Animadverte 3. Jure civili decisum est *primo*. Si pignore creditor utatur, furti tenetur l. 54. D. de furtis. §. 6. Inst. de Oblig. quæ ex delicto. *Secundo*. Si res frugifera pi-

gnori data sit, fructus debent imputari in sortem. l. 1. 2. 3. C. de pignorat. act. nisi pacto antichretico conventum sit, ut creditor re oppignorata uti possit in vicem usurarum. l. 11. §. 1. D. de pignorib. et hypoth. l. 8. ib. in quibus causis pignus. Id pactum tacite adjectum censetur, si creditori, qui sibi usuras stipulatus est, res frugifera pignori detur; et extenditur tantum ad legitimum usurarum modum. cit. l. 8. Sed jure canonico legitimæ, id est, justæ usuræ non sunt, quæ solo titulo mutui, aut usus pecuniarum nituntur. c. 4. et 6. h. t. et c. 2. de usuris.

TITULUS XXII.

DE FIDEJUSSORIBUS

ARGUMENTUM.

I. Contractus Formularii, id est verbales et literales §. 242. *II. Fidejussio, et negotia affinia.* §. 243. *III. Contractus literalis, et in specie chirographarius* §. 248.

§. 242. Fidejussio, etsi ad cautiones pertineat, a priore titulo segregata a me fuit; quia Jure Romano ad contractus *formularios* refertur, quorum notio hic explicanda est. Erant iidem verbales, et literales. Unde in Inst. de *Verborum obligationibus*, et de *literarum obligationibus* agitur. Ad verborum obligationes maxime spectat Stipulatio: ad literarum obligationes contractus chirographarius. *Stipulatio* est contractus unilateralis, quo quis ad alterius interrogationem congrue et in continenti respondendo ad dandum aliquid vel faciendum, quod

alterius interest, obligatur. Jure antiquo stipulatio solemni formula debebat fieri. Ea solemnitate verborum sublata §. 1. inst. de verb. oblig. mansit tamen interrogatio et responsio congrua, adeoque et differentia inter stipulationes, et pactiones alias. Sed jure Germanico hæc formularum et stipulationum carmina nunquam fuere in usu, nec inter pacta et stipulationes differentia agnoscitur.

§. 243. *Fidejussio* per stipulationem fiebat apud Romanos. Princ. J. de V. O. Nunc autem quocunque modo fiat, Fidejussio est contractus accedens firmandæ obligationi alienæ.[1] Affinitatem habet cum mandato; unde in Dig. et Cod. titulus inscribitur de *Fidejussoribus et mandatoribus*. Si obligationem principalem antecedens te rogem, ut Titio mutues centum, *mandatum* est. l. 12. §. 14. D. Mandati. Ac Titio, tanquam debitore principali deficiente, ego tibi mandati teneor, perinde ac fidejussor. Sed proprie fidejussio est, si te mutuante Titio centum, fide mea interposita securum esse jubeo de solutione; quod nempe Titio non solvente, satisfacere egomet velim. Hinc Fidejussio pluribus verbis dicitur contractus beneficus, quo quis ei, cui tertius obligatus est ad aliquid præstandum, se is præstiturum promittit, nisi ille præstiterit. *Expromissor*, non fidejussor est, qui liberato priore debitore vel Reo obligationem in se suscipit. *Constitutum* Jure Romano est promissio, quæ fit intuitu obligationis præexistentis, propriæ vel alienæ; hinc constitutum aliud est *proprium*, aliud *alienum*. Fiebat nudis verbis: at Fidejussio stipulatione. Cum autem hodiernis moribus fidejussio solemnitatem stipulationis non requirat, sequitur, ut ea

a constituto alieno vix differat. Ceterum fidejussio alia est *voluntaria*, vel *necessaria*, quando a lege vel Judice præscribitur: alia *extrajudicialis*, alia *judicialis*; unde *vas* dicitur, qui cavet de judice sisti: *Præs*, qui cavet de judicatum solvi. Censetur *idonea*, quæ repelli merito non potest; secus *inidonea*, uti si Fidejussor gaudet præscriptione fori, nec ei renuntiet (*a*). Dicitur alia fidejussio *principalis*, alia *succedanea*, qua quis pro ipso Fidejussore se obligat; estque is Profidejussor, qui differt a Confidejussore, et a Fidejussore indemnitatis, saltem veteri jure.

(*a*) In documentis medii ævi frequenter occurrunt Wadii, et Salburgii. Singularis fidejussionis species, etiam jure canonico non incognita (c. 9. de jurej.) erat obstagium, vel obligatio ad obstagium, quando aliquis se obligat, quod debito proprio vel alieno non soluto præsentem se in certo loco sistere velit, non discessurus, donec creditori satisfactum sit. Talia dein pacta Jure politico fuerunt abolita. Fidejussioni etiam affinis est Guarantia, de qua agitur in Jure Gentium.

§. 244. C. 2. et 3. h. t. proponitur hæc species. Personæ ecclesiasticæ ex diversis partibus ipsaque Anglia ad Concilium Lateranense sub Alexandro III. accedentes consumtis pecuniis suis petierunt alias mutuas a Mercatoribus Bononiensibus. Hi antequam pecunias numerarent, in securitatem crediti postularunt Fidejussores, quos sese benevole præbuerunt Clerici Bononiæ vel in Italia habitantes. Sed hi a debitoribus longe absentibus destituti magnas postmodum molestias solutionis causa passi sunt, remque ad Lucium P. III. Alexandri III. successorem detulerunt. Occasione hujus facti quæritur I. quis possit fidejubere. II. Quis sit fidejussionis effectus. III. Quomodo Fidejussor liberetur. Hæc enim sunt, quæ in Jure nostro deciduntur. Alia petenda sunt ex Jure civili.

§. 245. I. Fidejubere regulariter possunt omnes, qui obligari. Clericis prohibetur, ne frequenter id faciant, absque causa pietatis aut necessitatis, et cum periculo litium. In hunc sensum explicari vulgo solet c. 1. h. t. et can Apost. 19. Justinianus pœnæ addixit judicem, qui Clericum fidejussorem approbare ausus fuerit. Nov. 123. c. 6. Ne nempe Clericus litibus ac curis distentus a divinis avocetur; quod idem exprimitur can. *Te quidem.* 29. XI. q. 1. adde Prov. VI. 1—6. XI. 15. XX. 16. XXII. 26. 27. XXVII. 13. et Eccli. XXIX. a. v. 19. Nihilominus fidejussiones Clericorum non sunt irritæ; nec reprehenditur Clericus, qui in cit. casu §. 244. fidejussit; sed debitor principalis jubetur ei satisfacere, *ne dispendium patiatur, unde videtur præmium meruisse.* Religiosorum fidejussio, nisi fiat de licentia Abbatis et majoris partis capituli est irrita; quia ob votum paupertatis non habent, quod sua voluntate possint obligare: imo quoad suam voluntatem a Superiore pendent. c. 4. h. t. ibi: *Qui contra istud statutum venire præsumserit, graviori disciplinæ subdatur.* Monasterium ipsum ob fidejussionem privatam Religiosi non obligatur, *nisi forte in utilitatem domus ipsius manifeste constiterit redundasse.* Fidejussiones mulierum regulariter sunt inefficaces ob Sctum Vellejan. nisi juramento eas confirmarint c. 9. et arg. c. 28. de Jurej. aut nisi post biennium sponsionem renovent. l. 22. C. ad Sctum Vellej. quæ est vis constituti ex jure Romano.

§. 246. II. Effectus fidejussionis est obligatio, qua fidejussor, ejusque heredes tenentur solvere, aut satisfacere in defectu debitoris principalis: creditori vero adversus eum provenit actio ex stipulatu vel condictio ex moribus, si nudo

pacto fidejussum est. Fidejussor e contrario varia habet juris beneficia, nempe ordinis seu excussionis, divisionis, cedendarum actionum, et liberationis, de qua mox infra. De indemnitate autem debitorem principalem semper convenire potest actione mandati. Nam si tibi fidejussorem destinasti, mandasse ei videris, ut solveret. l. indebitam. 47. D. de cond. indeb. De hac indemnitate fidejussoris agitur c. 2. h. t.

§. 247. III. Fidejussor liberatur extincto debito principali, aut lapsu temporis, siquod præfixum fuit; secus regulariter petere liberationem non potest, nisi tribus ex causis, quæ enumerantur c. fin. h. t. ibi: Eum, pro quo te fidejussorem obligasti, — jure poteris convenire, ut te a fidejussione debeat liberare primo *si diu in debiti solutione cessavit.* quo etiam pertinet c. 3. h. t. l. 38. §. 1. D. Mandati. conf. Menoch. de arbitr. Jud. QQ. l. 2. cas. 41. Secundo *aut dissipare bona sua cæpit* l. 10. C. Mandati. (*b*). Tertio *seu super hoc condemnatus fuisti.* l. 45. §. 4. D. Mand. Nempe ut Fidejussor contra debitorem principalem habeat actionem mandati, opus est per se, ut solverit, antequam agat. Quivis enim, qui ex contractu agit, prius allegare debet, et si opus sit, probare, quod ex parte sua satisfecerit obligationi ex contractu ortæ. Porro si Fidejussor ad solvendum condemnatus jam est, etsi solutionem nondum præstiterit, tamen mandati agere jam potest. Necesse tamen est, ut omnem adhibuerit conatum apud Judicem, coram quo convenitur, ne condemnaretur; ac si per injuriam condemnatus est, appellare debet: ipsi etiam debitori principali, ut sibi in lite assistat, denuntiare. Siquid sciens omittat, repelletur ab actione mandati.

(*b*) Si Fidejussor animadvertat, debitorem principalem aut confidejussorem labi facultatibus, consilii est,

ut creditorem moras nectentem ex l. 28. D. de Fidejuss. conveniat, ut vel contra debitorem instituat actionem, vel contra Fidejussorem agat, et sibi opponi audiat exceptionem ordinis, aut divisionis. Ea enim semel opposita et a judice approbata liberat saltem ex parte Fidejussorem, etsi postea debitor principalis, aut confidejussor solvendo non sint. conf. Lib. II. Decret. §. 91. et seq.

§. 248. De *contractu literario* observa 1. *Scripturæ*, seu cautiones scriptæ, quæ testantur, obligationem esse sublatam, dicuntur *Apochæ*: quæ testantur, obligationem existere mutuam, vel unilateralem, *Syngraphæ*, aut *Chirographa*. 2. Scripturæ per se ad *probationem* valent: in binis duntaxat negotiis, nempe in *Mutuo*, et *dotis datione* post lapsum certi termini *obligationem* inducunt, saltem civilem, ante illum terminum nequidem probationem. Differentia inter obligationem et probationem ex scriptura ortam, est hæc: *Obligatio* ex scriptura oriri dicitur, cum aliquis præstare quid tenetur, *quia se debere scripsit*, ita ut omnis probatio, aliter actum esse, aliter scriptum, excludatur. *Probatio* ex instrumento petitur, cum id, quod scriptum est, verum esse præsumitur, sic tamen, ut locum habeat probatio in contrarium. Hactenus dicta pertinent ad leges Romanas de literarum obligationibus. Agam autem hoc loco de Mutuo tantum, nempe civili, seu contractu Chirographario. Dotis datio, quatenus ex scriptura præsumitur, Juris civilis propria est.

§. 249. *Contractus Chirographarius est*, quo quis dedit Chirographum (ex cupiditate et spe numerandæ pecuniæ vel mutui obtinendi) per quod rem fungibilem se accepisse testatur, eamque in genere restituere promittit. Vis istius con-

tractus est hæc: Tale Chirographum ante lapsum biennii ne probationem quidem *regulariter* facit; quia Reo semper in promptu est exceptio non numeratæ pecuniæ, qua onus probandi rejicitur in actorem. Elapso biennio Reus ex Chirographo *obligatur*, etsi mutuum non acceperit. §. un. Inst. de lit. oblig. tot. tit. Cod. de non num. pecun. (*c*).

(*c*) Qui dato Chirographo mutuum non accepit, si obligationem ex eo nasci nolit, ante biennium agere debet ad repetendum Chirographum condictione sine causa, aut protestatione vel querela coram Judice interposita testari, se mutuum non accepisse: sic enim exceptio fit perpetua. l. 7. et seq. C. de n. n. p. Creditor vero sibi cavebit, si numerationi testes adhibet. Ceterum hanc obligationem ex Chirographo ortam, si mutuum re ipsa datum non fuit, ad forum internum non pertinere, æquitas naturalis docet; imo in foro etiam externo post biennium admittitur exceptio non numeratæ pecuniæ, si Reus probationem in se suscipiat. Idem servat praxis in Apochis. conf. Leys. Vol. 2. specim. 152. §. 9. Vol. VII. spec. 530. §. 4.

TITULUS XXIII.

DE SOLUTIONIBUS.

ARGUMENTUM.

I. Solutio et negotia affinia §. 250. *II. Decisiones Juris Canonici huc pertinentes.* §. 251.

§. 250. In Digestis et Codice titulus inscribitur *de Solutionibus et Liberationibus.* Non enim quævis solutio debitorem liberat, sed ita demum, si jure fiat, habeaturque ratio, *cui* recte solvatur, *quid*, *quantum*, *quo tempore* ac *loco.* Con-

sistit Solutio in *reali præstatione debiti*, quando debitor rem ipsam creditori debitam præsentem sistit, ejusque potestati subjicit. Unde differt ab aliis dissolvendæ obligationis modis; quales sunt *compensatio*, *confusio*, *oblatio et obsignatio*, *rei interitus*, *novatio*, *delegatio*, *expromissio*, *praescriptio*, *acceptilatio*, *mutuus dissensus*, *restitutio in integrum*. De his libro III. Instit. inscribitur titulus XXX. *quibus modis tollitur obligatio*. Necesse non est, more passim recepto ista huc exscribendo congerere, in tantis libelli ac temporis angustiis; cum præsertim non pauca Juris naturalis principia huc pertinentia exposuerim cap. ult. Juris Nat. privati.

§. 251. In Jure nostro h. t. deciditur I. Successor in prælatura vel beneficio ecclesiastico tenetur ad solvenda debita, ab Antecessore contracta pro necessitate Ecclesiæ c. 1. Hæc necessitas latius sumenda est, ut includat etiam utilitatem. Neque enim decet, ut Ecclesia cum detrimento creditoris utilitatem capiat. Porro si debitum cum consensu Capituli et legitimi Superioris contractum fuerit, præsumitur id versum fuisse in rem Ecclesiæ. Si autem a *solo* Prælato, aut Beneficiato contractus obligatorius fuit initus, versio in utilitatem Ecclesiæ probari debet, et quidem a creditore. Pro *alienis* autem debitis Prælatus Ecclesiam obligare non potest, concedendo alicui literas vel sigilla. c. 2. h. t. Secus *ab administratione spiritualium et temporalium noverit se suspensum.*

§. 252. II. Deciditur c. 3. de Clerico, qui propter inopiam solvendo non est, ne ob eam causam excommunicationi subdatur, sed ido-

neam (saltem juratoriam) cautionem præstet, *ut si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta persolvat.* Nulla in hoc casu fit mentio beneficii. Forte in proposita specie Clericus ad titulum patrimonii fuerat ordinatus, eoque dissipato debita contraxerat. De Clerico beneficiato debitore c. 2. de Fidejussor. deciditur, ut nisi ipse solverit, id auctoritate Judicis fiat ex reditibus beneficii, aut creditori pariter clerico beneficii reditus tamdiu assignentur sine molestia detinendi, *donec ipsa damna resarcita fuerint, et debita sine diminutione soluta* (*a*).

(*a*) Etsi ex h. c. privilegium competentiæ, quod clericis competit, non satis eruatur; tamen id ob ipsam honestatem status clericalis satis usu jam firmatum est. Patet autem ex hoc loco, debitum hoc privilegio non extingui, sed excutionem temperari et differri, quod idem indicatur l. un. §. *eum autem.* 7. C. de rei uxor act.

§. 253. III. Deciditur c. fin. h. t. qui agit condictione indebiti, regulariter probare debet se indebitum solvisse. Excipe: *Nisi ejus adversarius solutionem inficians exinde convincatur. Tunc enim diffitenti onus incombit probandi, quod debitum recepisset.* l. *cum de indebito.* 25. *D. de Probat.*

TITULUS XXIV.

DE DONATIONIBUS.

ARGUMENTUM.

I. Notio donationis, variæque formæ. §. 254. *II. Requisita, nempe voluntas, jus, materia.* §. 255. *III. Effectus juris.* 258. *IV. Legitima revocatio donationis.* §. 259.

§. 254. Donatio a reliquis contractibus separata exibetur in Jure Justinianeo, et ad *civiles* acquirendi modos refertur, etsi vel maxime ad naturales pertineat. *Donare* dicitur, qui aliquid in alterum transfert gratis, nullo jure cogente, nempe perfecto. Est *realis* si cum *rei traditione* fit: *conventionalis*, si initium sumit a *promissione*, seu a conventione de re in alterum gratis transferenda. Ejus species sunt 1. donatio *mortis causa* de qua agitur Tit. de Testamentis: et *inter vivos*, qualis est *donatio propter nuptias*, quæ rejici solet ad lib. IV. de donat. int. vir. et uxor. 2. Donatio inter vivos *proprie talis* censetur, si fit solius liberalitatis et munificentiæ causa: *minus proprie*, si est *remuneratoria*, vel *antidoralis* ob merita vel beneficia præcedentia: *resiproca* sub onere, ut vicissim res alia donetur; in quo genere nec æstimatio rerum, nec æqualitas requiritur, ne omnis excludatur ratio gratuitæ dationis. *Donatio sub modo*, seu onere adjecto, aut sub adjecta conditione resolutiva, ut nempe revocetur, nisi quidpiam fiat aut sequatur (*a*).

(*a*) Ad Donationes referuntur privilegia, exemtiones, promotiones, remissio debiti vel pœnæ, seu aggratiatio, Jura patronatus, collationes beneficiorum, omnis

gratuita rei præstatio, quæ *beneficentia* dicitur. Nam gratuita præstatio facti utilis, appellatur officiositas.

§. 255. In omni Donatione etiam reali inest quædam adjuncta conventio; in omni autem conventione spectatur voluntas et consensus agentium; jus seu facultas moralis, ac materia. Lib. I. Decret. tit. de Pactis. Voluntas donantis vel maxime libera esse debet a vi, dolo, et ignorantia ejus, quod agit. Quia *nec ignorans, nec invitus quisquam donat.* l. 10. C. h. t. Voluntas donandi, uti ipsa donatio regulariter non præsumitur (*b*). Necesse est etiam, ut donatarius consentiat, et rem, vel promissum acceptet tum, quando donantis voluntas nondum revocata vel extincta est. *Si* (donatarius) *nescit, rem, quæ apud se est, sibi esse donatam, vel missam sibi non acceperit, donatæ rei dominus non fit* l. 10. D. h. t. Et l. 2. §. 6. ibid. *Siquis donaturus mihi pecuniam dederit alicui, ut ad me perferret, et ante mortuus erit, quam ad me perferat: non fieri pecuniam dominii mei, constat.* Quia ejus voluntas et mandatum ante extinguitur, quam ego acceptem. Quæ civitatibus, municipiis, Ecclesiis donantur, non egent acceptatione. l. 23. D. de Except. conf. Lib. I. Decr. de Pactis. §. 541. Imo ex sola donatione dominium in Ecclesiam transit ante traditionem rei. l. 23. §. 1. C. de SS. Eccl. ibi: *Non solum personales actiones damus: sed etiam in rem.*

(*b*) L. cum de indebito. 25. D. de prob. ibi: nemo censetur pecunias suas jactare, et indebitas effundere. Menoch. de arbitr. Jud. QQ. l. 2. cas. 88. Ubi habentur exceptiones a regula.

§. 256. Jus donandi competit ei, qui *liberam* habet rerum administrationem. Procuratores, Tutores, Curatores donare non possunt de rebus suæ curæ commissis. Quia aliud est administrare,

aliud dissipare. *Cum Episcopus et quivis Prælatus ecclesiasticarum rerum sit Procurator, non dominus: conditionem Ecclesiæ meliorare potest: facere vero deteriorem non debet.* c. 2. h. t. Huc ergo pertinent, quæ generatim dicta sunt de alienatione rerum Ecclesiæ. Donatio etiam remuneratoria, nisi modica sit, solemnitatem poscit, ut nimirum causa remunerandi examinetur. Exemplum extat c. 5. ubi donatio remuneratoria facta est cum consensu Papæ; cumque Episcopus eam non integre dedisset executioni, uti promiserat bene meritis de se, Successor sine novo consensu rem integrare potuit. Porro quæ censeatur *modica* donatio, quam suo arbitrio facere potest Prælatus, ex datæ rei quantitate, et locorum consuetudine definiendum est. c. 3. h. t. Similiter ex circumstantiis colligi debet, utrum donatio etiam in pauperem Ecclesiam facta mensæ Episcopali, aut Ecclesiæ Episcopi grave detrimentum inferat. c. 9. Etsi autem quis jure donandi polleat, si tamen donatio 500. solidos excedit, coram judice insinuanda est (l. 36. §. ult. C. h. t.), eoque competente; quia requiritur cognitio causæ, ne homines aut fraude decepti, aut temere et sine circumspectione magnas summas profundant. l. 30. ib. Id tamen ad donationes in Ecclesiam factas non extenditur. l. 34. et l. 36. pr. C. h. t.

§. 257. *Materia* donationis ea etiam complectitur, quæ vendi, aut sub onere rei temporalis transferri non possunt, uti sunt res sacræ, spirituales, vel his annexæ. Ad has enim pertinet præceptum Christi: *gratis accepistis, gratis date.* Matth. X. 18. Qui donationem omnium bonorum præsentium et futurorum esse putant invalidam, nulla id lege satis defendere possunt (*c*). Tenetur tamen donatarius alimenta præstare do-

nanti, et satisfacere creditoribus ob debita antea contracta. Ecclesia non vacans in beneficium dari non potest, sed ab Episcopo (adhibitis solemnitatibus) vel ejus auctoritate, in proprietatem donari, sine præjudicio tamen possessorum. c. 4. Donatio rei alienæ facta a possessore bonæ fidei valet eatenus, ut possessio transferatur cum jure percipiendi fructus et conditione usucapiendi. Ceterum valet regula Juris 79. in 6. *Nemo potest plus juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur.*

(c) Harprecht ad Inst. l. 2. tit. 7. §. 116. Fachinæus controv. l. 6. c. 87. eam donationem valere negat: at c. seq. juramento confirmari ait; unde inferri potest, eam certe non esse illicitam et prohibitam. Si consilium Christi: *Omnia, quæcunque habes, vende et da pauperibus*; refertur ad statum religiosum, vis donationis ab edita professione, non ab ingressu in tyrocinium pendet. Concil. Trid. Sess. XXV. c. 16. de Regular.

§. 258. Effectus juris ex donatione sunt hi: *Donatio realis*, seu per traditionem completa, est modus acquirendi dominium, idque irrevocabile, nisi causa superveniat legibus approbata, de qua postea. Parit ergo actionem realem. II. Si res donata evincatur, donans regulariter non præstat evictionem. III. *Donatio conventionalis* est titulus acquirendi dominium, paritque Jure Romano actionem ex stipulatu, si stipulatio intercessit, vel condictionem ex lege 35. §. 4. 5. C. h. t. Nostris moribus condictionem *ex moribus*. IV. Si donatio facta est sub modo, onere, aut conditione resolutiva, donatarius jure perfecto, atque ex justitia tenetur, etsi dominus sit rei donatæ, modum implere, atque ad id a donante per varias actiones cogi potest, de quibus agitur in Codice Lib. VIII. tit. 55. *De donationibus, quae sub modo, vel conditione, vel certo tempore conficiun-*

tur (*d*). V. Si dubium incidit, quid, quatenus, et quo modo donatum sit, leges benignam interpretationem præscribunt, ut donatio potius extendatur et valeat, quam restringatur, aut omnino pereat. l. 16. D. h. t. Pontifex c. 6. in fin. ait: *In contractibus plena, in testamentis plenior, in beneficiis quoque plenissima est interpretatio adhibenda* (*e*). Hinc sequitur *primo*: si plures factæ sint donationes, et ultimæ addita conditio onerosa, hæc ad alias extendi non debet. c. 6. *Secundo* quia donationes factæ Ecclesiis aut piis causis, etsi onus habeant adjectum, ex religione et pietate in Deum potius, quam propter adjectum onus collatæ præsumuntur, eædem ob onus non impletum revocari non possunt; nisi hæc donationis resolutio ex voluntate donantium appareat manifeste. c. *Verum*, *cum*. 4. de condit. apposit.

(*d*) Ibi exempla proferuntur hæc: Avia prædium donat nepti hoc onere, ut sibi alimenta præstentur. Dono tibi fundum hoc pacto, ut ille post mortem tuam ad me remeet. Prædium tibi donatur hac conditione, ut id possidere, uti et frui queas annis 10. postea restituas Titio. Quod est genus fideicommissi per actum inter vivos constituti. Istiusmodi donationum sub modo, ex quo obligatio justitiæ oritur, insignem usum faciam titulo proximo de Peculio Clericorum.

(*e*) Omnes contractus hoc ævo censentur bonæ fidei, in quibus ex æquitate et communi usu censentur quædam comprehensa, quæ expresse non sunt dicta e. g. ut mutuatarius rem in genere restituat non tantum eadem quantitate, sed etiam qualitate et bonitate, qua accepit eandem in specie. l. *cum quid.* 3. D. de rebus creditis. *In testamentis plenius voluntates testantium interpretantur*, inquit Regula Jur. 12. Digestis. Exempla vide l. 3. D. de Tritico, vino et oleo leg. et l. ult. C. de donat. quæ sub modo. De donationibus, privilegiis et beneficiis, vide l. 4. D. de jure immunitatis c. *quia circa.* 22. de privileg. c. *olim.* 16. de V. S.

§. 259. De revocandis donationibus jam perfectis inscribitur titulus 56. libr. VIII. Cod. Causæ legitimæ sunt: 1. Insignis ingratitudo donatarii. §. 2. Inst. h. t. l. ult. C. de revoc. donat. c. fin. h. t. ibi: *Si forte in ipsum* (donantem) *impias manus injecerit, aut sibi atroces injurias, seu grave rerum suarum damnum vel vitae periculum inferre praesumpserit. Quod tamen ad donatoris qui hoc tacuit, non extenditur successores.* 2. Quatenus donatio est inofficiosa. l. 5. C. de inofficiosis donat. 3. Si donatori postea superveniant liberi. l. 8. C. de revoc. Hæc lex soli *patrono* ob hanc causam jus dat revocandi donationem in *libertum* factam. Interpretatio doctorum et praxis interpretatione extensiva eam porrigit ad casus alios, fortassis contra mentem legislatoris, ut patet ex l. 2. et 5. C. eod. item ex can. *quicunque.* 43. XVII. q. 4. Ad quem provocat Donellus in cit. l. 8. Gothofredus ad l. 3. Cod. Theod. de revoc. donat. lib. 8. tit. 13. Bœhmerus in notis ad cit. can. Denique 4. Donatori beneficium *competentiae* tribuitur l. 12. et 33. D. h. t. et l. 19. §. 1. D. de re judic.

TITULUS XXV.

DE PECULIO CLERICORUM.

ARGUMENTUM.

I. Distinctio inter bona proprie ecclesiastica, et peculium Clericorum. §. 260. *II. De patrimonialibus bonis Clerici libere disponunt.* §. 262. *III. Beneficialium acquirunt dominium, vel omnium vel nullorum.* §. 263. *IV. Nulla sunt beneficialia quasi patrimonialia, aut proprie superflua.* §. 264. *V. Caput controversiae non est, an acquirant dominium beneficialium, sed de obligatione justitiae.* §. 265. *VI. Quae asseritur.* §. 266. *VII. De distributionibus quotidianis etc.* §. 274.

§. 260. Distingui oportet inter bona *stricte ecclesiastica*, quorum dominium penes Ecclesiam est, et inter *bona clericalia*, quæ efficiunt *Peculium clericorum* (*a*). In his sunt quædam *Patrimonialia*, quæ titulo profano obtinentur a clericis, perinde ut a Laicis; alia *proprie clericalia*, quæ vel ex ipso beneficio proveniunt, vocanturque *beneficialia*, aut *fructus grossi*, vel ex certa functione clericorum propria; quo pertinent reditus stolæ, funeralia, distributiones quotidianæ, stipendia missarum.

(*a*) Peculium dictum est quasi pusilla pecunia, quam ii, qui in potestate patris vel domini sunt, separatam habent a rationibus paternis vel dominicis. l. 5. §. 3. D. de Peculio. Clericis tribuitur peculium, quia ab opibus accumulandis vi status sui abhorrentes, quod a vitæ sustentatione reliquum habent, facile ac cito ad

augendum divinum cultum atque in pauperes maxime, quorum Patres vocantur, impendunt. can. *clericus.* 5. et can. *Duo sunt.* 7. XII. q. 1. Peculii autem notio non solos nummos, sed alia etiam ex pecunia clericali emta vel comparata complectitur. c. 1. seq. h. t. conf. Lib. II. Decr. §. 105.

§. 261. In bonis beneficialibus Doctores quidam 1. distinguunt inter *necessaria*, nempe ad vitæ sustentantionem, et *superflua*; dein alia vocant *quasi patrimonialia*, quasi ejusdem naturæ essent, ac patrimonialia. Quo referunt *parsimonialia* singulari frugalitate ac temperantia paulatim conquisita (*b*). 2. Disputant de dominio bonorum beneficialium, utrum id clerici habeant, an vero eorum dispensatores tantum, et administratores dici debeant. Vaga dominii notio ingentes lites peperit. Nam antiquiores maxime Doctores, cum ex perpetua doctrina SS. Canonum manifeste intelligerent, Clericos ex justitia teneri in pias causas erogare, quod a vitæ sustentatione ipsis reliquum est, negarunt, eos redituum suorum habere dominium. Recentiores autem, nonnullis loquendi modis, quibus ipsa Concilia usa sunt, e. g. *quod Clerici fructus faciant suos, aut non faciant suos*; permoti, ipsis dominium tribuerunt, sed sustulerunt justitiæ obligationem, superflua erogandi in pias causas. Alii in parte redituum *necessaria* clericos dixerunt dominos, in *superflua* dispensatores. Ita quæstio momenti maximi ad litem de nomine fuit detorta (*c*).

(*b*) Sic peculium Servorum Terentius in Phormione I. 1. v. 5. appellat, quod *isti genium defraudando, de demenso suo unciatim comparcebant miseri.*

(*c*) Par idearum instabilitas in hac voce: *dominium*; effecit, ut cum nonnulli Scriptores Romanos Pontifices

omnium beneficiorum vocassent Dominos, pravi homines occasionem calumniandi, imprudentes errandi inde nanciscerentur.

§. 262. His præmissis de Peculio clericorum decidendum est: I. *De bonis patrimonialibus clerici libere disponere possunt inter vivos et mortis causa, semperque potuerunt.* Nam vi status sui nec dominium eorum amittunt, neque incapaces fiunt, ut novum acquirant. l. 34. C. de Episc. et Cler. Hinc ea separare a bonis per Ecclesiam acquisitis jussi sunt. can. Apost. 39. c. 1. de Testament. Si autem clerici pauperes ordinati fuerant, aut alias dubium existeret, quo titulo post ordinationem quidpiam acquisierint, profano an sacro, totum ab Ecclesia acquisitum præsumebatur. c. 1. et 3. de Testament. Utrum autem ii, quibus patrimonium abundabat, quosdam reditus aut beneficia ab Ecclesia percipere olim potuerint, disputat Thomassinus. *Certum est,* (inquit Benedictus XIV.) *hac nostra tempestate etiam Clericis divitiis affluentibus beneficia conferri. Neque est, qui dubitet, quin iidem verum dominium habeant redituum, quos ex proprio percipiunt patrimonio; in quorum proin mala distributione, aut pravo usu possunt utique contra alias virtutes, perinde ac Laici, non vero contra strictam justitiam peccare* (*d*). S. Thomas 2. 2. q. 185. art. 7. ad 3. docet, quod urgente pauperum necessitate peccaret Clericus, si vellet de rebus Ecclesiæ vivere, *dummodo haberet patrimonialia bona, de quibus vivere posset.*

(*d*) De Syn. Dioeces. l. 7. c. 2. n. 2. Edit. Ferrar. an. 1753: Conf. Zech. de Jur. Rer. Eccl. Sect. III. tit. VII. §. 100, 101.

§. 263. Decidendum est II. *Clericus vel omnium redituum beneficialium fit dominus, tam eorum, quæ necessaria vulgo appellantur, quam quæ superflua, aut nullorum.* Pr. Omnes reditus pari jure conceduntur, adeoque pari etiam jure censeri debent: nec dici potest: hæc pars determinate est necessaria: illa superflua.

§. 264. Decidendum est III. *Nulli reditus beneficiales appellari possunt bona quasi patrimonialia, imo nec superflua proprie.* Pr. Appellatio bonorum quasi patrimonialium est contra rationem Juris sacri, in quo *duo* tantum bonorum genera, quæ penes Clericum esse possunt, distinguuntur, vere patrimonialia, et acquisita per Ecclesiam, sive ex titulo profano, ac sacro profecta (*e*). Eadem appellatio ingerit præjudicatam opinionem, qua ex vocabulo de jure eorum bonorum ante judicatur, quam jus ipsum secundum Canones examinatum, cognitumque fuerit. Dein appellatio *superfluorum* duntaxat referri potest ad finem partialem bonorum beneficialium, nempe *solam* sustentationem Clerici. Spectato enim fine adæquato, qui præterea in augendo divino cultu, alendisque pauperibus consistit, non apparet hoc præsertim ævo, qua ratione quidquam superfluum censeri possit; quia nunquam deest occasio augendi divini cultus, pauperumque alendorum.

(*e*) C. 1. de Testament. can. *Episcopi.* 19. XII. q. 1. can. *Quicunque.* 2. ead. q. 3. can. *fixum.* 4. ead. q. 5. Etiam S. Thomas Quodl. VI. art. 12. duo duntaxat bonorum genera distinguit. In peculio filiorumfamilias recte quidem ab aliis bonis distinguuntur *castrensia*, quæ is occasione militiæ sagatæ acquirit: et *Quasi Castrensia* quæ idem obtinet occasione militiæ togatæ seu forensis, imo per omnes artes liberales, vel per officium publicum, aut liberalitate Principis vel Augustæ;

quemadmodum traditur in Dig. Tit. de Peculio. Sed hisce quasi Castrensibus ipsum jus tribuit privilegium bonorum castrensium, ipsaque lex Advocatos cum militibus comparat. l. 14. C. de Advocat. divers. jud. Imo ipsum Jus appellationem peculii quasi Castrensis habet l. ult. C. de inoff. Test. Nil tale a Jure sacro circa bona beneficialia, quasi patrimonialia statuitur.

. §. 265. Decidendum est IV. *Quando de obligatione beneficiatorum disputatur, erogandi in pias causa id quod, ad eorum propriam sustentationem non impeditur, caput controversiæ non in eo figendum est, utrumne Clerici redituum beneficialium Domini appellandi sint, an dispensatores tantum vel administratores.* Prob. Idea dominii non excludit obligationem personalem, ex justitia præstandi quidpiam; uti patet manifeste in *Donationibus*, *quae sub modo.* §. 258. n. IV. et in not. Sic heres totam hereditatem facit suam, sive ut adversarii inferunt, totius dominium acquirit: etsi debitis, legatis, censibus onerata sit, quibus ex justitia satisfacere debet. Emphyteuta habet dominium utile: et tamen obligatione perfecta præstat canonem. Idem patet in reditibus laicis, quibus multa incumbunt onera pensionum; tributorum. Imo jus etiam reale, quod pignoribus et hypothecis velut nebula paludi inhærere dicitur, non aufert debitoribus eorum dominium. E contrario si Clerici duntaxat dispensatores redituum beneficialium vocantur, jure tamen congruam sustentationem sibi imprimis ex iisdem quærunt; quamvis non negem, obligationem justitiæ erogandi in pias causas id, quod a propria sustentatione reliquum est, tum apertius incurrere in oculos (*f*).

(*f*) Clericos non esse, nisi dispensatores redituum beneficialium, late probare nititur Thomassinus P. 3.

l. 3. c. 26. et seq. Receptus loquendi mos, non abhorrens a præsenti Canonum disciplina iis dominium quoddam redituum videtur tribuere. Si alterutrum dicendum esset, Clericos redituum beneficii aut dominos non esse, aut nulla justitiæ, sed solius præcepti ecclesiastici lege teneri, ut in pias impendant causas, quod a sua sustentatione reliquum reperiunt, malim, esse dominos negare, quam a j stitiæ vinculo absolvere.

§. 266. Decidendum est V. *Beneficiati obligantur ex justitia, bona beneficialia, quae in congruam sustentationem non impenduntur, erogare in pias causas; ita ut totum id, quod in usus profanos ex iisdem profunderunt, piis causis resarcire ac restituere debeant* (g). Prob. I. Ex intentione offerentium bona sua Ecclesiis, et oblationum formulis patet manifeste, eas donationes non esse profanas, in commodum præcise et luxum Clericorum factas, sed res donatas spectari debere tanquam *vota Fidelium, Rex Dei, patrimonium Christi, pretia peccatorum, alimenta pauperum* (h). Neque Ecclesia ex fine suo, et sanctitate aliter ea bona acceptat, et acceptata in Clericos confert, nisi ut in pios usus impendantur (i). Ex hac Fidelium et Ecclesiæ mente, indeque resultante bonorum natura infertur, ea bona non aliter a Clericis acquiri ac teneri, nisi *hoc pacto*, ut in primis ad propriam sustentationem, dein quod superest, ad alios pios usus impendant. Quidquid autem sub pacto et modo acquiritur, continet obligationem perfectam, sive ex justitia, eum modum implendi, et si contra actum fuerit, resarciendi. Atque hæc est argumentandi forma, qua obligationem justitiæ deduxerunt Auctores gravissimi maximo numero, SS. Canonum periti (k).

(g) Hæc obligatio resarciendi id, quod male consumtum est, efficit differentiam inter hanc Antiquorum,

nostramque sententiam, et Recentiorum quorumdam opinionem, qui solo Ecclesiæ præcepto, et caritatis vel religionis motivo Clericos obligari asserunt, ut, quod superfluum habent de reditibus beneficii; in pias causas erogent. Ex mero autem præcepto, aut caritatis vel religionis motivo, etsi peccatum sit, obligationem restitutionis oriri negant. Quamquam non videam equidem, cur præcepto, si impleri adhuc possit, aut caritati vel religioni, si satisfactum necdum est, satisfieri autem possit, non etiam debeat. In nostra sententia illud liquet, eum, qui compensare piis causis debeat, quod male subtraxit, efficere parsimonia debere pariter, ut obligationi restitutionis satisfacere possit.

(*h*) Notæ sunt formulæ Capitularium: *Offero Deo, atque dedico omnes res, quæ hac in chartula tenentur infertæ pro remissione peccatorum meorum, ac parentum, ac filiorum, ad serviendum ex his Deo in sacrificiis, Missarum solemniis, orationibus, luminariis, pauperum ac Clericorum alimoniis, ac ceteris divinis cultibus, atque aliis Ecclesiæ utilitatibus.* Similes formulæ magno numero exhibentur a Marculfo l. 2. præsertim c. 1. 2. 3. 5. 6. Mansi Edit. concil. T. XVII. in Append. Adde Concil. Aquisgran. l. c. 116. et can. *Pontifices.* 3. *XII.* q. 3. ibi: *Quia hoc ille, qui donat, pro redemtione animæ suæ, non pro commodo sacerdotis offerre probatur.*

(i) Instar axiomatis sumendum est in Jure sacro id, quod ex Concilio Mediolan. an. 1565. refert Thomassin. P. 3. l. 3. c. 32. n. 14. *Ubi primum Ecclesiæ bona esse cœperunt, eam naturam et conditionem consecuta sunt, ut in alium, quam sacrum et pium usum eorum fructus converti nefas sit.*

(*k*) 1. S. Antoninus in Summa P. 3. Tit. 15. c. 1. §. 19. laudans Raymundum nostrum, et S. Thomam (quem tamen Adversarii in suas partes attrahere conantur) dein Petrum Paludanum, cujus verba recitat: *Prælati sunt Domini sub certa lege, scilicet, si bene utantur; alias restituere tenentur, sicut in his, quæ dantur ob certam causam, et in legatis relictis sub certo modo; quibus deficientibus licet dominium translatum fuerit, repetuntur.*

2. Navarrus in Propugns. Apologiæ de Reditibus Eccl. ait. *Secundum Ecclesiæ Christianæ traditionem, Canones, et donantium intentionem bonis Ecclesiæ est adjectus modus et onus, ut dentur superflua pauperibus: accipiens autem aliquid sub onere, hoc vel illud faciendi, lege justitiæ tenetur ad illud.*

3. Tannerus solertissimus atque eruditissimus Theologus T. 3. Disp. IV. de Just. Q. 6. n. 228. eandem asserens obligationem justitiæ, eadem utitur forma argumentandi: *Qui aliquid accipit sub onere, dandi illud, vel aliquam ejus partem alteri, si in alios usus impendat, tenetur ad restitutionem;* ut patet ex l. 1. 2. 3. C. de donat. quæ sub modo.

4. Henricus Pirhing. accuratissimus Canonum interpres n. XI. h. t. ita scribit: *Si bona ecclesiastica ex institutione et natura sua hoc ipso, quod ad Dei cultum et honorem oblata, et donata sunt a fidelibus, non debent aliter adplicari et impendi a fidelibus, nisi in pios usus: sequitur, quod fideles fundatores non voluerint, nec potuerint illa aliter donare Ecclesiæ, nisi congruenter ipsæ naturæ et primæ institutioni talium bonorum, adeoque cum tacito pacto et onere, quodam modo imbibito in ipsa prima institutione eorum, ut non nisi in pios usus expendantur; et per consequens, qui aliter illa expendunt, non tam contra virtutem religionis, quam contra justitiam peccant.*

5. Demum Anacletus Reiffenstuel abjecta, quam in Theologia morali, nondum expensa auctoritate Canonum arripuerat, opinione parem adhibet argumenti formam n. 59. h. t. posteaquam præc. n. 56. ingentem Auctorum phalangem eadem sentientium exhibuisset.

§. 267. Probatur Decisio II. Ante erectos titulos beneficiorum censebatur ad Ecclesiam atque ad pias causas pertinere totum id, quod Clerici ex portione accepta ad necessariam sustentationem non impenderant: quod ex illa portione emerant: quod post mortem ex illa reliquerant. Ergo *multo magis* post erectos titulos beneficiorum obligantur iidem ex justitia, in pias causas impendere, quod a sua sustentatione

reliquum habent. Consequentia manifesta est, et extra controversiam. Olim enim Clerici portionem pro sua sustentatione acceperant, jam segregatam a partibus in Episcopum, fabricam et pauperes collatis, adeoque vera, propriaque facta erat divisio bonorum, per quam dominium acquiri contendunt adversarii. Antecedens æque manifestum est ex omnibus capitulis hujus tituli. Nam ea, quæ Clericus ex portione per Ecclesiam accepta emerat, aut emisse præsumebatur, ad jus Ecclesiæ dicuntur pertinere; et Ecclesiæ debere vindicari, tanquam comparata ex re Ecclesiæ, ita, ut res succederet in locum pretii. c. 1. et seq. h. t. can. *Placuit.* 1. XII. q. 3. conf. §. 205. (*l*).

(*l*) Putant adversarii, reditus beneficiales præcise successisse in eam bonorum portionem, quam olim Clerici ex communi bonorum massa acceperant pro sustentatione sua, jam segregatam ab aliis partibus. Id vero, etsi nulla ratione probare possint, tamen validissimum præbet nostræ decisioni argumentum. Neque enim hodierni beneficiati plus juris habent disponendi de reditibus suis, quam olim Clerici in portione sua habuerant. Quid vero juris habuerint Clerici in iis bonis, quæ ad propriam sustentationem non impenderant, aperte colligitur ex iis, quæ per eosdem Canones decreta sunt contra Clericorum luxum, quo dicebantur rapinam facere; quod etsi per exaggerationem dictum sit; cum vera rapina in sensu juris non contigerit, tamen peccatum injustitiæ exprimit. 2. Ex iis, quæ de emtis a Clerico: de rebus ab eo relictis: 3. et de abusu spoliorum post mortem gravissime, locisque plurimis constituta fuerunt.

§. 268. Ob. I. Sub Romanis Pontificibus Simplicio et Gelasio facta est divisio bonorum in partes quatuor. can. *de reditibus* 27. et can. seq. XII. q. 2. Per divisionem autem acquiritur dominium, adeoque et libera dispositio de Jure.

§. 5. et fin. Inst. de offic. Jud. l. 1. 2. C. communia utriusque Judicii. Ergo. Resp. 1. Si hoc concederetur totum, aliud non efficeretur, nisi Clericos habere dominium suorum redituum. At dominio non excluditur obligatio ex justitia, præstandi quidpiam. §. 265. In ipsa etiam portione singilatim accepta quale jus habuerit Clericus, dictum est §. præc. Resp. 2. de Sub PP. Simplicio et Gelasio facta est divisio bonorum in partes quatuor, h. e. ab iis Pontificibus indicati sunt fines, in quos bona massæ communis impendi debeant ab administratoribus eorum, et quidem secundum veterem disciplinam, non nova facta ordinatione c. facta est divisio sic, ut reipsa communis bonorum ac redituum massa in partes quator stabiliter fuerit distributa, ac segregata; qualem divisionem Auctores quidam videntur fingere; n. Longo post Simplicium ac Gelasium tempore oblationes et reditus Ecclesiarum aut conferebantur in communem massam in quatuor portiones stato tempore distribuendam, aut ex quibusdam bonis Clerici cujusvis Ecclesiæ alebantur, quin erecta essent beneficia titulata cum annexo jure percipiendi certos reditus. Conf. dicta hoc libr. §. 44. 45. et seq.

§. 269. II. Ob. Reditus beneficiorum ad sustentationem Clerici beneficiati sunt destinati; ergo nulli alteri causæ, quantumvis piæ, ex justitia quidpiam ex iis debitum est. Resp. 1. d. a. Reditus pro Clericis beneficiatis sunt destinati, nempe, ut concedantur administrationi, et si ita vis, etiam dominio Clericorum, qui ex illis jure sustentationi suæ primo consulunt; c. a. ita sunt pro singulis Clericis destinati, ut ex mente fidelium et Ecclesiæ non alii sint assignati fines, in quos reditus, qui ad sustentatio-

nem eorum impensi non sunt, ab iis impendi debent, n. Atque hoc est; in quo gravissime errant adversarii, erectis beneficiis reditus ad SOLAM Clericorum sustentationem dari. Cur igitur tam uberes reditus sæpe dantur? nempe ut pro omni casu congruæ sustentationi provisum sit, ac siquid dein abundet, in alios pios usus convertatur; certe non ob eam causam, ut Clericus de altari luxurietur; quo fine Ecclesia pingues fundationes acceptare non posset. Resp. 2. Quod autem finis et onus redituum non sola sit Clerici sustentatio, patet ex obligatione, quam habet, dandi Episcopo, quod illi secundum consuetudines diœcesium debitum est, ceu Cathedraticum, subsidium Caritativum, procurationes: patet ex obligatione, qua concurrere tenetur ad fabricam, si dos Ecclesiæ non sufficiat. c. 4. de Ecclesiis ædif. vel repar. Patet ex quotidiano affluxu pauperum ad ædes Clerici, a quo subsidium egestatis, vel repentinæ calamitatis primo exspectant. In hos fines, sustentationem Episcopi, Cleri, in fabricam et pauperes olim communis massa bonorum Ecclesiarum distribui debuit: aucto fidelium, Ecclesiarum, Clericorum, et bonorum maxime immobilium, et incorporalium numero non ipsi fines, non mens et spiritus Ecclesiæ, sed sola ratio administrationis fuit immutata, ita ut beneficiatis relinqueretur administratio, quæ antea penes œconomos sub regimine et vigilantia Episcoporum fuerat. Hinc in Concilio Metensi anni 888. decernitur, Presbyteri, qui Ecclesiæ deservit, nempe parochi, non laici Patroni esse, decimas percipere tam ad propriam sustentationem, quam ad luminaria, ad ædificia servanda, ad ornamenta, et cetera omnia, quæ ad sacrum ministerium necessaria sunt, comparanda. Et c. 26. de Decimis, eæ appellantur *tributa egentium animarum*; cum

eo tempore singulis jam beneficiatis præstarentur, uti ex sententia cit. Capituli patet, non in communem congererentur massam. Multa ex Conciliis testimonia huc pertinentia afferri possent. At satis est, provocare ad verba SS. Concilii Trid. Sess. XXV. c. 1. de ref. quod bona Clericorum, cum in eorum manibus jam sunt, vocat *Res Dei*, et ob hanc causam consanguineos ex iis ditari vetat, *cum et Apostolorum Canones prohibeant, ne res ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant.* Ex his duo inferes: *Primo.* Si antiqua bonorum indoles, et jus bonorum fuisset mutatum, uti mutata est ratio administrationis, frustra et inutiliter Concilia et Patres posteriores ad antiquos Canones provocarent; quod faciunt sæpissime. *Secundo* hæc una, quam dedi hoc loco, explicandi ratio disciplinam antiquam cum præsente, et Canones ad utramque pertinentes apte inter se concilia.

§. 270. III. Objic. Omnes reditus beneficiatis dantur per modum mercedis secundum dictum Christi Luc. X. 7. *Dignus est operarius mercede sua.* Est autem de natura et ratione mercedis, ut absolute et sine onere transeat in dominium operarii. Resp. d. Est de natura et ratione mercedis, ut absolute et sine onere transeat in dominium operarii, si ab hoc præstantur operæ, quæ pretio temporali æstimari, et compensari possunt, c. si præstantur operæ, quæ sine crimine Simoniæ pretio temporali æstimari et compensari non possunt, n. Christus ministris suis dixit: *Gratis accepistis, gratis date.* Id ad æditnos, musicos, aliosque locatores temporalium operarum, quibuscum sacerdotes et clericos comparare non verentur adversarii, haud pertinet. Verba illa: *Di-*

gnus est operarius mercede sua, quid denotent, patet ex tota sententia ejus loci: *In eadem domo manete, manducantes et bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua*; sive ut S. Matthæus X. 10. idem exprimit: *Dignus est enim operarius cibo suo.* Adeo totum id ad sustentationem beneficiati non ad compensationem spiritualium operarum refertur.

§. 271. IV. Objic. Canones, qui bona Ecclesiarum vocant *Res Dei*, *patrimonium Christi*, *alimenta pauperum* etc. intelligendi sunt de bonis proprie ecclesiasticis, non de iis, quæ titulo beneficii obveniunt Clericis. Ergo. Resp. 1. Si hoc concederetur, quæro, satisne factum est fini et naturæ illorum bonorum per hoc, quod fructus in horreis et cellis, pecuniæ in cistis Clericorum condantur? Resp. 2. SS. Concilium Tridentinum loquitur de bonis, quæ titulo beneficii tenentur a Clericis eaque vocat *Res Dei*, atque ad veteres Canones provocat. Adeo sola ratio administrationis, non mens Ecclesiæ, non indoles bonorum per titulorum erectionem immutata fuit. Capitulum 1. hoc titulo, quod Concilio Arelatensi inscribitur, videtur re ipsa desumtum ex capitulis Hincmari Rhemensis, secundum disciplinam eorum temporum editis an. 852. estque ordine cap. 18. At vero ex iis capitulis manifeste colligitur, administrationem penes singulos Clericos fuisse, eosque non suæ tantum sustentationi, sed etiam Episcopo, fabricæ, et pauperibus debuisse providere (*m*).

(*m*) Mansi edit Concil. T. XV. col. 480.

§. 272. V. Objic. ex Bulla Julii P. III. edita an. 1550. ubi ait: Fructus beneficiorum, postquam ad manus beneficiatorum pervenerunt, et cum aliis ipsorum fructibus vel rebus vel pecuniis

commixti sunt, *non ulterius in ecclesiasticis, sed potius ipsorum beneficiatorum propriis, et ab eis acquisitis bonis judicari, et propterea quodammodo pro secularibus et profanis haberi, et de eis testandi et alias disponendi facult s eisdem beneficiatis per Sedem Apostolicam concedi consuevit.* Resp. Ex hac Bulla infertur *primo* distinctio inter *fructus inexactos* et bona proprie ecclesiastica, et *fructus exactos*, seu bona clericalia, quæ non simpliciter, sed *quodammodo* secularia habentur, ex duplici hypothesi, quod cum patrimonialibus bonis fuerint commixta, et quod ex speciali indulto Pontificio pro urbe Roma dato ad heredes etiam laicos pervenire poterant. At inquies: Si bona Clericorum ex justitia in pias causas eroganda sunt; quomodo Pontifex privilegium dare potest, ut ea sine discrimine perveniant ad Laicos? Resp. Si ea obligatio justitiæ respiceret jus certæ ac determinatæ personæ, vel certæ causæ piæ, id lege ordinaria fieri non posset; quia Supremus etiam Princeps lege ordinaria non derogat juri privatorum. Verum quia illa obligatio justitiæ refertur ad causas pias quascunque indeterminate; Pontifex in casu particulari et quidem tali, quæ vergit in bonum ipsius Ecclesiæ; id facere potest vi supremæ administrationis bonorum Ecclesiæ; quemadmodum ex bonis Ecclesiæ et Clericorum succurritur necessitatibus publicis, et aliquando conceduntur privilegia ex iis bonis testandi ad causas profanas e. g. in favorem familiæ de Ecclesia bene meritæ (*n*).

(*n*) De ejusmodi concessionibus Pontificum, et de causa in bonum Ecclesiæ atque in primis urbis Romæ, speciatim de Bulla Julii III. vide Navarrum in Commentario de Spoliis §. 6. et seq. ubi §. 11. eadem Julii III. Bulla ad forum tantum externum quoad certos articulos adstringitur. Ex eadem autem patet manifeste, heredi-

bus Clericorum varia incumbere onera justitiæ, nempe satisfaciendi debitoribus defuncti, legatariis, Cameræ Apostolicae præstando ornamenta Capellae, et pretium annuli Cardinalitii. Illud mirum, adversarios in hac Bulla Julii III. quae de loco et causa agit particulari, haerere; neque ad tot Canones generales, aliasve Pontificum constitutiones, in quibus de Clericorum bonis agitur generatim, animum attendere. Conferant de hac re potius Bullam Innocentii XII. editam an 1692. die 22. Jun. et Constitutionem Benedicti XIV. datam an. 1749. die 29. Augusti.

§. 273. Difficile est, omnia adversariorum effugia in hac controversia commemorare, et respondere ad singula argumenta, quæ extra causam et ex locis minime genuinis petunt. Sic ajunt: 1. Fideles sperant, et optant duntaxat, non obligant clericos, ut bonis oblatis recte utantur. 2. Quærunt, cur taceat Ecclesia ad abusus bonorum clericalium? quasi non omnes Canones clamarent, et acta Conciliorum generalium et particularium, et Decreta Pontificum, et statuta synodalia, et tota retro antiquitas, et exempla clericorum innumerabilium, quasi non ipsi clamarent pauperes (*o*). 3. Fingunt, clericos olim ob votum paupertatis disponere de bonis non potuisse. 4. Patres per exaggerationem esse loquutos; quæque sunt alia istius generis explodenda potius: quam confutanda.

(*o*) Tamerus T. III. disp. 4. de Justitia. q. VI. n. 231. ita inquit: Obligatio restituendi opposita contrariæ sententiae in praxi saepe enervatur; de qua re viderint adversarii, quid responsuri sint Deo Judici, ad quem tam frequenter provocant Fundatores piarum causarum. Bona Ecclesiae semel prodige expensa non restituuntur, nec ab iis, qui expenderunt, nec ab iis, qui acceperunt. Quid mirum? cum et restituendi facultas saepe desit, et per apertam injustitiam ac rapinam possessa vix unquam ad dominum redeant.

§. 274. Actum est de bonis beneficialibus, seu iis, quæ ex universali administratione totius beneficii, fundationis, Parochiæ, canonicatus vel dignitatis proveniunt. In his solam administrandi rationem mutatam fuisse judico, nequaquam autem quadruplicem finem, ad quem bona Ecclesiæ jam olim destinata fuerant: hæc bona non ad solos Clerici usus dari existimo, sed ex mente fundatorum et Ecclesiæ cum oneribus annexis, quæ cultum divinum, pauperes, fabricam Ecclesiæ etc. respiciunt. Hinc plerique Auctores, qui veterum et nostræ inhærent sententiæ, aliter decidere solent de stipendiis missarum, funeralibus, præsentiis, distributionibus quotidianis, quæ tanquam pro dimenso diurno Clericis dantur, et ex hodierna communi persuasione ad solos eorum usus pertinere censentur. Hinc siquis beneficiatus ob omissam fidei professionem fructus non facere suos dicitur, istuc de fructibus grossis tantum, non de distributionibus quotidianis intelligi vulgo solet. *Parsimonialia* quæ dicuntur, ea ab aliis bonis beneficialibus non distinguenda puto. Nam ut inquit Cl. Zech. de Peculio Cler. §. 96. certum est, quod hi sint reditus ecclesiastici ex natura sua destinati ad usus pios; certum est pariter, quod ad illos impensi non fuerint: qua ratione igitur contingere potuit, ut reditus ecclesiastici transierint in profanos ex eo solo capite, quod Clericus iis ad suam sustentationem usus non sit, cum præsertim omnes Canones, ipsumque Concilium Tridentinum Sess. XXV. c. 1. de ref. Clericis, ipsisque Episcopis frugalitatem ac modestiam commendent, et tamen reditus a propria sustentatione abundantes in pios usus erogare jubeant?

TITULUS XXVI.

DE TESTAMENTIS ET ULTIMIS VOLUNTATIBUS.

ARGUMENTUM.

I. Notio Successionis et ultimæ voluntatis. §. 275. *II. Testamentum solemne.* §. 279. *III. Canonica testandi forma.* §. 289. *IV. Testamenta privilegiata.* §. 291. *V. Testabilitas activa.* §. 293. *VI. Passiva.* §. 301. *VII. Institutio heredis et acquisitio hereditatis.* §. 303. *VIII. Executio Testamenti.* §. 307. *IX. Infirmatio testamentorum.* §. 310. *X. Codicillus.* §. 315. *XI. Substitutio directa et indirecta.* §. 316. *XII. Legatum et donatio mortis causa.* §. 322. *XIII. Remedia Juris pro causis testamentariis.* §. 324. *XIV. Ultimæ voluntates an natura vim habeant? Testamenta imperfecta an nulla sint pro utroque foro.* §. 326.

§. 275. Ad *actus inter vivos* pertinent contractus, et dispensatio peculii Clericorum. Sequuntur *actus mortis causa*, per quos in bona et jura defunctorum succeditur. *Successio* tamen refertur ad actus generis utriusque. Quando enim res vel dominium, aut dignitas vel officium ab uno ad alium devolvitur, hic priori succedere dicitur; estque successio *realis*, quæ fit in res et bona: *personalis*, quæ in dignitatem vel officium. A titulo universali aut singulari appellatur successio *universalis*, *seu juris*: aut *singularis sive rei.* Universalis est hereditaria ex testamento, vel ab intestato, et nostris moribus ex pacto per actum inter vivos constituto (*a*). Idea autem successionis id non involvit, ut eodem, quo Antecessor rem vel jus obtinuit, modo etiam Successor habeat. Fieri potest, ut ille rem nactus sit modo acqui-

rendi primitivo et originario ; at successio semper pertinet ad modum acquirendi derivativum (*b*).

(*a*) Pro universali non nulli habent successionem in beneficio. Sed enim alia est successio universalis ex titulo universali, alia in universitate bonorum ex titulo singulari ; qualis censeri solet successio Principatuum et territoriorum, vel indonatario omnium bonorum, aut emtore hereditatis. In Jure civili pro universali successione habetur arrogatio, alii modi sublati sunt, uti explicatur in Inst. l. 3. tit. 11. 12. 13.

(*b*) Si ergo Episcopi successionem personalem habent in parte juris, quod immediate a Christo acceperant Apostoli, non sequitur continuo, ut ipsi jus suum immediate habeant a Christo, quemadmodum Apostoli habuerunt.

§. 276. *Ultima voluntas* est dispositio de eo, quod quis post mortem suam fieri velit, maxime de bonis suis (*c*). Essentialia ultimæ voluntatis sunt : I. ut sit voluntas *propria* ; quia regulariter in alienum arbitrium conjici non potest dispositio mortis causa : voluntas *perfecta*, non inchoata, nec consistens in solo proposito, aut promisso disponendi : *libera* a vi et metu : et *clara* ; quia non apparere, et non esse ; in jure æquiparantur. II. Ut sit *ultima*, sic ut alia voluntas ante mortem sequuta non sit, etsi potuerit sequi, adeoque ut sit voluntas *mutabilis. Ambulatoria est enim voluntas defuncti usque ad vitæ supremum exitum.* l. 4. D. de adimendis leg. III. Quia ante mortem dici nequit, quod facta dispositio sit *Ultima* voluntas ; idcirco tota dispositionis vis manet in arbitrio disponentis ; nec heres, vel legatarius, vel donatarius mortis causa quidquam juris acquirunt vivo testatore ; qui sine injuria mutare potest dispositionem. Nam jus et libertas disponendi non alienatur vel cessat, nisi ex translatione juris facta in alium ; quæ si facta non est, se

ipsum reddere inhabilem ad disponendum aliter, nemo potest (*d*).

(*c*) Dispositio vox est generalis, pertinens maxime ad actus ab unius arbitrio pendentes; refertur tamen etiam ad contractus, non tantum ad leges et ultimas voluntates. Fit mortis causa non tantum de bonis et juribus relictis, sed etiam ob causas alias, ceu funeris, sepulturæ; aut designando tutorem pro liberis, executorem testamenti, arbitrum litium inde fors provenientium.

(*d*) Dubium aliquando incidit in donatione mortis causa, acceptata a donatario, anne sit dispositio inter vivos, facta quidem a moriente, sed non mortis causa. De qua re infra disseram. De casu, quo quis jurata et acceptata promissione libertatem suam constringit non mutandi ultimam voluntatem, confer Cl. Zech. §. 435. de Testamentis, et ibi citatos.

§. 277. Ultimæ voluntatis species statuuntur sex, *Testamentum*, *Codicillus*, *Substitutio directa*, *Substitutio indirecta*, seu *Fideicommissum*, *Legatum*, *Donatio mortis causa.* Uti autem fit in actibus inter vivos, ut spectentur 1. *formaliter*, in se, quatenus sunt actiones contrahentium, vel quoquo modo disponentium, 2. *objective*, quoad rem, et objectum, de quo fit dispositio, 3. *effective* quoad effectum juris et titulum; sic idem contingit in actibus mortis causa. *Testamentum* est ultima voluntas, qua directe instituitur heres, legitime declarata. l. 1. D. qui testamenta fac. poss. Quævis alia dispositio sine directa heredis institutione, *Codicillus* est. Directa heredis institutio testamento est essentialis: aliæ dispositiones eidem adjectæ, ceu de legatis, funere, executore etc. sunt accidentalia, ac fieri etiam possunt in Codicillo. *Directo autem hereditas Codicillis neque dari, neque adimi potest, ne confundatur jus Codicillorum et testamentorum*

§. 2. Inst. de Codicillis. Utrumque, et testamentum et Codicillus; fit scripto, aut viva voce, nempe legitime, id est, forma legibus præscripta. Est igitur testamentum scriptum, seu *clausum.*; est aliud *nuncupativum.* Codicillus item scriptus: et nuncupativus: utroque casu *accessorius*, si fit cum testamento, vel *principalis*, si sine testamento, in casu intestati.

§. 278. Reliquæ species ultime voluntatis ad alterutram ex prædictis referuntur. *Subsitutio* fit, si unus vocatur in locum alterius; qui capere non vult; aut non potest, quod ei relictum est. *Directa* vocatur, qua substitutus immediate a testatore accipit hereditatem vel legatum. *Indirecta*, qua id non immediate a testatore obtinet, sed ab herede, eove, qui legato honoratus est; quorum fidei committitur, ut substituto præstent, vel relinquant saltem post suam ipsorum mortem quod testator ab eis præstari aut relinqui vult. Idcirco hæc indirecta substitutio nuncupatur *fideicommissaria*; quia primo a sola fide pendebat ejus, qui a testatore fideicommissio gravatus fuerat; sed postmodum id vi legum fuit subjectum. Substitutio directa heredis fit solo testamento: indirecta totius hereditatis, vel certæ partis aut legati, uti et donatio mortis causa tum testamento, tum codicillo fieri potest. Hæ notiones hic præmittendæ erant, ut species ultimarum voluntatum altera ab altera distinguerentur. Nunc de Testamentis primo agendum est.

§. 279. Testamentum aut *solemne* est, aut non solemne, seu *privilegiatum.* Id pertinet ad formam externam, ceu numerum, qualitatem, subscriptionem, et signationem testium. Si ver-

borum proprietas servaretur, omnis solemnitas ad formam *externam* referenda esset. Sunt tamen, qui aliam vocat solemnitatem *internam* testamenti, eamque sitam ajunt in testabilitate activa, et passiva, in directa heredis institutione, et legitima declaratione voluntatis (§. 276. n. I.) *Substantialis* ea nuncupatur solemnitas tam interna, quam externa, sine qua actus censetur nullus et irritus, tanquam destitutus sua forma. Actus enim sine forma esse non potest. *Imperfectum* testamentum dicitur tum ratione solemnitatis externæ, e. g. siquid deficit in testibus, tum internæ, e. g. voluntatis, uti siquis disponere mortis causa voluit, sed morte præventus non perfecit. Testamenta privilegiata, quando habent formam sibi propriam, non recte vocantur imperfecta. De solemnitate testamentorum agitur in Inst. l. 2. tit. 10. in dig. l. 28. tit. 1. in Cod. l. 6. tit. 23. et in Constit. Maximiliani I. Imp. de Notariis, edita an. 1512.

§. 280. Externa solemnitas refertur ad actus testatoris, ad testes, ad modum actus ex utrisque compositi. *Scriptura* non simpliciter ad testamentum solemne, sed ad testamentum solemne scriptum seu clausum necessaria est. Fieri potest in quacunque instrumenti materia apta. §. 12. Inst. de Testament. ordinandis. l. 15. C. de Testament. in quolibet loquendi genere, si modo liqueat ejus voluntas; requiritur ergo lingua satis nota testatori atque ut absint notæ insolitæ et abbreviationes, quæ eam reddunt dubiam. Notæ numerorum Arabicæ non rejiciuntur eæ quidem, sed consultum est, integris verbis numeros exprimere. cit. l. 15. C. Fieri possunt ejusdem testamenti plura exemplaria, modo originalia sint, ne formam transumptorum præ se ferant. §. 13. Inst. de test. ord. -- Nec prohibentur

plures in uno testamento ultimam voluntatem suam declarare. -- *Datum*, ubi et quo die vel anno exaratum sit testamentum, nulla exprimendi necessitas est: si tamen aliud postea, et plura testamenta condenda sint, id percommodum est.

§. 281. Scriptura fieri potest *vel ipsius testatoris, vel cujuslibet alterius manu.* l. 21. C. de test. Nec opus est, ut testes norint, quid scriptum sit, *dum tamen testibus præsentibus testator suum esse testamentum dixerit.* cit. l. 21. Testamentum ipsius testatoris manu exaratum, vocatur *holographum*; ac tum opus non est, ut ipse subscribat, si et hoc specialiter in scriptura reposuerit, quod hæc sua manu confecit. l. 28. C. de test. At si ipse testator non scripserit, subscribere debet manu sua, et quidem in præsentia omnium testium, non solis *literis initialibus*, *sed literarum consequentia.* Sigillum testatoris præter subscriptionem nulla lex requirit, etsi adhiberi passim soleat. Aliter de testibus est præscriptum. Si nomen suum exarare non valeat testator, octavus adhibendus est testis vel notarius, qui non testatoris, sed suum nomen subscribit, addito tamen, pro quo, et quare subscribat. Constit. de Notariis. §. 7. Hæc ad testatorem pertinent. Sequitur ut de testibus agatur.

§. 282. I. *De numero testium.* Testes requiruntur omnino septem. §. 3. Inst. de Test. ord. I. 21. C. de test. ita ut sit unus defuerit, nullum sit testamentum l. 12. C. eod. De hoc numero detrahere testator nil potest, sed solus Princeps, lex particularis, legitima consuetudo loci. Augere numerum non nocet, imo consilii est.

§. 283. II. *De habilitate testium generatim.* Si habilitas vel in uno deficit, testamentum

nullum est, perinde ac si unus defuerit testis; quia inhabilem adhibere, et nullum, æquiparantur. Testator habilem facere non potest, qui per naturam aut leges non est. l. 13. C. de test. Opus est, ut testis sit habilis tempore conditi testamenti, non mortis, vel publicationis ejusdem. l. 22. §. 1. D. qui Testament. fac. poss. Imo etiam inhabilis, qui tempore conditi testamenti in possessione habilitatis, et pro habili communiter habitus fuerat, rejici postea non potest, nec ob id testamentum impugnari. §. 7. Inst. de test. ord. l. 1. C. de test. Habiles censentur omnes, quibus nec natura, nec lex obsistit. Leges autem aliquanto aliter statuunt de habilitate ad testamentum, quam ad faciendam probationem in judicio. Domitius Ictus interrogatus, an in septenarium numerum testium habilium etiam Notarius venire possit, qui testamenti tabulas exaravit, respondit: *Aut non intelligo, de quo me consulis, aut valde stulta est consulatio tua.* l. 27. D. qui test. fac. poss. (*e*).

(*e*) Inde factum, ut quæstiones *Domitianæ* nuncuparentur illæ, quæ super jure liquido, et per se manifesto fiunt. Brunnem. in cit. l. 27.

§. 284. *Inhabiles natura* sunt, quibus deest intellectus, aut sensus ad hoc negotium requisitus. Ejusmodi sunt amentes et furiosi extra tempora dilucidi intervalli. l. 20. §. 4. D. qui test. fac. poss. His addendi ebrii, quamdiu mens exulat. item impuberes §. 6. Inst. de test. ord. Dein muti et surdi §. 6. Inst. ibidem: *Neque mutus neque surdus.* Unde patet, alterutrum etiam defectum obesse. De cœcis nil aperte statuit Jus Romanum; vult tamen, ut testes videant testatorem. l. 9. C. de test. ibi: *Si* —

testes non in conspectu testatoris testimoniorum officio functi sunt, nullo jure testamentum valet. l. 12. ib. *coram testatore.* Nec dicas, sufficere, si testator videat testem, etsi non videatur a teste cœco. Si enim hoc requiratur, ut testator videat testem, cœcus omnino testari non posset: quod falsum esse, patet ex l. 8. C. qui testamenta fac. poss. ibi: in cœcis testandi licentia *tot oculis spectata.*

§. 285. *Inhabiles lege* sunt mulieres. cit. §. 6. Inst. (*f*). Heres (*g*). et ratione patriæ potestatis conjuncti cum herede vel testatore, sive heres et testator ex una, et testis ex altera parte ita conjuncti sint, ut alter in alterius potestate, sive ambo sint in potestate, tertii. Nam ita conjuncti pro una persona habentur, adeoque perinde est, ac si ipsi sibi testimonium præstarent. Conjunctio inter ipsos testes non nocet; quia testes nullum inter se negotium gerunt. §. 8. 9. et 10. Inst. de test. ord. Quodvis aliud vinculum inter testastatorem vel heredem ex una, et testem ex altera parte non obest. §. 11. Inst. eod. Sic testis esse potest domesticus in testamento patrisfamilias, minister, consiliarius, subditus in testamento, Principis Religiosus in testamento, quo monasterium fit heres, aut Clericus Ecclesiæ adscriptus in testamento, quo instituitur eadem Ecclesia. Sic etiam legatarius, executor testamenti, tutor testamento datus, testes esse possunt. Jure Romano inhabiles præterea sunt ii, qui jus civitatis non habent, quales erant peregrini et servi. Sed id apud nos usum vix habet ex Const. Maximil. §. 7. Inhabiles censentur infames, si nempe infamia juris aut

facti sit declarata §. 6. Inst. de test. ord. ibi: *Neque ii, quos leges jubent improbos, intestabilesque esse, possunt in numerum testium adhiberi*; et ibid: *Testes autem adhiberi possunt, cum quibus testamenti factio est*, nempe passiva, id est, habiles sunt, qui ex testamento sibi vel aliis acquirere possunt (*h*). Hinc *passive* intestabiles excluduntur, adeoque etiam heretici, si in foro politico censentur passive intestabiles, et excommunicati si tales habentur; tanquam infames. Prodigos declaratos leges accensent furiosis, qui a testimonio testamentario excluduntur

(*f*) Leyserus exceptionem facit pro casu, quo mulier prægnans testatur, quæ alios testes præter mulieres habere vix potest. Sed erubescimus sine lege loqui. Necessitas aut impossibilitas licitum facere potest, quod non est licitum in lege; sed efficere non potest, ut actus informis et invalidus formam habeat, valeatque.

(*g*) Nomine heredis videtur etiam comprehendi heres fideicommissarius universalis; quia loco heredis est, et ex Scto successor juris. §. 3. et 4. Inst. de fideicommiss. hered. At in §. 11. Inst. de test. ord. dicitur: *Legatariis autem et fideicommissariis, quia non juris successores sunt, et aliis personis eis conjunctis testimonium non denegamus*. Heres in re certa institutus, et habens coheredem pro legatario habetur, adeoque testis est habilis. Similiter institutus in primo testamento testis esse potest in secundo, quo primum irritatur. Cessat enim ratio legis; cum in secundo totum negotium cum eo non geratur.

(*h*) Religiosos admittit communis praxis, etiam apud Protestantes; sunt enim passive testabiles, et acquirunt monasterio.

§. 286. III. *De rogatione testium.* In aliis causis testis etiam non rogatus ferre testimonium potest, ac sæpe invitus debet; ut patet ex l. 2. tit. 21. de testib. cogendis. In testamento si detinentur *inviti* testes, id non va-

let. l. 20. §. 10. D. qui test. fac. poss. Imo satis non est, si inviti non sint, sed oportet esse rogatos, et quidem principio, ab ipso testatore, vel ab alio, eo tamen præsente. l. 21, §. pen. D. eod. Constit. Maximil. §. 3. 7. ut nempe seria testatoris voluntas apertior sit, testisque intelligat, quid agatur, et quam ob causam præsto sit. Cum autem rogatio testium sit res facti, nisi ipsi testentur subscribendo, se rogatos fuisse, id probari debet; quod fieri potest per testes binos, eosdem vel extraneos; uti probatio alias fit per duos testes.

§. 287. IV. *De subscriptione et subsignatione testium.* Utraque requiritur copulative; altera sine altera non sufficit. l. 22. §. 4. D. qui test. fac. poss. l. 21. C. de test. Const. Maximil. §. 7. Fieri debet sic, ut *singuli* testes et suum, et testatoris nomen exprimant. l. 30. D. qui test. fac poss. ibi: *Singulos testes qui in testamento adhibentur, proprio Chirographo adnotare convenit, quis et cujus testamentum signaverit.* Hæc autem nomina, integris verbis, non solis literis initialibus sunt exprimenda. Si primus expressit totum: *Ego NN. attestor, tanquam testis rogatus, in hac scriptura contineri testamentum NN.* reliqui deinceps scribere solent: *Ego NN. testis rogatus idem attestor, ut supra.* Controversum est, utrum nomine eorum, qui scribere non possunt, alii legitime valeant subscribere. De Signatione id liquidum est. Ea fieri debet annulo. l. 22. §. 5. D. qui test. fac. poss. ac fieri potest etiam alieno, eodemque ab omnibus testibus vel proprio cujusdam testis, vel extranei, vel ipsius testatoris. §. 5. Inst. de test. ord. l. 22. §. 2. D. qui test. fac. poss. Const. Max. §. 10..

§. 288. *De actu testamentario ex præsentia testatoris et testium composito.* Per procuratorem testamentum fieri non potest, ne privilegiatum quidem et judiciale; sed necessaria est in primis præsentia testatoris, et testium, eaque simultanea, non successiva. §. 3. Inst. de test. ord. ibi: *uno eodemque tempore*; ita, ut testes videant testatorem, et audiant, et intelligant negotium, quod agitur. Necesse tamen non est, ut testis linguam testatoris intelligat; modo ex interprete, vel ex adjunctis norit, quid agatur negotii. l. 20. §. 9. D. qui test. fac. poss. Denique hic actus omnibus his præsentibus uno eodemque tempore, *nullo actu interveniente* (quem necessitas non poscit) sive uno contextu est absolvendus. §. 3. Inst. de test. ord. l. 21. fin. D. qui test. fac. poss. l. 28. C. de test.

§. 289. Testamentum solemne *nuncupativum* nullam subscriptionem vel subsignationem, sed reliquas solemnitates requirit, ita, ut testator coram septem testibus habilibus, rogatis, simul præsentibus voluntatem suam circa heredem viva voce per se, vel per alium manifestet, aut ex charta prælegat. Quapropter necesse est, ut testis intelligat linguam, qua conditur testamentum nuncupativum: atque heres nominetur; non tantum scriptus in scheda dicatur. l 21. princ. D. qui test. fac. poss. l. 21. §. 2. et l. 29. C. de testamentis (*i*). Si ea nuncupatio postea in scripturam redigatur memoriæ causa, testamentum nuncupativum non mutatur in scriptum (*k*). Ceterum expedit, adhibere Notarium qui nuncupata in instrumentum redigat, ne testes de illis jurato examinari debeant.

(*i*) Ad nuncupationem videtur sufficere, si testator ad interrogationem alterius capite annuat, modo sit

sanæ mentis, et testes pro declaranda ultima voluntate convocari jusserit, nec præsumtio sit, eum ob importunam præsentium instantiam annuere. L. 21. D. de leg. 3. dicitur, nutu etiam relinqui fideicommissum. Eadem videtur testamenti ratio, si modo testator alias loqui possit, et sola vi morbi nunc impediatur.

(*k*) Sichardus in l. 21. C. de testam. quo loco id etiam tradit, si testamentum scriptnm deficiat in subscriptione tantum, vel signatione testium, id valiturum tanquam nuncupativum, modo habeat solemnitates ad hoc requisitas. Accipiendus est enim actus, ut magis valeat, quam pereat.

§. 289. *De canonica testamenti forma* duo dicenda sunt, in quo illa consistat: quis uti eadem possit. I. Forma testandi, quæ canonica censetur, explicatur in c. *Cum esses.* 10. h. t. quo Alexander III. circa an. 1170. interrogatus ab Episcopo Ostiensi de consuetudine quorundam locorum, vi cujus *penitus rescindebantur* testamenta, *nisi cum subscriptione septem vel quinque testium fiant, secundum quod leges humanæ decernunt*; respondit in hunc modum. *Quia vero a divina lege et sanctorum Patrum institutis, et a generali Ecclesiæ cousuetudine id noscitur alienum: cum scriptum sit: In ore duorum vel trium testium stet omne verbum; præscriptam consuetudinem improbamus: et testamenta, quae parochiani coram Presbytero suo, et tribus vel duabus aliis personis idoneis in extrema fecerint voluntate, firma decernimus permanere, sub interminatione anathematis prohibentes, ne quis hujusmodi audeat rescindere testamenta* (*l*). Querunt de testibus, qui reqniruntur hoc loco, utrum ad probationem duntaxat præscripti sint, an ad solemnitatem, ita, ut idonei non sint, nisi secundum jus Romanum (§. 282. seq) ut rogari, simul convenire debeant, nec alio probationis

genere e. g. per agnitam scripturam testatoris suppleri queant? Resp. requiruntur ad probationem tantum. Nam illa solemnitas nec a divina lege, nec sanctorum Patrum institutis requiritur; ad que Papa provocat: nec ad illam adstricta fuit generalis Ecclesiæ consuetudo eorum temporum; quia Romanæ leges tum primum e tenebris, et longa oblivione erui cœptæ sunt, et a quibusdam Ictis ad gubernandas civitates admotis adhiberi in praxi. Sed iis restitit Alexander III. uti patet ex cit. c. *Cum esset.* Fiebant tum testamenta hac maxime forma in Decretali indicata, tum aliis fortasse modis in foro receptis, et deferebantur tum ad Judices laicos, tum Ecclesiasticos, idque justissimis de causis (*m*). Dein adversarii, qui testes pro solemnitate requirunt, ipsi fatentur, præsentiam proprii presbyteri, id est, Parochi extra specialia locorum statuta, ad solemnitatem non requiri, nec opus esse, ut talia testamenta præcise in ultimo morbo fuerint confecta, de quo agere videtur cit. capitulum. Si ergo ista non præscribuntur ad solemnitatem, et formam substantialem; cur soli testes sic requiruntur?

(*l*) Alienum a divina lege dicitur, adhibere plures, quam duos, tresve testes, eo nempe sensu, quo servitus dicitur contraria juri naturæ, negative scilicet, seu non consentanea primigenio naturæ statui. Ceterum agnovit idem Alexander III. in c. 23. de testib. posse in aliquibus causis plures exigi testes, quam duos, tresve. Hæc testandi forma minime nova tum fuit, sed generali Ecclesiæ consuetudine jam recepta; nec ea dici potest correctoria Juris Romani, quod tum nondum restitutum, invectumque fuerat. Leges posteriores, per quas inducebatur solemnitas Romani Juris (ceu Constitutio Maximiliani I.) corrigi non poterant: cum necdum extiterint. Ex his nonnullorum cavillationes con-

tra hanc decretalem retundes. Conf. Melch. Canus Loc. Theol. l. 6. c. 8.

(*m*) De Judicibus laicis id patet ex c. 11. h. t. dato ad Judices Velletrenses; et ex hac ipsa decretali integra, qua testamenta absque septem testibus facta dicuntur rescindi ab his, qui *potestatem habent super alios*, qui indubie fuerunt Laici, more Italico indicati per vocem Podestà. De Judicibus ecclesiasticis id colligitur ex c. Raynutius. 16. et c. Raynuldus. 18. h. t. Dein poterant, atque solebant olim adiri ecclesiastica tribunalia iu causis etiam mere profanis, uti indicavi lib. II. Decr. §. 23. In testamentis, quibus pia legata erant adjecta, debebat Episcopus curam gerere, ut darentur executioni. Seculis XII. et posteriobus Ecclesia suam auctoritatem ad tutandas ultimas voluntates et jura agnatorum interposuit contra grassationes hominum nefariorum in res a defunctis relictas, uti patet ex Conciliis particularibus eorum temporum. Denique sapienter animadvertit Thomassinus P. 3. l. 1. c. 24. n. IV. ,, Nusquam tam opportuna, adeoque necessaria Pastoris, Parentisque spiritualis præsentia, consilium, cura, quam extremo illo in discrimine, ubi statuendum est de rationibus æterno Judici mox reddendis, ubi aliena restitui, ubi debita solvi, ubi largis eleemosynis peccata redimi, ubi de exequiarum summa decerni necesse est. ,,

§. 290. II. De forma testandi canonica superest quæstio, quis eadem uti possit decidendum est *primo*. Etsi Alexander III. in cit. c. *Cum esses*. non de statu solum Pontificio, nec de solis Clericis videatur locutus, sed universe noluerit testamenta fidelium ad solemnitates Juris Romani adstringi; tamen posteriores leges profanæ et consuetudines, nempe in re profana et inter Laicos, multa immutarunt aliis locis aliter atque aliter. Testamenta ergo rite facta secundum consuetudinem singulorum locorum valent, et pro validis passim agnoscuntur etiam pro locis, ubi diversæ solemnitates sunt receptæ (*n*).

Secundo. De testamentis Clericorum in Germania, videndum est, utrum leges civiles in curiis Episcoporum, ad quas deferuntur, receptæ sint. *Tertio.* In multis diœcesibus opus est, ut ea ad Ordinarium mittantur pro confirmatione. Quo facto aliis solemnitatibus opus non est; cum talia testamenta censeantur fieri ad Acta (*o*). *Quarto.* Si Religiosus testandi facultatem obtinet, ejus testamentum haud dubie foro Ecclesiastico subjacet; cujus proin leges observandæ sunt. De Novitio Religionis, qui in favorabilibus pro Religioso habetur, dispiciendum est, quorsum ejus testamentum sit deferendum. Universe quia superflua non nocent, præstat solemne facere testamentum, nisi de recepto more satis constet.

(*n*) Joan. a Sande in theatro Practicantium l. IV. tit. 1. def. 14.

(*o*) In Decretis Synodalibus Diæcesis Augustanæ p. 3. c. 18. n. 2. statuitur: *Nulla per Clericos de bonis Ecclesiæ nomine acquisitis facta testamenta valida sunt, nisi prius juxta sacrorum Canonum præscriptum a Nobis examinata confirmentur.* Hoc ergo pertinet ad Clericos, qui beneficium aliquando habuerunt, aut in eo decedunt.

§. 291. *Testamenta privilegiata* dicuntur, quæ paucioribus vel nullis egent solemnitatibus *externis*; nam formam *internam* omnino exigunt (§. 279.) Privilegium enim situm est in exceptione a norma communi. Quamdiu hæc exceptio non ostenditur, inhærendum est communi normæ et regulæ. Ratio Privilegiorum hac in re est 1. favor ipsius dispositionis, si fit ad causam piam. 2. Pietas et reverentia parentibus debita. 3. Dignitas Principis, cui testamentum offertur: auctoritas et præsentia Judicis, si testa-

mentum fit ad Acta, vel apud Acta. 4. Favor militiæ. 5. Conditio testantium, vel loci et adjunctorum, uti siquis ruri testetur, aut tempore pestis. Privilegiatum igitur est testamentum *ad causas pias*; *Parentum inter liberos*; *Publicum*, quod coram Principe aut Magistratu conditum, ipsisve oblatum est; *militare* factum *Ruri*, aut *tempore pestis.* De his agitur in Jure civili, in Inst. tit. *de militaritestamento.*

§. 292. Testamentum *Pium*, *vel ad causas pias* non illud est, in quo pia legata relinquuntur; secus omnia prope Catholicorum testamenta essent pia: nec quod fit a Clerico; etsi omnia Clericorum testamenta, si fiunt de bonis per Ecclesiam acquisitis, pia esse deberent: sed in quo heres instituitur causa pia, sive testator sit Clericus, sive laicus (*p*). De hoc testamento deciditur: I. Ad ejus vim et valorem satis est, si de voluntate testatoris constet, c. 11. h. t. non ergo poscit solemnitates Jure civili præscriptas, modo *omni alia* (quavis alia) *juris ratione munitum sit.* l. 13. C. de SS. Eccl. II. Quia probata quocunque modo testatoris voluntate testamentum habetur pro valido, et legitimo, etiam legata profana eidem inserta subsistunt firma. III. Si causa pia coheredem habeat profanum, necessariæ sunt solemnitates ad causam profanam alias requisitæ. Secus causa profana habetur pro non scripta: neque tamen pars ei relicta videtur accrescere causæ piæ, quia in testamento pio non valet regula, quod nemo partim testatus, partim intestatus possit decedere. arg. l. 1. et l. 13. C. de SS. Eccl. IV. Uti hoc testamentum fieri potest nuda voluntate absque solemnitate; sic et resolvi. arg. l. 15. §. 1. D. de testamento militis. V. Si scriptura

adhibetur, ad probandam voluntatem testatoris expedit adhibere testes pro casu diffessionis: testes autem ad probationem tantum, non solemnitatem habiles requiruntur. Testimonium solius parochi aut confessarii dicitur facere probationem semiplenam, et locum dare juramento suppletorio. VI. Si in tali scriptura non fit mentio *heredis institutionis*, vel alterius æquivalentis expressionis ea censetur codicillus ob clausulam codicillarem saltem tacite intellectam.

(p) Quæ sit causa pia, exemplis et communi persuasione declarari magis, quam generali notione definiri solet. Ad eam refertur locus pius, communitas pia, persona ex motivo virtutis instituta, ceu ratione paupertatis, non solius propinquitatis. Quod episcopis post obtentum Episcopatum relinquitur, præsumitur potius Ecclesiae relictum, quam personae. De qua re subtilem expositionem facit Innocentius III. c. 15. h. t. Novell. 131. c. 13. Sine dubio ad causas pias pertinent ea, *quæ Deo relinquuntur.* l. 1. §. 5. D. ad leg. falcid. aut *siquis ex asse scripserit Dominum Nostrum Jesum Christum heredem.* l 26. C. de SS. Eccl. ac talia pertinere censentur ad Ecclesiam parochialem, cui quis tempore mortis insertus erat. cit. l. 26. C. Nov. 131. c. 9. Item siquis Sanctos vel Angelos instituerit. cit. locis: ibi *Siquis unius ex Archangelis meminerit vel venerandorum Martyrum.-Siquis unum Sanctorum heredem etc.* Siquis instituerit clerum, Ecclesias, capellas, caemeterium, alia loca pia et religiosa, monasteria masculorum aut virginum, hospitalia, orphanotrophia, leprosaria. l. 15. 19. 22. 25. C. de SS. Eccl. denique ad institutiones pias referuntur, quae fiunt pro causis publicis et honestis ceu pro informatione juventutis, accademiis, operibus publicis, pontibus, viis, multoque magis pro solatio spirituali animae.

§. 293. Post expositas testamentorum formas *externas* agendum est de formis et requisitis *internis.* §. 279. Primo omnium inquirenda est *testabilitas activa.* l. 4. D. qui testam.

facere possint vel non. Deficiente jure et facultate testandi ne privilegiatum quidem testamentum valet. Ea facultas adimi potest natura, lege, actu inter vivos (nostris saltem moribus), non autem per actum mortis causa, qui natura sua semper mutabilis est, et facultatem aliter disponendi relinquit salvam §. 276. Jus autem et habilitas testandi requiritur pro tempore conditi testamenti et mortis simul, et copulative. Testamentum ab inhabili conditum non valet, etsi decedat habilis. Siquis tempore conditi testamenti fuit habilis, et reddatur inhabilis, ob vitium superveniens *salvo statu* patrisfamilias, e g. ob furorem, prodigalitatem etc., testamentum non fit irritum. l. 1. §. 9. D. de bonorum possess.secund. tab. Aliud est, si inhabilis fiat mutato statu libertatis, civitatis etc. A jure faciendi, aut non faciendi testamentum ducitur argumentum ad alias species ultimarum voluntatum. l. 6. §. 3. D. de jure codicillor. ibi: *Codicillos is demum facere potest, qui et testamentum facere.* Adde l. 8. §. 2. ib. (*q*). Quia secundum Jus Romanum testari non potest, nisi paterfamilias, idcirco filius f. nunquam poterit, nisi de bonis castrensibus et quasi castrensibus. Nihilominus ex l. 25. §. 1. D. de mort. caus.donat. *mortis causa donare patre permittente potest*, nempe de peculio adventitio. Similiter Religioso, qui sine privilegio testari non potest, *Prælato* permittente permittitur donare mortis causa; quo nempe modo donare potest per actum inter vivos.

(*q*) De casu, quo inhabilitas testandi ex Jure communi provenit, id dubium non est. At quia statuta particularia strictae interpretationis sunt, putant, si vi statuti ad testamentum condendum aetas 18. an. requiritur, id non obesse, quo minus adolescens factus pu-

bes codicillum faciat. Harpprecht ad Inst. tit. de codicill. n. 39. Putant nonnulli, inhabilitatem testatoris, quae a legibus civilibus provenit, non attendendam esse, si testamenta vel legata in favorem causae piae conceptae sint. Zech. de Testam. §. 470.

§. 294. Jus et facultas testandi regulariter omnibus competit, quibus natura, lex et conventio inter vivos non obstat. Natura obstat in mente captis et furiosis. Lex obstat ob *defectum integri status* in servis, damnatis ad mortem, deportatis filiisfamilias quoad bona profectitia et adventitia: ob *defectum animi* in infantibus, impuberibus, licet auctoritas tutoris accesserit; Prodigos *declaratos* leges æquiparant furiosis. *Ob defectum morum et famæ* intestabiles sunt Rei criminis læsæ Majestatis, Hæretici, et omnes, quibus a lege fides testimonii ferendi ademta est. l. 26. D. qui testam. fac. poss. *Jure Canonico* prohibentur usurarii manifesti, nisi præstita satisfactione. c. fin. de usuris in 6. Excommunicati propter hæresim. c. 13. de Hæret. Percussor Cardinalis. c. 5. de pœnis in 6.

§. 295. De Clericorum testamentis et testandi jure SS. Canones decisiones præbent has: I. De bonis patrimonialibus, et titulo profano acquisitis liberum disponendi jus habent, uti inter vivos, ita mortis causa. II. De bonis acquisitis per Ecclesiam olim ne pias quidem ad causas testari poterant, etsi per actum inter vivos potuerint, atque etiam debuerint in pias causas erogare id, quod a sua sustentatione reliquum habebant. Sapienter id observatum, ut nempe præcluderetur occasio thesaurizandi in vita. Præstat largiri, quando retinere possis; quam deserere bona, cum te deserunt. Decisio constat

ex c. 1. 7. 9. 12. h. t. Auth. *licentiam* ad l. 34. et l. 42. §. 2. C. de Episc. et Cler. (*r*). III. Consuetudine *non improbanda* sæculo XII. inductum fuit, ut Clerici ex bonis per Ecclesiam acquisitis aliquid conferant *pauperibus et religiosis locis*, *qui viventi servierant*, *sive consanguinei sint*, *sive alii*, *juxta servitii meritum*. Sic decidit Alexander III. c. 8. et 12. IV. Ob deprædationes bonorum a Clericis relictorum paulatim consuetudo invaluit; ut testari permitterentur, nempe *ad pias* causas; de quo ut constaret, decretum fuit, ut testamenta confirmarentur ab Episcopo, aut facultas testandi certa pecuniæ summa redimeretur; ut de quadam saltem portione recte impensa haberetur certitudo. V. Privilegium ad causas *profanas* testandi certis personis et locis juste dari potest. §. 272. At consuetudo rationabilis profane dissipandi res Dei, nec est aliqua, nec fingi potest. Si contrariæ corruptelæ quorundam locorum, aut Clericorum non se opponat Ecclesia, id fit 1. odio litium; 2. quia nec constat, quæ bona consanguineis relinquantur, titulo profano, an sacro quæsita; nec utrum iis relinquantur, uti pauperibus, an alia reprobata ex causa; quod non præsumitur. Si justa causa non subest, nec Clericus bona relinquens a peccato injustitiæ immunis est, nec heredes ea bona accipientes liberi sunt ab obligatione, eadem insumendi ad cultum divinum, alendos pauperes, aliosque pios usus.

(*r*) In dubio, cujusmodi sint bona, praesumitur, ea profecta esse ab Ecclesia, si nihil habens promotus fuit, aut siquid Clerico donatum, relictumve fuerit ab extraneo. c. 1. de pecul. cler. c. 1. et 15. h. t. Donata vel relicta a propinquo, censentur personae, non Ecclesiae data. cit. c. 15. Ceterum dicta praesumtio admittit

probationem in contrarium. can. *Sint manifestæ.* 21. XII. q. 1. ibi: *ea, quæ Episcopi esse probantur.* Ex hac veteri disciplina Canonum, qua Clerici ne ad pias quidem causas jus testandi habebant, recte infert Laymannus in Theol. mor. l. 4. tr. 2. c. 5. n. 6. eos justitiae lege fuisse obligatos, ut, quod in suam sustentationem non impenderant, in pias causas erogarent. Nemo, inquit, prohibetur testari de bonis, quae jure absoluto, et sine ullo annexo onere ad ipsum spectant. l. 1. C. de SS. Eccl. Mutata administrationis ratio, aut concessa testandi facultas naturam bonorum, et obligationes Clericorum immutare non potuit; quia S. Concilium Tridentinum, cum ea consuetudo jam tum invaluisset, ad pristinam bonorum indolem, et antiquos Canones provocant, et consanguineis non aliter, nisi *ut pauperibus*, quidquam ex iis impertiri permittit. Sess. XXV. c. 1. de ref. Siquis motivum gratitudinis erga consanguineos velit obtendere, in memoriam, quæso, revocet verba Concilii Lateran. quæ extant c. 7. h. t. ibi: *Cum in officiis caritatis primo loco illis teneamur obnoxii, a quibus beneficium nos cognoscimus recepisse, econtra quidam Clerici, cum ab Ecclesiis suis multa beneficia perceperint, bona per eas acquisita in alios transferre præsumunt.*

§. 296. De *Religiosis* utriusque sexus, etiam promotis ad Prælaturas Imperiales, aut Equitibus, aliisve ad Episcopatum promotis, anne et quale testandi jus habeant, nunc explicandum est. Decisiones referuntur ad professionem (*s*), ac quæritur *primo* quid juris sit *ante illam*, si fecerint, aut non fecerint testamentum. *Secundo* quid juris sit *post illam*, utrum nempe testamentum facere, factum mutare queant; quæque sunt alia istius generis.

(*s*) Substantia Ordinis religiosi in tribus votis sita est, emissis in Religione approbata per Sedem Apostolicam in vim Ordinis et status Religiosi. Paupertas generatim in abdicatione quapiam juris circa bona temporalia consistit, variosque habet gradus, quemadmodum ipsum jus hominum circa bona temporalia suos gradus habet

et effectus varios, uti animadverti lib. 2. Decret. §. 149. in fin. Ii gradus paupertatis ex singularibus constitutioneibus Ordinarum Religiosorum, et approbatione Ecclesiæ pendent Arctior fit paupertatis professio, de quae agitur hoc loco, per professionem.

§. 297. *Decisiones de jure testandi ante professionem.* I. Quia habitus non facit monachum, Novitius de bonis suis ante professionem libere disponit mortis causa (*t*), et quamvis possit in favorem monasterii disponere, salvo officio in liberos; siquos habet; non tamen tenetur. Nov. 76. c. 1. II. Per professionem non rumpitur testamentum antea factum legitime, quasi per agnationem posthumi, aut mutationem status, vel ex præsumta voluntate testatoris. Auth. *Nunc autem.* ad l. 20. C. de Episc. et Cler. ibi: *Si prius testatus non sit.* Pellizar. Manual. Regular. T. 1. tr. 3. c. 4. n. 55. III. De testamento ante professionem facto quæri potest, utrum hereditas ex eo debeatur heredi, et legata legatariis mox post professionem testatoris, an exspectanda sit mors ejus naturalis? R. Observanda est voluntas testatoris adcurate, si de ea constet. Si hæc manet dubia, Religio, quæ possidere bona in communi potest, iis potietur usque ad mortem naturalem testatoris. Si vero monasterium succedendi incapax est, hereditas ac legata mox debentur a die professionis (*u*).

(*t*) Nam dispositio mortis causa est mutabilis natura sua; ac S. Concilium Trid. Sess. XXV. c. 16. de Regul. Novitiis ante professionem duntaxat prohibuit renuntiationem bonorum aliosque actus irrevocabiles, per quos libertas e tirocinio egrediendi tolli vel restringi possit. De forma testamenti, quod a Novitio conditur, confer §. 290. in fin.

(*u*) Engel lib. 3. tit. 31. §. 3. n. 31. seq. Ant. de Gama decis. 316. n. 6. Zech. de Testam. §. 460. Addunt

Doctores, si heres vel legatarius in tali testamento scriptus, decedat ante mortem naturalem testatoris professi, hereditatem aut legatum fieri caducum, et apud monasterium permanere.

§. 298. IV. Si Novitius ante professionem de bonis suis nullam faciat dispositionem, nec inter vivos (quæ per ipsam professionem dein convalescit. Conc. Trid. Sess. XXV. c. 16. de Regul.), nec mortis causa, omnia bona et jura transfert in monasterium, siquidem id successionis sit capax, et professus liberos non habeat. Id liquet ex utroque Jure. Nov. 123. c. 38. et auth. *Siqua mulier* ad l. 13. C. de SS. Eccl. Nov. 5. c. 5. Auth. *Nunc autem.* ad l. 20. C. de Episc. et Cler. c. 2. h. t. can. *Quia.* 7. XIX. q. 3. Si Profitens liberos habeat, eis debetur legitima (*x*).

(*x*) Si ingressus religionem (vi professionis editae: hoc enim est religionem ingredi in sensu juris) habuerit Majoratum; an monasterium usque ad mortem ejus naturalem, gaudeat usufructu, examinat Bidacus Spino. Specul. testam. Gloss. 12. n. 52. seq. conf. Zech. de Testam. §. 460. De feudo dictum est supra §. 223. in not.

§. 299. *Decisiones de jure testandi post professionem.* I. Præscindendo a licentia summi Pontificis Religiosus post editam professionem testari non potest; quia sui juris jam non est, nec velle et nolle habet, atque etiam per ipsam professionem in monasterium transfert ea, de quibus ante non disposuerat, ut patet ex cit. loc. §. præc. Hæc ratio excludit omnem reservationem juris testandi, quando quis profitetur: excludit etiam jus testandi ad causas pias: jus revocandi testamentum antea factum. Brunnemann ad Auth. *Siqua mulier.* C. de SS. Eccl. n. 8. Zech. de testam. §. 461. quia eadem potestas requiritur pro actu

dissolvendo, quæ pro constituendo. Multo etiam minus jus testandi recuperatur per desertionem religionis, fugam, aut apostasiam; qua tolli non potest jus monasterio quæsitum in bonis sui Professi. Religiosus ad Episcopatum promotus quidquid acquirit, id acquirit Ecclesiæ suæ, sola retenta libera administratione. can. un.XVIII. q. 1. Hæc administratio morte finitur. II. Permittitur tamen post professionem *primo* donare mortis causa cum licentia Prælati §.293. in fin. *Secundo* declarare testamentum ante professionem factum. *Nihil enim nunc dat, sed datum significat.* l. 21. §. 1. D. qui testam. fac. poss. *Tertio* dividere inter liberos potest, et in favorem etiam monasterii sui disponere; quod singulare privilegium cit. Auth. *Siqua mulier.* C. de SS. Eccl. saltem tacite approbatum censetur a Summis Pontificibus. Molina de J. et J. tr. 2. disp. 141. n. 4. Lessius l. 2. de Just. c. 41. n.82.

§. 300. Contra hoc jus commune facultas testandi Professis concedi potest a Summo Pontifice, salvo ceteroquin voto paupertatis; haud secus, ac a Prælato Religioso eisdem concedi potest usus, consumtio, et alienatio quarundam rerum illæso voto (*y*). Talis concessio utique extendi non potest ad revocationem testamenti *ante professionem* facti, per quod haeredi aut legatario jus quæsitum jam est; recte tamen extenditur ad revocandum, vel mutandum testamentum post concessionem conditum; quia facultas data est ad actum natura sua revocabilem, et data intelligitur conformiter naturæ ipsius actus concessi: neque unico actu finitur. conf. Bellizar. Man. Reg. T. I. tr. 4. c. d. n. 368.

(*y*) Equitibus Religiosis facultatem testandi concedit Magnus Ordinis Magister.

§. 301. Active testabiles, de quibus egi hactenus, in Jure dicuntur *testamenti factionem habere*. At si leges dicant, *cum* Titio est testamenti factio, indicare, volunt, Titium esse *passive* testabilem, id est, capacem, ut ex testamento sibi vel aliis acquirat, licet facere non possit testamentum; cujusmodi est furiosus, mutus, posthumus, infans, filiusfamilias. §. 4. Inst. de her. qual. et diff. Non valet ergo argumentum a passiva testabilitate ad activam. De hac capacitate capiendi ex alieno testamento nota I. Magna est inter *indignos*, et *incapaces* differentia. Indignitas oritur ex delicto contra testatorem, ejusve ultimam voluntatem patrato. Si indignus instituitur, regulariter suceedit fiscus (*z*). Si incapax, qui coheredem non habet, res devolvitur ad causam intestati. II. Capacitas instituti, si *pura* est institutio, spectatur pro tempore facti testamenti, et mortis testatoris copulative. Siqua medio tempore facta est mutatio juris, non nocet. Tempus autem adeundæ hereditatis segregari non debet a tempore mortis, ad quod aditio retrotrahitur; nam si capax post mortem testatoris ante aditam hereditatem fiat incapax, adire dein hereditatem non potest. In *conditionali* institutione præter tempus conditi testamenti et mortis inspicitur etiam existentia conditionis. Qui enim tempore testamenti et mortis capax est, existente autem conditione incapax, capere non potest. Mutatio autem inter bina tempora intermedia, nempe inter testamentum, et mortem, inter mortem, et eventum conditionis non nocet. cit. §. 4. Inst. de her. qual. et diff. et ibi Vinnius in commentario. III. Per clausulam codicillarem, aut fideicommissum non juvatur incapax; at ex *benevolentia*, id est, privilegio juris institui po-

test conditionate, et in eventum, quod capax erit. l. in tempus. 62. D. de hered. instituendis.

(z) Tit. Dig. *de His, quæ ut indignis auferuntur.* In Cod. *de His, quibus etc. ut indignis hereditas aufertur.* Bona ejusmodi indignis ablata vocantur *Ereptitia.*

§. 302. *Tanquam incapaces* a capienda hereditate vel legato excluduntur Hæretici, Apostatæ a fide Christiana, banniti, damnati ad ultimum supplicium, liberi reorum criminis læsæ Majestatis, collegia illicita, communitates Judæorum, conventus Fratrum minorum de observantia, et PP. Capuccinorum ob speciales Ordinis constitutiones. Aliæ enim domus Religiosæ bonorum etiam in communi non capaces scribi heredes possunt, sic tamen, ut si immobilia iis relinquantur, ea vendere debeant, et pretium in usus necessarios convertere. Liberi naturales incapaces sunt hereditariæ institutionis respectu patris ultra unciam, quando extat proles legittima: nati ex damnato coitu incapaces sunt respectu utriusque parentis (*aa*).

(*aa*) Conf. titulos Inst. Dig. Cod. *de heredibus instituendis.* Huc referri potest Jus Albinagii, et Gabella hereditaria, quae in quibusdam Provinciis detrahitur hereditati alio transportandae; denique et lex amortizationis.

§. 303. Præter testabilitatem activam et passivam ad internam testamenti formam pertinet *institutio heredis* (§. 277. 279.), quæ fundamentum et basis est cujusvis testamenti, etiam privilegiati. Fieri ea debet declaratione propriæ voluntatis, nec in alienum arbitrium potest conjici (*bb*). Ceterum verborum solemnitate opus

non est. Satis est, siquis dicat, scribatve: *Lucius heres esto.* Si plura alia admisceantur, nullus requiritur scripturæ vel nuncupationis ordo; dummodo alicubi exprimatur aut nomen heredis, aut institutionis, vel successionis in universum jus testatoris, ne testator relictis tantum legatis videatur intestatus voluisse decedere.

(*bb*) L. 32. D. de hered. instit. ibi: „ Illa institutio, „ *quos Titius voluerit*, ideo vitiosa est, quod alieno „ arbitrio permissa est. Nam satis constanter veteres „ decreverunt, testamentorum jura ipsa per se firma „ esse oportere, non ex alieno arbitrio pendere. „ Difficultatem facessit in Jure sacro c. 13. h. t. ibi: „ Qui „ extremam voluntatem in alterius dispositionem com- „ mittit, non videtur decedere intestatus. „ Sed haec decisio restringenda est non tantum ad solos clericos, de quibus ibi est sermo, sed etiam ad singularem casum, quo Episcopo odiosum privilegium concessum fuerat succedendi Clericis intestato decedentibus; quod ita restringitur, ut Clericus, qui ultimam voluntatem suam alieno commiserat arbitrio, non censeretur intestatus obiisse.

§. 304. Institutio heredis refertur ad successionem universalem, sive juris, aut in jus universum defuncti, etsi plures sint heredes. Hereditas ipsa, utcunque tenuis sit, comprehendit omnia jura defuncti; commoda et incommoda. Nemo enim partim testatus, partim intestatus potest decedere; quæ est Romani, non naturalis juris definitio. §. 5. Inst. de hered. inst. l. 7. D. de R. J. Hinc ut *individuitas hæreditatis*, *et voluntas testatoris* conservaretur, introductum est *jus accrescendi*, vi cujus, si *unus tantum est heres*, isque in minima portione aut etiam re certe institutus, totam tamen capit hereditatem: si vero plures sint instituti, portio unius deficiens aliis accrescit etiam igno-

rantibus et invitis. l. 31. l. 53. D. de acquir. vel. omittit. hered.

§. 305. *Voluntaria* dicitur instiutio illorum, quos pro libitu instituere quis potest, aut non instituere: *Necessaria* eorum, qui aut justa ex causa, debitaque forma exheredandi sunt, aut instituendi in portione saltem *legitima*, nullo onere gravata, et honorabili titulo heredum. Ejusmodi necessarii heredes Jure hodierno sunt I. liberi legitimi, horumque præmortuorum descendentes, etiam posthumi, et emancipati: filii autem naturales respectu matris tantum. II. Deficientibus liberis parentes, et his deficientibus alii ascendentes gradu propinquiores. III. Germani, et consanguinei fratres et sorores, eo casu, quo ipsis præfertur persona turpis. *Legitima* pro numero personarum, quæ institui debent, si sunt quatuor, aut pauciores, est *triens*: si quinque vel plures, *semis* (cc).

(cc) De *exheredatione* agitur in Inst. l. 2. tit. 13. In Dig. l. 28. tit. 2. In Cod. l. 6. tit. 28. et 29. Novell. 115. c. 3. Similiter extant speciales tituli de *conditionibus institutionum* in Digestis tit. 7. libr. 28. In Cod. tit. 25. libr. 6.

§. 306. Ad hereditatem venitur per gradus. Hereditas viventis nulla est. Ob heredes tamen præsumtivos ratione propinquitatis, aut facti jam testamenti, ea vivo testatore dicitur *futura*. Post ejus mortem, qua confirmatur institutio, censetur *delata*. Nam *delata hereditas intelligitur, quam quis possit adeundo consequi.* l. 151. D. de V. S. defertur igitur hereditas per jus illam adeundi, non per ipsam aditionem. *Aditio* vel *pro herede gestio* sita est in declaratione facta verbis,

aut factis, quod quis velit esse heres. Hæc fieri non debet, nec solet, nisi instituto constet de commodis et incommodis seu oneribus hereditatis. Tempore inter delatam et aditam hereditatem medio, ea dicitur *jacens*; demum fit *adita*; ac tum proprie cessat esse hereditas, utpote transfusa in patrimonium heredis, sic ut eam ad suos heredes transmittat, etsi possessionem actu et corporaliter non ceperit. Hereditas autem non adita non transmittitur, nisi a liberis. l. un. C. de his, qui ante apert. tab. Quia tamen heres per aditionem una persona fieri cum defuncto censetur, sic ut omnibus istius creditoribus obligetur; idcirco ne plus oneris quam commodi habeat, duplex habet beneficium a Jure concessum, nempe *jus deliberandi*, et *confectionem inventarii*, quo rite facto ultra vires hereditatis non tenetur. l. ult. §. 4. C. de jure deliberandi. et falcidiam deducit, et servat id, quod a defuncto ipsi debetur, cit. l. ult. (*dd*).

(*dd*) Agnitio ultimæ voluntatis, quæ pariter fit verbis aut factis, latius patet, quam aditio hereditatis: extenditur etiam ad legata, aliasque voluntates ultimas, etsi in solemnitate deficiant. l. 2. *C.* de Fideicommiss. ibi: *Si Fideicommissum inutiliter relictum sit*, et l. 16. C. de Testament. *Etsi voluntas defuncti legibus non sit subnixa, tamen si sua sponte agnoverit, implendi eam necessitatem habeat.*

§. 307. Est igitur hic velut chronologicus ordo causæ cujusvis testamentariæ. I. *Ultima voluntas* fit per mortem, eaque hæredi defertur hereditas. Nam ut inquit Paulus Hebr. IX. 16. *Ubi testamentum est, mors intercedat necesse est testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est; alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est.* II. Fit plerumque obsignatio bo-

norum defuncti, ne distrahantur: nonnunquam etiam privata inspectio aut reservatio testamenti, ut appareat, quid testator disposuerit circa funeralia aut executionem. Clauduntur tamen iterum tabulæ inspectæ pro solemni futura publicatione. III. Post celebrata omnia officia funebria vocatis iis, quorum interest, exhibetur originale testamentum, prælegitur, et juste petentibus communicatur copia, relicto spatio heredibus adeundi hereditatem, et aliis, si velint, impugnandi (*ee*). IV. Facta reseratione conficitur inventarium, si heredes velint, aut absentes velle credantur. V. Sequitur aditio hereditatis, vel *repudiatio*, siquis hereditatem jam delatam rejiciat, seu non admittat (*ff*). A repudiatione differt *Renuntiatio* hereditatis, quæ est cessio vel remissio juris, quod quis ad hereditatem habet, vel habere potest. Nam etiam spes ad jus futurum in pactum deduci valet. Talis renuntiatio circa hereditatem viventis facta in favorem alterius non valet Jure Romano. l. fin. C. de Pactis. At valet Jure Canonico, si juramento firmata est. c. 2. de Pact. in 6. De pactis successoriis in Germania conf. Leyser. Vol. I. Spec. 43. seq. VI. Demum si nihil obstat, fit *Executio testamenti*, quæ ratione *objecti* est universalis vel particularis, uti ea hereditatem respicit, vel legatum: *a modo constituendi* vocatur perinde ut tutela, *testamentaria*, *legitima*, *dativa*, id est, demandata a Judice, vel *pactitia* ex pacto inter executorem et defunctum, vel inter executorem, et heredem, eosve, quorum res agitur, inito. *Publice expedit, suprema hominum judicia exitum habere.* l. 5. D. Testamenta quemadm. aperiantur.

(*ee*) Publicatio testamenti censetur nuda ejus prælectio coram iis, quorum interest. Proprie autem publi-

catio intelligitur insinuatio testamenti apud Judicem, ad acta reponendi, ut reputetur pro instrumento publico l. 23. C. de testamentis. l. 2. eod. quemadm. testam. aperiantur.

(*ff*) Heres extraneus dicitur *adire* vel *repudiare* hereditatem: hæres suus *se immiscere*, vel ab ea *abstinere*. Dicitur *heres suus*, qui in potestate defuncti erat, nec tam fieri, quam ipso jure et immediate esse heres censetur; ut dominium rerum paternarum continuetur potius per ipsum, quam in ipsum transferatur. l. 11. D. de liberis et posthumis.

§. 308. De executione ultimarum voluntatum, cum nullus utrovis jure extet singularis titulus, sed disperse agatur locis variis, Jus sacrum decidit: I. *Si heredes jussa testatoris non adimpleverint, ab Episcopo loci illius omnis res, quæ eis relicta est, canonice interdicatur cum fructibus et ceteris emolumentis; ut vota defuncti adimpleantur.* c. 6. h. t. Maxima enim, uti supra animadverti, erat auctoritas Ecclesiæ circa quævis testamenta, tanquam pias causas, aut res mixti fori. II. Ad *pias* autem voluntates defunctorum exequendas etiam compellit executores, *etsi a testatoribus id contingeret interdici.* c. 17. et 19. h. t. III. Religiosus testamento executor datus non potest executionis officium suscipere, vel implere, *nisi a Superiore suo petita super hoc licentia et obtenta; cum velle vel nolle non habeat.* c. 2. h. t. in 6. IV. Pluribus executoribus datis, uno mortuo, vel in remotis agente, aut exequi nolente, alter officium executionis implet, *nisi testator aliud expresserit.* ib. V. A Religiosis etiam exemtis, etiamsi prælationis fungantur officio, de executionibus testamentorum rationem exigit Ordinarius loci; eosque, si circa id deliquerint, punit. VI. Voluntas ultima ad certas pias causas a

nemine, præterquam a Summo Pontifice in alios pios usus commutari potest. Clem. 2. de religiosis dom. can. *ultima*. 4. XIII. q. 2. et c. 3. h. t. ubi exprimitur jus commune, in quo regulariter solus Pontifex dispensat. Is autem hoc negotium plerumque Episcopis committit, qui secundum Concilium Trident. Sess. XXII. c. 6. de ref. *tanquam delegati Sedis Apostolicæ summarie et extrajudicialiter cognoscant, nihil in precibus tacita veritate, vel suggesta falsitate fuisse narratum, priusquam commutationes executioni demandentur.* Eadem Synodus facultatem dat Episcopis et Ordinum Generalibus restringendi numerum Missarum in certis circumstantiis (gg). Circa ejusmodi commutationes eadem videtur esse ratio *novæ* dispositionis, et *antiquæ* fundationis piæ.

(gg) Addit P. Zech. de Testament. §. 488. : Sed neque istud hodie deberet fieri inconsulto Romano Pontifice, post Decretum Urbani VIII. an. 1625. editum. Bullar. Cherub. Tom. 4. const. 45.

§. 309. Ad executionem refertur adcurata divisio hereditatis inter heredes plures secundum præscriptum testatoris; de quo notandum: I. Romani totam hereditatis massam exprimebant nomine *assis*; unde dicitur *heres ex asse.* Hunc assem dividebant in uncias duodecim. Pars igitur duodecima hereditatia est *uncia*: duæ partes *sextans*: tres partes *quadrans*: quatuor partes *triens*, et sic deinceps *quincunx*, *semis*, *septunx*, *bes*, *dodrans*, *dextans*, *deunx*, *as*. II. Qui in aliqua, vel aliquibus ejusmodi partibus relatis ad totam herditatem est institutus, dicitur institutus in *certa quota*; qui in re singulari, vel certo numero pecuniarum e. g. in 1000. florenis, dicitur institutus *in certa parte*, et si coheredem habeat, ha-

betur pro legatario : si non habet, totam hereditatem capit jure accrescendi. III. Si plures heredes simpliciter, sine denominatione quotæ, vel certæ partis instituti sunt, capiunt partes æquales. l. 9. §. 12. D. de hered. instit. nisi aliqui conjunctim nominati sint, alii disjunctim. Conjuncti enim habentur pro una persona, nisi testator declaret, se velle, ut *æque* heredes sint. l. 11. l. 13. l. 59. §. 2. ib. IV. Testator facere potest partes, quot velit, nempe pauciores quam duodecim l. 13. §. 3. ibi : *Si alter ex quadrante, alter ex semisse heredes scripti sunt; qui accedit quadrans, pro partibus hereditariis eis accrescit*, id est, dividitur in ratione 1 ad 2. Si plures sint instituti in re certa : et alii simpliciter aut in certa quota instituti capere non possint, aut non velint, id prioribus accrescit non pro rata, sed in partes æquales; ac res certa habetur tanquam prælegata. V. Si testator plures, quam 12 uncias faciat, fit successio ex dupondio, aut tripondio, aut si nullus adest simpliciter iustitutus, tot fiunt partes æquales, quot testator designarit (*hh*).

(*hh*) Singularis decisio de dividenda rite hereditate extat l. *Si ita.* 13. D. de liberis et posth. hered. Solutionem generalem istiusmodi casus ope arithmeticæ universalis dedi in Commentariolo de usu et systematica deductione Jur. Naturalis, Positione ultima.

§. 310. Executioni testamentorum obstat infirmatio eorundem, de qua agitur in Digestis tit. *de injusto, rupto, irrito facto testamento.* In Instit. *quibus modis testamenta infirmantur.* Præcipua doctrinæ hæc sunt capita. I. *Nullum* dicitur testamentum, quod ab initio non subsistit ob defectum solemnitatis internæ e. g. inhabilitatem testatoris, aut ob defectum in heredis institutione,

e. g. si liberi sui nati sint præteriti. l. 1. D. de injusto, rupto. II. *Injustum* dicitur, quod itidem ab initio non subsistit, quia non jure factum est, ob omissas nempe solemnitates externas. cit. l. 1. Ejusmodi testamenta nulla et injusta tota corruunt, ut ne legata quidem (exceptis piis) aliaque capita subsistant. l. 29. C. de Fideicommiss. Quatenus injusta valeant pro foro interno, aut ob clausulam codicillarem in foro etiam externo sustineantur, indicabo §. 327.

§. 311. III. Testamentum initio subsistens *rumpitur*, si in eodem statu manente testatore jus testamenti vitiatur, quod fit 1. per agnationem posthumi naturalem vel civilem. 2. Mutata testatoris voluntate. Ruptum etiam testamentum corruit, nisi beneficio Prætoris quibusdam casibus sustineatur.

§. 312. IV. *Irritum* fit testamentum, si testator statum civilem amittit, qui ad testamenti factionem necessarius est.

§. 313. V. *Destitutum* dicitur testamentum, ex quo heres non existit, sive nolit hereditatem adire, sive ob mortem vel deficientem conditionem non possit. His casibus res ad causam intestati redit. l. *Si nemo.* 181. D. de R. I.

§. 314. VI. *Rescinditur*, testamentum facto Judicis per *querèlam inofficiosi*, qua ii, qui institui debent, si præteriti aut nulla expressa, vel non probata causa exheredati sunt, testamentum impugnant tanquam contra officium pietatis factum. Durat hæc querela per quinquennium, nec transmittitur ad heredes, nisi jam instituta, aut

præparata sit ab eo, qui competit. Rescisso per eam testamento, omnia in eo disposita præter institutionem heredis firma manent. Aliquando ob præteritionem aut non rite factam exheredationem testamentum est *nullum*; ac tum corruit totum. Quapropter diversi casus probe distinguendi sunt ob Jus Romanum variis modis hac in re mutatum (*ii*).

(*ii*) Conf. Heineccii Elementa Juris civ. secundum ordinem Institutionum, limata et polita a Lud. Jul. Hæpfner, qui jus novum circa præteritionem singulari tabula adumbravit, adjecta ad tit. 18. l. 2. de inofficioso testamento.

§. 315. Exposita testamentorum causa de reliquis ultimæ voluntatis formis agendum est. Auctores passim ita statuunt: Quævis ultima voluntas exceptis testamentis quinque testes postulat. l. 8. §. 3. C. de Codicillis. Animadverti autem supra §. 277. duplicem esse *actum*, quo disponitur mortis causa, 1. si directe heres instituitur: 2. siextra directi heredis institutionem quævis alia fit dispositio. Primo casu vocatur testamentum, cui præter directi heredis institutionem alia capita possunt adjici. Secundo est codicillus, qui fit tum *ab intestato*; quo casu semper est principalis: tum *ad testamentum*, duplici modo, ut nempe in testamento de eo fiat mentio saltem generalis, ac per hoc codicillus præteritus aut futurus confirmetur, et vi testamenti tanquam ejusdem pars sine omni propria solemnitate subsistat: vel ut sine hac mentione codicillus quinque testibus eorumque subscriptione munitus, rite fiat. *Clausula codicillaris* est, qua is, qui testamentum condit, expresse, vel tacite quoquo mo-

do declarat, se velle, ut si testamentum non valeret in vim testamenti, id valeat in vim codicilli, aut modo, quo valere potest, meliore. Exemplum extat l. 88. §. ult. D. de legat. 2. Per hanc clausulam testamentum reducitur ad causam intestati, et fideicommissi; ac heres ab intestato censetur rogatus, ut hereditatem restituat heredi scripto in testamento. Hæc clausula, nisi exprimatur quoquo modo, non videtur tacite per se intelligi. l. 1. D. de jure codicillorum. et l. fin. §. 1. C. de Codicillis (*kk*).

(*kk*) Conf. Institut. *de Codicillis.* Digest. *de jure Codicillorum.* Cod. *de Codicillis.* In quibus causis et personis locum habent testamenta privilegiata, similis formae codicilli fieri possunt. Ex l. fin. C. de Fideicommissis et §. 12. Inst. de Fideicommiss. hered.. Nullam penitus solemnitatem poscit *codicillus fiduciarius*, qui in eo situs est, quod testator ultimam voluntatem suam heredi praesenti, a quo conspicitur et auditur, significet, ut hereditatem, vel certam ejus partem, aut rem certam alteri restituat. Talis significatio voluntatis a testatore fieri potest cuivis heredi tum scripto aut nuncupato, tum ab intestato, imo et fideicommissario, legatario, donatario mortis causa; ac tenentur isti voluntatem defuncti implere; utque eam se percepisse fateautur, juramento constringi possunt.

§. 316. *Substitutionem* aliam esse *directam*, aliam *indirectam*, obliquam aut fideicommissariam, dictum est §. 278. Directa dividitur I. in *vulgarem*, qua quilibet quemlibet in locum alterius vocare potest. E. g. Cajum instituo heredem, cui substituo Titium. Cajo hereditatem adeunte exspirat substitutio. Si Cajus heres esse non velit, aut non possit, succedit Titius in ea parte, et cum eadem conditione, qua successisset Cajus. II. In *pupillarem*, qua pater

liberis impuberibus in patria potestate constitutis heredem substituit in casum, quo heredes erunt, et impuberes decessuri sint. *Nam moribus insitutum est, ut, cum ejus ætatis sint filii, in qua ipsi sibi testamentum facere non possunt, parentes eis faciant.* Princip. Inst. de pupill. substit. Hæc substitutio pupillaris continet etiam vulgarem, ut, si filius ante patrem moriatur, proindeque heres non sit; tamen post mortem patris substitutus succedat. l. 4. D. de vulgari et pupill. substit. Extinguitur hæc substitutio pubertate (si liberi exierint de patria potestate: mortuo ante institutum substituto (*ll*). III. In *exemplarem*, seu ad exemplum substitutionis pupillaris, qua non modo pater et ascendentes, qui liberos in pot state habent, sed etiam mater liberis mente captis vel testari a lege prohibitis substituunt alium heredem in eventum, quo tali in statu morerentur.

(*ll*) Mater et extranei, qui liberos in potestate non habent, pupillariter non substituunt; per clausulam tamen codicillarem sustinetur eorum substitutio pupillaris in vim fideicommissi, salva legitima et Trebellianica, quam defuncti impuberes in heredes legitimos transmittunt.

§. 317. Substitutio indirecta, qua tota hereditas aut certa quota restitui debet, appellatur *fideicommissum universale*: quando solum res certa, *particulare*, quod hodie non differt a legato. Si integra familia substituitur successive, vocatur *familiare*, aut *gentilitium*: estque *Primogenitura*, aut *Majoratus*. Heres, qui restituere debet, dicitur *fiduciarius*: is, cui restituere debet, *fideicommissarius*. Ille deducit *Trebellianicam*, non autem iste, si rursus aliis relinquere debet hereditatem. Est autem *Tre-*

bellianica quarta pars hereditatis imputatis in eam omnibus quovis titulo a defuncto acceptis, etiam fructibus ex bonis post aditam hereditatem, ante restitutionem perceptis. l. 18. §. 1. l. 22. §. 2. D. ad Sctum Trebell.

§. 318. De substitutionibus, quarum plena expositio Juris civilis propria est, quatuor decisiones ex Jure canonico commemorandæ sunt I. Frequens oritur disputatio, qualem substitutionem testator intenderit, directam, an indirectam. Multum enim inter utramque interest, atque hoc inprimis, quod directa simul atque heres institutus hereditatem adierit, expiret, nec herede statim postea decedente reviviscat. At fideicommissum semper perdurat. In dubio ergo Pontifex c. 1. h. t. in 6. decidit semper interpretationem sic faciendam esse, *ut substitutio directa intelligatur potius, quam obliqua.* Addit, dummodo talis interpretatio testamenti *verbis et personis conveniat institutis.* Ex quo infertur, quod præsumtio, quæ pro substitutione directa contra fideicommissariam est, per contrarias conjecturas elidi possit (*mm*).

(*mm*) Hanc decisionem probat et exemplis illustrat Leyserus Vol. 5. et 6. Specim. 362, §. 1. et 2.

§. 319. II. De pupillari substitutione memorabilis casus extat l. 8. §. 5. D. de inoff. testam. cui adde cit. c. 1. in 6. E. g. Pater substituit pupillariter: moritur filius in pupillari ætate, matre adhuc superstite: Jurisconsultus in cit. lege matri negat querelam inofficiosi: Pontifex eidem simpliciter abjudicat legitimam et Trebellianicam. Quia primo censetur esse testamentum mariti, qui uxori non debet le-

gitimam. Dein substitutio censetur esse directa, ex qua Trebellianica exigi non potest (*nn*).

(*nn*) Decisionem probat Westenbergius tit. Digest. de vulgari et pupillari substitutione §. 40. et dissert. II. de portione legitima. c. 3. §. 6. et 7. quo loco sic disserit: præterea Mater eo tempore, quo Pater filio impuberi testamentum fecit, eique substituit, in bonis illis jus acquisitum nondum habuit; quippe quæ nec filius actu possedit. Nunquam autem debetur matri portio legitima ex bonis filiorum, nisi quæ liberi jam possident. arg. Nov. 115. c. 4. Cum autem haec ratio ad bona adventitia filii non pertineat, ex iis legitimam a matre exigi posse, opinatur.

§. 320. III. Liberi Fideicommisso universali gravati primum legitimam, dein Trebellianicam detrahunt, ex celebri c. *Raynutius* 16. et c. *Rainaldus.* 18. h. t. (*oo*) Decisionem Pontificis rationibus Juris civilis contrariam passim asserunt. At fatentur, eam usu receptam esse, et æquitati maxime consentaneam; uti ex Mevio animadvertit Leyserus Vol. 6. Spec. 405. ubi id non tantum de fideicommisso in diem vel sub conditione relicto, sed etiam puro intelligi debere docet.

(*oo*) Quia Legitima, si liberi sunt quatuor vel pauciores, est triens; si plures, semis: hinc primo casu liberi detrahent semissem, altero septuncem cum semiuncia; quod facile capies, si hereditatem restituendam ponas florenorum 12000.

§. 321. IV. Cajus rogatus post mortem suam hereditatem restituere Titio, religiosam professionem emittit; quærunt, an monasterio hereditas competat perpetuo, vel eo tantum tempore, quo vivit Cajus religiosus? Resp. Si *pure* fideicommissum est, monasterium succedet

pro tempore, quo Cajus vivet. Si autem addita fuit conditio: *Si Cajus sine liberis decesserit*, ex defectu conditionis nunquam succedat Titius substitutus. c. 8. de probat. ibi: *Intelligendum non erat, sine herede decedere, qui monasterium sibi instituit heredem.* Auth. *Nisi rogati.* ad l. 6. C. Ad Sctum Trebell.

§. 322. *Legatum* est donatio quædam a defuncto relicta, et ab herede præstanda. Justinianus ei æquiparavit fideicommissum particulare. De utroque diffuse agitur in Inst. Dig. et Codice. Jus sacrum decidit: I. Legatum rei alienæ, ad Ecclesiam pertinentis non valet. c. 5. h. t. Jure civili legatum rei alienæ eo valet effectu, ut heres aut eam redimat, et legatario præstet, aut certe præstet æstimationem arbitrio Judicis, nisi testator rem alienam esse ignoraverit. §. 4. Inst. de Legatis. Putant, a Pontifice non tam hanc legis civilis dispositionem, quam malum usum quorundam Judicum vel executorum fuisse improbatum, qui ipsam rem legatam invito Domino legatario adjudicabant. II. Pro legatis piis non requiruntur ullæ solemnitates. c. 4. h. t. proinde ea debentur etiam ex testamento, quod ratione solemnitatis externæ imperfectum est. III. Ex legatis piis jure communi non detrahitur falcidia. Extrav. 1. prope finem de Privilegiis inter comm. Aut. *Similiter.* ad l. 7. C. ad leg. falcid. ibi: *Similiter falcidia cessat in his, quæ ad pias causas relicta sunt* (pp). Decisioni respondet usus fori. Lege falcidia cautum est, ut nemini liceat ultra dodrantem legare, et si ultra quid legatum, heredi tantum retinere liceat, ut quartam partem hereditatis habeat salvam. De ea agitur in Inst. Dig. et Cod.

(pp) Opponunt nonnulli, hanc authenticam non respondere suo fonti, nempe Nov. 131. c. 12. ubi non

quivis heres, sed tantum tergiversator et moras nectens falcidia multari dicitur. Ait enim Imperator, falcidiam cessare, si heres ea, quae ad pias causas relicta sunt, non impleverit, dicens, relictam sibi substantiam non sufficere ad ista. Sed recte respondet Ulricus Huberus ad tit. Inst. de lege falcid. n. 8. *Quid est aliud, quod quilibet heres, integra legata praestare nolens obtentu falcidiæ detrahendae proferre possit? Si hoc allegans solida solvere cogitur legata; quidni falcidiæ diminutionem frustra dicamus opponi?* Novella sic habet, „ Si autem „ heres, quae ad pias causas relicta sunt, non imple- „ verit, dicens, relictam sibi substantiam non sufficere „ ad ista; praecipimus, omni falcidia vacante, quid- „ quid invenitur in tali substantia, proficere provisio- „ ne Sanctissimi locorum Episcopi ad causas, quibus „ relictum. „ Conditio: *Si heres non impleverit*, non afficit hanc partem, qua falcidia vacare, aut cessare dicitur in legatis piis; sed eo pertinet, ut herede tergiversante Episcopus rem ad effectum perduci curet. Contraria huic decisioni videtur l. 1. §. 5. D. ad leg. falcid. Sed Resp. 1. Cujacius eruditissimus Ictus l. 4. Sent. Pauli tit. 3. ita scribit: „ Ex hoc loco in notis ad „ Justiniani Institutiones testatus sum, malle me in „ l. 1. (citata) ita legere: *Ad municipum quoque lega- „ ta, non etiam ea, quæ Deo relinquuntur, lex fal- „ cidia pertinet.* Nec muto sententiam. „ Quam dein confirmat ex l. 5. §. 12. D. de donat. int. vir. et uxor. addens, idque novissimis constitutionibus comprobatur. Resp. 2. Dici potest, per has novissimas constitutiones correctam esse cit. l. 1. si ejus lectio mendosa non sit.

§. 323. Etsi legatum sit donatio quædam, ab eo tamen distinguitur *Donatio mortis causa*, quæ acceptationem donatarii vivo testatore requirit. l. 38. D. de mort. caus. donat. et arg. l. 55. D. de O. et A. Nihilominus manet revocabilis, et effectum non sortitur, nisi per mortem, si quinque testibus simul præsentibus facta sit. Nam Donatio mortis causa censetur, *cum quis habere se vult, quam eum, cui donat: magisque eum, cui donat, quam heredem suum.* l. 1. D. de mort. caus.

donat. (*qq*) Revocatur hæc donatio ipso facto, si res sic donata a testatore vivo alienetur; nec subsistit, si donatarius præmoriatur.

(*qq*) Ex hoc principio de mente testatoris judicandum est. Non enim quævis mortis mentio efficit donationem mortis causa; sed illa tantum, per quam non sola executio et traditio rei, sed ipsa perfectio actus et translatio juris ad tempus mortis suspensa intelligitur. Sæpe in extremis constitutus inter vivos donat. Censemus enim *eum, qui absolute donaret, non tam mortis causa, quam morientem donare.* l. 42. in fin. D. ibid, item eum, qui promittit, se non revocaturum donationem l. 27. ibid. Mortis causa donationi affinis est *mortis causa* capio. Nam quidquid propter alicujus mortem obvenit, mortis causa capitur. l. 8. et l. 38. eod.

§. 324. Pro causis testamentariis varia suppetunt Juris remedia. *I.* Heredi testamentario datur remedium ex l. ult. C. de edicto D. Adriani tollendo, vi cujus heres in testamento scriptus, vel ore nuncupatus, si nullum visibile vitium appareat, mittitur in possessionem earum rerum, quæ testatoris fuerunt mortis tempore, nec ab alio legitime detinentur. II. Si hereditatis possessio prærepta est ab alio, qui pro herede vel possessore possidet; heres præsumtivus habet *Interdictum quorum bonorum* pro possessione adipiscenda. III. Si vidua sit prægnans, et in utero eum se gerere opinetur, qui defuncto successurus est *ventris nomine* petit missionem in possessionem hereditatis. IV. *Hereditatis Petitio* datur tunc, si alius in possessionem hereditatis missus est. Ea durat 30. annis; uti etiam querela *nullitatis*, contra ac querela inofficiosi §. 314. V. Si ii, quibus querela inofficiosi competit, in legitima læsi sint tantum, contra coheredem habent condictionem ad supplementum legitimæ. l. 30.

et 36. C. de inoffic. testam. VI. Huc etiam pertinet actio *expilatæ hereditatis*, actio *familiæ erciscundæ.*

§. 325. Ad obtinendam possessionem legati competit I. Actio in rem, si legatum est jus in re, quod legatario etiam ignoranti statim acquiritur a momento mortis. Siquis autem id repudiet, videtur nunquam dominus fuisse. II. Actio hypothecaria, concessa in securitatem legati, in reliquis defuncti bonis. III. Actio ex testamento adversus heredes, vel personas oneratas ad res legatas cum suis accessionibus tradendas.

§. 326. Præcognito testamentorum jure attingenda est controversia de vi testamentorum, utrum ea a natura sit, sive ad naturales acquirendi modos pertineat, perinde, uti actus inter vivos. In Jure Nat. priv. §. 120. pag. 251. negantem sententiam amplexus sum; neque aliter nunc sentio; quia vivo testatore nulla fit juris aut dominii alienatio; in ipso autem puncto mortis omnis alienandi potestas, uti ipsum jus et dominium in res temporales extinguitur. Tria hic animadverte. I. Aliter sentiendum est de successionibus ab intestato præsertim inter ascendentes, et descendentes; quemadmodum ostendi ibidem §. sequente 121. cum præsertim populi extiterint, apud quos ratione magistra, sola viguit successio ab intestato, nullo introducto testamentorum usu, uti patet ex c. 2. de consuetud. in part. decisa. II. Alia est quæstio, utrum fides viventi data, et conjecta in tempus mortis jam oppetitæ, servanda sit, tum de actu quodam a superstite præstando e. g. de ritu sepulturæ vel tutandis liberis a defuncto relictis: tum, præsertim introducto publice testamentorum usu, de executione circa re-

licta bona. Atque hæc quæstio haud dubie affirmando decidenda est; quod manifestum est ex legibus Romanis de fideicommissis, uti mox dicam. Dein ex l. 12. §. ult. l. 13. D. Mandati. l. 14. §. 2. ib. de Religios. l. 18. §. 2. ib. de mort. caus. donat. l. ult. ib. de solutionibus. Universe non extinguitur per mortem mandatum, quod perfici non potest aut debet, nisi post mortem mandantis. III. Siquis spectata subtilitate Juris naturalis neget, testamenta valere vi naturæ, ac naturalem esse, jura ac dominia transferendi modum; is non continuo inferre potest, legislatores Romanos in eadem fuisse opinione. Videntur illi ex æquitate, quæ ex implenda ultima voluntate relucet, vim et obligationem naturalem tribuisse testamentis (*rr*), et per leges solam naturalis juris confirmationem et assistentiam adjecisse. l. 130. D. de V. S. ibi: *Lege obvenire hereditatem non improprie quis dixerit et eam, quæ ex testamento defertur: quia lege XII. Tabularum testamentariæ hereditates confirmantur.*

(*rr*) L. 1. C. de SS. Eccl. ibi: *Nihil est, quod magis hominibus debeatur, quam ut supremæ voluntatis, postquam jam aliud velle non possunt, liber sit stilus, et licitum, quod non iterum redit arbitrium.* Si nihil aliud hominibus magis debitum censuerunt Legislatores Romani, quam libertatem disponendi mortis causa, et executionem dispositionis, videntur id plane a naturali jure, tanquam firmissimo vinculo derivasse. Justinianus etiam Imperator Nov 22. c. 2. ita edicit: *Disponat unusquisque super suis: ut dignum est, et sit lex ejus voluntas; sicut et antiquissima nobis lex et prima pene Reipublicæ Romanorum disponens ait (dicimus autem XII. Tabularum)* UTI LEGASSIT QUISQUE DE RE SUA, ITA JUS ESTO.

§. 327. Alia est de testamentis controversia inter Doctores utriusque Juris, atque etiam

Theologos maximis studiis et paribus prope suffragiis utramque in partem agitata, utrum scilicet testamenta ex defectu solemnitatis imperfecta, *si de voluntate testatoris certo constet*, pro foro etiam interno nulla sint penitus et irrita (*ss*).

(*ss*) Sermo est de defectu solemnitatis, non de excessu; superflua enim non nocent. l. 17. C. de Testam. dein de solemnitate externa testium, subscriptionum, subsignationum etc. agitur; si enim jus testandi, aut capiendi ex testamento deficiat: aut si nulla appareat heredis faciendi intentio, ambigi non potest, quin nullum penitus sit testamentum.

§. 328. *Decisio I.* Leges Romanæ apertam ac plenam indicant nullitatem testamenti, quod solemnitatibus, aut earum aliqua caret; adeoque tale testamentum pro foro saltem *externo* nullum est. Clari sunt textus l. 9. 12. 21. C. de testam. Princ. Inst. de heredit. quæ ab intestato. ibi: *Intestatus decedit, qui aut omnino testamentum non fecit, aut non jure fecit.* Ejusmodi testamentum adeo est nullum, ut *primo* neque Princeps aut Imperator institutus ex eo succedat. l. 3. C. de Testam. §. ult. Inst. quibus mod. testam. infirmantur. *Secundo.* Etsi contra solemnitates protestetur testator. l. 55. D. de Legat. 1. ibi: *Nemo potest in testamento suo cavere, ne leges in suo testamento locum habeant. Tertio.* Est adeo nullum, ut etiam legata et fideicommissa tanquam accessoria principali corruente corruant. l. 23. et 29. C. de fideicommissis. Non tamen ob id concidit datio tutoris, dispositio de sepultura, alienatio prædii pupillaris tutori imposita. l. 3. C. quando decreto non est opus. l. fin. D. de rebus eorum, qui sub tutela.

§. 329. *Decisio II.* Leges Romanæ, quæ solemnitates pro valore testamentorum præscribunt, exceptionem faciunt, *primo* in testamentis privilegiatis. §. 291. *Secundo* in fideicommissis *proprie* talibus, quando testator præsenti heredi instituto, vel ab intestato, aut fidei commissario, legatario, donatario mortis causa voluntatem suam de hereditate, aut parte, aut re certa alteri restituenda coram declarat. Hoc casu isti voluntatem testatoris in conscientia tenentur exequi, et pro foro externo ab eo, cujus interest, præstito juramento calumniæ jurare coguntur, *quod nihil tale a testatore audiverint.* §. fin. Inst. de fideicommiss. heredit. l. fin. C. de fideicommissis. Neque fiduciarius delatum juramentum referre potest; cum agatur de re, quam solus nosse censetur (*tt*). *Tertio.* Si institutus in testamento imperfecto, illud agnorit, et approbarit verbis aut factis, solvendo creditoribus testamentaris, aut solutionem promittendo. l. 2. et l. 23. C. de fideicommiss. l. 16. ib. de testam.

(*tt*) Conf. §. 315. in not. de Codicillo fiduciario. Fideicommissum proprie tale ex primæva natura est, quo testator heredi, vel honorato voluntatem suam coram, seu præsens præsenti declarat, quid ab iis præstari velit; ac tale nulla alia indiget solemnitate, sed pro utroque foro implendum est etiam ab invito. At recentiore jure fideicommissa relinqui possunt ignaro eo, cujus fidei quidpiam committitur; nempe per testamentum jure factum, vel per Codicillum quinque testium subscriptione munitum; ac tum si testamentum aut codicillus jure facta non sunt, fideicommissum corruit. l. ult. §. ult. C. de Codicill. l. 25. et l. 29. C. de fideicommissis.

§. 330. *Decisio III.* Heres ab intestato potest testamentum imperfectum impugnare, et

contra heredem institutum petere possessionem, vel ipsam hereditatem, etsi non dubitet, quin testator ipsum voluerit hereditate excludere; modo istius voluntatem ipse ex ore ejus non perceperit; quia potest uti favore legum, imperfecta testamenta habentium pro nullis.

§. 331. *Decisio IV.* Judex testamentum imperfectum ad suum forum delatum debet declarare tanquam nullum et irritum, et hereditatem adjudicare heredi ab intestato, nisi in casibus exceptis decisione II. §. 329. Non enim Judex de legibus judicare potest, sed secundum leges, easque claras et manifestas. Dissentire videtur Leyserus Vol. V. et VI. Spec. 355. §. V. Sed est ea opinio singularis, neque usum habet in praxi; quemadmodum animadvertit L. B. de Kreittmayr P. 3. Adnotat. in Cod. Bav. c. 3. §. 24. n. 4.

§. 332. *Decisio V.* Quando testamentum imprfectum a Judice pronuntiatur nullum, proindeque hereditas adjudicatur heredi ab intestato; illico concidit omne jus etiam pro foro *interno* tum heredis instituti, tum legatarii aut fideicommissarii in testamento scripti, ita, ut neque actionem habeant ad id petendum, quod in eo relictum est, neque si ipsi jam apprehenderint quidquam, exceptionem adversus heredem ab intestato, cui hereditas adjudicata est. Decisio manifeste nititur generalibus principiis de interna obligatione parendi sententiæ justæ, et legibus consentaneæ legitimorum Magistratuum et Judicam: si ea sententia non nitatur falsa præsumtione facti aut juris particularis.

§. 333. *Decisio VI.* Si heres in testamento imperfecto institutus (idemque est de legata-

rio aut fideicommissario, cui in ejusmodi quidpiam relictum est) hereditatem absque vi et fraude consecutus est, non tenetur eam in foro conscientiæ restituere heredi ab intestato, *siquidem ipsi de voluntate testatoris certo constet*, donec in legitimo judicio ab ipso repetatur. Hæc decisio, in qua cardo controversiæ consistit, probatur. 1. Ipsæ leges non aliter præscribunt solemnitates, nisi pro *forma probatoria in judicio* l. fin. C. de fideicom. ibi: *Cum res per testium solemnitatem ostenditur, ut perfectissima veritas reveletur* etc. 2. Ipsæ leges in re testamentaria distinguunt inter forum internum, et externum. §. 1. Inst. de fideicommissar. hered. ibi: *Sciendum, omnia fideicommissa primis temporibus fuisse infirma; quia nemo invitus cogebatur præstare id, de quo rogatus erat.* Hæc referuntur ad forum externum. *Nullo vinculo juris, sed tantum pudore eorum, qui rogabantur, continebantur.* Hæc spectant forum internum. *Augustus motus ob insignem quorundam perfidiam etc.* nempe pro foro interno, *ad necessitatem juris ea retraxit*; ibid. §. ult. quod respicit forum externum. *Si testator fidei heredis sui commisit*; nempe obligationi internæ et pro foro interno. *Si heres perfidia tentus*, id est, si obligationi conscientiæ satisfacere nolit. 3. Ipsæ leges denique obligationem naturalem ex testamento imperfecto perinde agnoscunt, ac in actibus inter vivos, quibus lex non assistit. Patet id ex n. præc. de fideicommissis: patet ex §. 25. in f. Inst. de Legat. ibi: *Incertis autem personis legata vel fideicommissa relicta et per errorem soluta, repeti non posse, sacris constitutionibus cautum erat (uu).* Patet ex l. 38. D. de fideicommiss. libert. ubi imperator de testamento cujusdam patris, *quod perfectum non erat*, ait: *Etiamsi*

nihil ab intestato pater petiisset, pios tamen filios debuisse manumittere eam, quam pater dilexisset (alumnam); *pronuntiavit igitur, recte eam manumissam, et ideo fideicommissa etiam ei præstanda.* Patet ex l. 16. C. de testam. et l. 23. C. de fideicom. ubi heres teneri dicitur ad præstanda legata et fideicommissa inutiliter relicta, sive ex ultima voluntate imperfecta, si hanc aliquando agnovit, negaturque repetitio soluti, ex generali principio Juris Romani: *Naturales obligationes ex eo æstimantur, — — si soluta pecunia repeti non potest.* l. 10. D. de O. et A. Hæc repetitio soluti aliis casibus, quibus testamentum postea apparet nullum, non negatur. l. 3. D. de cond. indeb.

(*uu*) Notandum, incertis personis utiliter legari non potuisse; uti siquis ita legasset: Ei, qui filiam meam aliquando uxorem ducturus est heres meus illam rem dato. Oberat huic legato subtilitas quædam Juris civilis; non ratio naturalis: proinde ex hujusmodi relicto etiam olim nascebatur debitum naturale, id est, heres ex tali voluntate naturaliter obstringebatur; quæ causa erat, cur per imperatorias constitutionis solutum repetit non potuerit. Quippe, ut inquit Vinnius in Comment. ad hunc locum, naturalis obligationis hic certissimus Jure quoque civili effectus est, ut impediat ejus, quod ex causa solutum est, repetitionem. l. 13. l. 19. D. de condict. indeb.

§. 334. Probatur Decisio II. Solemnitates, earumqe apices per leges præscriptæ sunt, ut voluntas testatoris certissime cognosceretur, atque impleretur. Hic finis propter media in foro interno tolli non debet, quamdiu gravior quædam et generalis obligatio obtemperandi sententiæ Judicis non urget. Qui ergo in casu decisionis hereditatem aut legatum ex imperfecto testamento retinet, finem legum reipsa implet,

et quoad conscientiam tum per rationes adductas, tum per c. *cum esses.* 10. h. t. tanquam sub clypeo tutus esse videtur.

§. 335. Objiciunt I. Testamentum imperfectum per leges simpliciter dicitur *non tenere*, *nullo jure valere*, *jure deficere*. Ergo pro utroque foro est nullum. R. d. c. si præcise spectetur cortex verborum. c. c. si spectetur mens et intentio legum, quæ ex aliis decisionibus manifesta est, et si consideretur finis solemnitatum. n. c. II. Siquid generatim præceptum aut vetitum est ob periculum delicti, aut fraudis, illud observandum est, etsi in casu particulari periculum delicti aut fraudis cesset. Ergo testamenta imperfecta, quia ob periculum fraudis per leges habentur pro nullis, talia semper habenda sunt, etsi casu quodam particulari fraus absit, ac de voluntate testatoris certo constet. R. c. a. n. c. et supp. quod aut imperfectum testamentum condere, aut succedere ex testamento imperfecto, modo voluntati testatotoris satisfiat, sit prohibitum per leges. Sane heres ab intestato, si defectum testamenti habeat perspectum; nihil tamen contra heredem institutum moveat, adeo non agit contra leges, ut potius commendari debeat. Dein in casu decisionis finis solemnitatum non tantum quoquo modo cessat, sed *contrarie*, sic ut negligi et everti debeat omnino, si ob omissas solemnitates testamentum pro foro etiam interno nullum esse censeatur. III. Testamenta vim suam non natura habent, sed per leges §. 326. ergo si fiunt contra leges, omni vi carent. R. d. a. Testamenta vim habent per leges, nempe eas, quæ exactas solemnitates requirunt, n. per leges antiquissimas, dudum rece-

ptas, et ex mente legislatorum consentaneas juri naturali c. a. et n. c. Nequaquam defendi potest, Romanos in ea opinione fuisse, vim testamentorum ex *sola* lege positiva humana oriri; ut ostendi cit. §. 326. et ibi in nota. Ergo nec dici potest, eos *omnem* vim et effectum testamentorum alligasse iis legibus, quæ subtiles solemnitates præscribunt; cum præsertim ex imperfectis testamentis obligationem naturalem oriri crederent, sed cui leges non assisterent, nisi in certis casibus, e. g. negando repetitionem soluti, aut ob agnitionem heredis.

TITULUS XXVII.

DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

ARGUMENTUM.

I. Notio et quæstio de successione ab intestato. §. 336. *II. Quatuor ordines ab intestato succedentium ex propinquitate sanguinis.* §. 338. *III. Successio ab intestato ex aliis fundamentis.* §. 354. *IV. Casus Clerici et Religiosi intestati.* §. 356.

§. 336. *Successio ab intestato* est hereditatis legitimæ acquisitio extra casum ultimæ voluntatis defuncti, aut pacti inter vivos stabiliti. Opponitur ergo successioni testamentariæ, adeoque et fideicommissariæ, ac pactitiæ, et in harum subsidium instituta est; nam provisio hominis facit cessare provisionem legis. A legis autem provisione vocatur *legitima: civilis* vel *prætoria ex* legibus Romanis: *feudalis*, ex legibus feudalibus *consuetudinaria et statutaria* ex legibus domiciliorum aut rei sitæ. Funda-

mentum legum successioni Jure novo est consanguinitas et præsumta Prædilectio testatoris erga superstites, qui ab intestato per leges vocantur: additæ sunt pro singularibus casibus fundamenta alia. Utrum et quatenus fundetur in natura, confer §. 326.

§. 337. Prima est quæstio, *an sit casus intestati*; proindeque an obierit is, cui succedere quis avet, et anne obierit sine testamento, aut sine tali, quod effectum juris habet. Altera est quæstio, *quis succedat* ab instestato, et *in quantum.* De prima quæstione ex principiis aliunde cognitis inferendum est, cui incumbat probatio, aut pro quo stet præsumtio. Quoniam vero probatio mortis aliquando difficilis est *in absente*, siquis extraneus vel remotior hereditatem occupavit, non consultum est, ut a proximiore contra possessorem, *hereditatis petitio* instituatur, sed potius, ut *imploratio* pro administratione bonorum sub cautione sibi committenda Judici exhibeatur (*a*).

(*a*) Bœhmer de Actionibus Sect. 2. c. 3. §. 2.

§. 338. Pro altera quæstione, ut *primo* definiatur, *quis succedat*, de successione ex jure sanguinis definiti sunt per leges certi *ordines*, sive classes. In *Primo* ordine succedunt omnes Descendentes. In *Secundo* Ascendentes propiores, fratres sororesque bilaterales, et eorum, earumve filii, filiæque. In *Tertio* fratres sororesque unilaterales, nec non eorum, earumque filii filiæque. In *Quarto* denique reliqui consanguinei gradu propiores. Horum ordinum ea ratio est, ut præcedens excludat sequentem; Personæ autem in eodem consistentes ordine simul ad successionem vocentur (*b*). Pro quibusdam casibus, aut extra causam sanguinis

leges specialiter provident, quando succedant conjuges, fiscus, collegium, in quo defunctus obiit, Ecclesia. II. Ex æquitate introductum est *jus repræsentationis*, seu jus capiendi hereditatem, quam defunctus ascendens fuisset habiturus. Sic liberi jure repræsentationis intrant in locum parentum, ut nempe tantum capiant ex hereditate, quantum habuisset parens, si superstes fuisset. In ordine descendentium ob arctam eorum inter se conjunctionem jus repræsentationis extenditur in infinitum, id est, indefinite. In ordine collateralium ultra fratrum ac sororum liberos non extenditur (*c*).

(*b*) In Novell. 118. pr. tres tantum statuuntur ordines, descendentium, ascendentium, et ex latere. Sed doctrinæ successionum rectius distinguendæ gratia plures designari possunt. Minus adcurate ordines ibidem appellantur gradus; cum l. 1. D. de Gradibus distinctio inter ordines et gradus fiat. Gradus enim est distantia propinquitatis personarum inter se, et in quovis ordine descendentium, ascendentium et ex latere plures insunt gradus, et in quovis etiam gradu personæ plures possunt consistere. Gradus autem in causa successionum computantur secundum Jus civile, vi cujus universe, sive in omni ordine aut linea ascendentium, descendentium et ex latere tot numerantur gradus, quot sunt generationes, sive (quod in idem recidit) tot gradus, quot personæ computatis intermediis et una demta, ut proinde in ordine aut linea etiam collateralium generationes aut personæ ex utroque latere computentur; quemadmodum traditur L. 4. Decret. de consang. et affiniti.

(*c*) Etsi jus repræsentationis in materia successionum ab intestato exerceatur maxime; locum tamen aliquando habet in successione ex testamento, legato, fideicommisso, pacto, aliis actibus inter vivos et mortis causa; siquis propinquorum talem faciat mentionem, qua plures unius locum repræsentare, ejusque unius partem habere velint.

§. 339. Ut secundo definiatur, *in quantum* quisque succedat ab intestato, invectum est tum expositum jus repræsentationis, tum distinctio inter sucessionem in *capita*, in *stirpes*, in *lineas*. In capita succeditur, si tot fiunt partes, quot sunt personæ succedentes. In stirpes, si plures jure repræsentationis succedentes eam capiunt partem inter se dividendam, quam habuisset is, quem repræsentant. In lineas succedunt ascendentes, quando hereditas in duas partes dividitur, quarum una obtingit ascendentibus lineæ paternæ; altera ascendentibus lineæ maternæ. Si Pater aut mater vel uterque superest, excluduntur remotiores ascendentes. Ad illis prædefunctis hi possunt esse inæquali numero; ac tum divisa bifariam portione dicitur fieri successio in lineas, non in stirpes. Neque enim Superiores recte *stirps* vocantur inferiorum, sed contra.

§. 340. Descendentes, qui primum officiunt ordinem, sunt I. *legitime nati*, sive legitimi et naturales simul; quibus accensentur legitimati per subsequens matrimonium §. 2. Inst. de her. quæ ab int. nati ex matrimonio putativo, si bona contrahentium fides adfuit; et in contractu adhibitæ fuerunt solemnitates secundum morem patriæ: nati item ex matrimonio, quod initio nullum fuit, sed per dispensationem in radice convaluit; quod raro fit. II. *Legitimati* per rescriptum Principis, aut per subsequens matrimonium, sed hi posteriores ad superiorem liberorum classem hic pertinent. III. *Adoptivi*, seu legitimi tantum. In his fit distinctio inter adoptivos perfecte tales; seu arrogatos, et minus plene adoptatos. IV. *Illegitimi*, vel naturales, vel spurii seu vulgo quæsiti, vel nati ex damnato coitu, id est, adulterini, incestuosi, in quibus aliqui vo-

cantur nefarii; demum sacrilegi, quos leges ex nefariis aut incestis natis nuptiis comparant. l. 5. C. de Episc. et. Cleric.

§. 341. Legitime nati ab intestato succedunt omnes, quotcunque sint, sine discrimine sexus, gradus, cognationis vel agnationis, sui et emancipati, posthumi: ac succedunt omnibus ascendentibus ex linea paterna et materna (modo nemo eos antecedat), ita, ut gradus non simpliciter in successione, sed in portione tantum faciat discrimen; nam primi gradus liberi succedunt in capita: ulteriorum in stirpes; sive hi soli sint, sive cum descendentibus gradus superioris concurrant: nam jus repræsentationis in hac classe in infinitum obtinet. Succedunt denique sic, ut universe collaterales, et regulariter ascendentes omnes excludant (*d*). Si liberi adsint ex diversis nati matrimoniis, communi parenti omnes succedunt æqualiter: proprio quique separatim, ita tamen, ut hi præcipuum habeant, quod ex priori matrimonio ad parentem communem forte pervenerat (*e*),

(*d*) Jure novissimo una cum descendentibus, multoque magis cum ascendentibus et collateralibus conjux superstes pauper succedit locupleti, et quidem si plures sint, quam tres heredes, in portionem virilem: si tres aut pauciores, in quartam; ita tamen, ut si cum liberis aut nepotibus suis concurrat, in portione sua solum habeat usumfructum: si cum aliis succedit, eam pleno jure capiat. Nov. 117. c. 5. Aut. *Præterea.* C. unde vir et uxor conf. Ulr. Huber. Prælect ad Iust. de Succes. ab int. n. 18.

(*e*) Quia communis parens in his bonis solum habuit usumfructum, qui morte usufructuarii exspirat.

§. 342. Exceptiones ab hoc generali descendentium jure sunt I. siquis descendentem in suo ordine antecedat. Nepos enim ex filio superstite regulariter non succedit avo. Speciales casus sunt. si talis *antecedens* fiat incapax, aut indignus hereditate, si renuntiet eidem, vel eam repudiet, aut si decedat delata quidem, sed non adita hereditate infra, vel post tempus deliberandi; quos discutere angustiæ libelli prohibent. II. Si ipse descendens fiat incapax, indignus, aut hereditati renuntiet. III. Si vivo parente tantum quod *conferre* debeat, jam cepit, ut id novam acquisitionem ex bonis defuncti imminuat, aut absorbeat penitus. De collatione et collationibus speciales extant tituli in Dig. et Cod. IV. Aequalitas successionis pertinet ad bona allodialia; aliter enim de feudalibus disserendum est, et in casu matrimonii ad morgenaticam. V. Statutis locorum sæpe fit discrimen inter bona, quorum aliqua filii aut filiæ, capiunt præcipua ante divisionem.

§. 343. *Legitimati et plene* quidem per rescriptum Principis admittuntur, si soli sint. Nov. 74. c. 1. Nov. 89. c. 9. aut si concurrant cum legitime natis post factam legitimationem. Filius legitimati ex justo matrimonio natus, post mortem patris succedit avo. Zech. de Success. ab int. §. 530.

§. 344. *Adoptivi perfecte tales*, seu *arrogati* succedunt patri adoptivo simul cum aliis istius liberis ex legitimo matrimonio natis (*f*); ejusque ascendentibus masculis, si hi in arrogationem consenserunt. Uxori ejus, matri et aviæ non succedunt. §. 7. Inst. de Adopt. Minus plene adoptatus succedit Patri adoptivo et

naturali, non ejus uxori, et ascendentibus. l. 10. C. de Adopt. Utrorumque jus succedendi tollitur per emancipationem. cit. l. 10.

(*f*) Jure Cod. cit. l. 10. tales non succedunt patri *naturali*; aliud videtur statuendum ex jure Novellarum.

§. 345. *Illegitimi* I. Naturales succedunt matri, æqualiter cum legitimis, atque, ita, ut filius naturalis excludat ascendentes defunctæ a successione. l. 2. l. 8. D. unde cognati (*g*). Iidem succedunt aliis etiam ascendentibus ex linea materna. Patri vero, qui neque uxorem legitimam, neque liberos legitimos relinquit, succedunt in sextantem cum matre dividendum. Nov. 18. c. 5. II. *Spurii seu vulgo quæsiti* matri *non illustri* succedunt indistincte: *illustri* tunc, si liberos legitimos non relinquat. l. 2. D. Unde cognati. l. 5. C. ad Sctum Orficianum. III. *Nati ex damnato coitu* neque Patri, neque Matri succedunt (*h*), ac ne quidem ab iis alendi dicuntur. Nov. 89. C. ult. Sed hunc rigorem temperavit Jus Canonicum. c. 5. de eo, qui duxit in matrimonium.

(*g*) Zech. de Successione ab intestato §. 530.

(*h*) Sic passim statuitur de omnibus ex damnato coitu proguatis, adeoque etiam de adulterinis; sed hi, nescio, qua juris ratione, in Institutionibus Heineccianis ex editione Höpfneri §. 690. in successione æquantur cum vulgo quæsitis ac spuriis, quorum origo eam turpitudinem certe non habet, ac si ex adulterio provenissent.

§. 346. Quando defunctus nullos reliquit liberos (*i*), spectatur secundus ordo successionis legitimæ, in quo collocati sunt Ascendentes propiores., fratres sororesque bilaterales,

et eorum, earumve filii, filiæque (§. 338.). De his sequentes casus adcurate distingui oportet.

(*i*) L. 220. C. de V. S. ibi: *Liberorum appellatione* (non tantum, qui primo sunt gradu, sed etiam) *nepotes et pronepotes, ceterique, qui ex his descendunt, continentur* Adde l. 1. ib. *Verbum hoc* siquis *tam masculos, quam feminas complectitur.* Unde Germanorum nomine etiam sorores Germanæ, seu ex utroque latere conjunctæ veniunt. Ex utroque autem latere conjuncti seu bilaterales hoc loco censentur ii, qui utrumque parentem ita communem habent; ut etiam utrique plene succederunt. Fratres ergo ab eodem patre, et ex eadem concubina extra matrimonium geniti non censentur Germani; quia soli matri, non autem patri plene succedunt §. 245. n. 1.

§. 347. I. *Si soli ascendentes supersint, nulli Germani, eorumve liberi*, Pater et Mater hereditatem filii inter se æque dividunt, avos et avias excludunt: alteruter solus superstes solidum capit, avis iterum exclusis. Soli remotiore gradu ascendentes succedunt in lineas. §. 339. Nov. 118. c. 2. v. *Si autem.*

§. 348. II. *Si cum ascendentibus adsint Germani*, pater, mater defuncti, et Germani succedunt in capita, ita, ut hi germani fratres defuncti, seu liberi patris superstitis portionem suam pleno jure capiant, nec pater in ea habeat usumfructum, uti alias habet in peculio adventitio. cit. Nov. 118. c. 2. (*k*). Si mater superstes ad secundas nuptias convolaverit, succedit in filio tantum in usufructu, non proprietate, nisi sola superesset, ut nulli Germani defuncto simul succederent. Hæc pæna in l. 3. C. de secundis nuptiis statuta non censetur revocata per Jus Canonicum, cum in bonum prolium cedat; nisi mater nuptias contraheret cum consensu liberorum, aut eam

filius defunctus in testamento instituisset. Hæc pertinent etiam ad patrem. Brunemann. in cit. l. 3.

(*h*) Hic locus dubium movet, utrum ascendentes remotiores si cum Germanis concurrant, non in capita, sed lineas succedant; quia de solo patre et matre, si cum Germanis concurrant, hereditas pro numero personarum dividenda dicitur; cum aliis ascendentibus successio in lineas paulo ante fuerit assignata. Sed aliter vulgo statuunt.

§. 349. III. *Si adsint ascendentes, Germani, Germanusve, et alterius Germani liberi*, ascendentes succedunt in capita, Germani in capita, liberi in stirpes. Relate ad ejusmodi liberos ex Germano superstites fratres aut sorores, quæ in capita succedunt, sunt patrui, amitæ, avunculi, materteræ. Ultra hos liberos Germanorum jus repræsentationis non extenditur.

§. 350. IV. *Si cum ascendentibus nullus Germanus concurrat, sed soli Germanorum liberi, hi per ascendentes videntur excludi a successione.* Nam Novella 127. c. 1. expresse tantum agit de casu, quo Germani defuncti liberi concurrunt cum Germano. Quia igitur est correctoria Nov. 118. c. 3. v. *Si autem cum fratribus.* a casu, de quo correctoria agit, extendi non debet ad casum, quo omnibus Germanis præmortuis, soli istorum liberi cum ascendentibus concurrunt. conf. Ant. Perez in Cod. ad Sctum Tertyllianum. n. 8. Praxis fere admittit liberos solos Germanorum, si cum ascendentibus concurrant. Sande l. 4. tit. 8. def. 4. Codex item Bavaric. P. 3. c. 12. §. 3.

§. 351. V. Si nemo ascendentium adsit, Germani defuncto succedunt in capita. VI. Si

cum Germanis concurrant liberi alterius Germani, hi in stirpes. VII. Soli Germanorum liberi in Germania succedunt in capita. Ex decisione Caroli V. in Comit. Spir. an. 1529. §. 31. (*l*).

(*l*) Acute animadvertit Zech. de Success. ab int. §. 537. Si præter hos nepotes defuncti adhuc supersint ejusdem defuncti frater vel soror uterini, aut consanguinei, convenientius dicitur, quod illi nepotes succedant in stirpes, et sic jure repræsentationis intrent in locum et gradum suorum parentum præmortuorum; ut censeantur esse in gradu secundo respectu defuncti; ne contra commuuem regulam gradus tertius, in quo revera jure suo sunt isti nepotes, excludat gradum secundum, in quo sunt fratres uterini et consanguinei.

§. 352. Ordo tertius succedendi locum habet, si personæ omnes primi et secundi ordinis deficiunt. Ipsi fratres et sorores unilaterales succedunt in capita: Prædefunctorum filii, filiæque in stirpes, nisi soli sint; quo casu in capita succedunt; nec fit discrimen bonorum, utrum a patre, an matre profecta sint. Nov. 113. c. 3. Usus fori et locorum statuta sæpe aliter definiunt.

§. 353. His etiam deficientibus, in quarto ordine proximi sive agnati, sive cognati admittuntur nullo sexus discrimine, sic tamen, ut propior excludat remotiorem, et qui æquali gradu sunt, in capita succedant, nec duplicitatis vinculi habeatur ratio ultra fratrum liberos. Nov. 118. c. 4.

§. 354. Exhausto ordine quadruplici leges Romanæ virum et uxorem vocant ad conjugis intestati hereditatem. l. un. D. et C. unde vir et uxor. De conjugum successione primo spectanda sunt pacta dotalia: dein statuta locorum, quæ perquam varia sunt. confer. etiam dicta §. 341. in nota.

§. 355. Fisco acquiruntur *bona vacantia*, *et quæ ut ab indignis*, *legibus auferuntur*. Hæc quidem II. Feud. tit. 56. inter Regalia numerantur. Bona *peregrini et advenæ*; absque testamento decedentis, cujus heredes ignorantur, per Episcopum in pias causas distribui deberent. Auth. *omnes peregrini*. ad l. 10. C. communia de successionib. De Jure Romano Fiscum etiam excludit collegium, cujus membrum erat defunctus: fitque passum, ut res relictæ ab eo, qui fixas eleemosynas ex pia fundatione quadam perceperat, post ejus mortem ad hanc ipsam fundationem trahantur.

§. 356. De Clerico intestato olim facta est distinctio inter bona titulo profano acquisita, et ab Ecclesia ad ipsum profecta. Hæc debebantur Ecclesiæ. c. 1. et fin. de pecul. Cler. c. 7. et 12. de Testam. illa secundum l. 20. C. de Episc. et Cler. non aliter ad Ecclesiam deferebantur, quam si clerico *nec parentes utriusque sexus*, *vel liberi*, *vel qui agnationis*, *cognationisve jure junguntur*, *vel uxor extiterit*. At ex c. 1. h. t. et can. *quicunque*. 2. XII. q. 3. si Clericus de illis bonis ante mortem nihil ordinavit, et (quod intelligendum puto) heredes necessarios non reliquit, omnia penes Ecclesiam remanebant. Hac ætate, atque iis in locis, in quibus clericis facultas testandi etiam de reditibus per Ecclesiam acquisitis conceditur, contingit passim, ut clericis intestatis proximi consanguinei sine bonorum discrimine succedant. Etsi autem Ecclesia lites horreat heredes tamen bona ex beneficio acquisita non aliter possunt impendere, quam ad fines, in quos impendere debuerat clericus.

§. 357. Demum de Religiosis decisum est I. In bonis Novitii intestati, legitima successio

secundum ordines explicatos obtinet. II. Professo, qui ante professionem nihil disposuit, succedit monasterium, si capax est successionis *(m)*. Succedit autem monasterium non jure hereditario, sed acquisitionis modo naturali post editas saltem leges, vi quarum *ingredientem simul sequuntur omnes res, licet non expresse, qui introduxerit eas, dixerit.* Nov. 5. c. 5. Et: *Ingressi monasterio ipso ingressu se suaque dedicant.* Auth. *ingressi.* ad l. 13. C. de SS. Ecclesiis. Nec video equidem, quomodo ejusmodi jura et privilegia Ecclesiis et monasteriis legitime ab Imperatoribus concessa, et acceptata, longoque usu confirmata pro arbitrio auferri possint.

(m) De Exceptione, quæ circa monasteria etiam capacia fieri debet ratione certorum jurium, majoratuum, feudorum, emphyteusium etc. conf. Schmalzgruber h. t. n. 70. seqq.

TITULUS XXVIII.

DE SEPULTURIS.

ARGUMENTUM.

I. Sepultura refertur ad ritus funebres. §. 358. *II. Ad locum.* §. 360. *III. Et ad jus; quis gaudeat jure sepulturæ* §. 361. *IV. Jus eam eligendi:* §. 365. *V. Jus Ecclesiæ parochialis.* §. 367.

§. 358. Posteaquam de rebus et juribus temporalibus Ecclesiarum et Clericorum actum est generatim, descenditur speciatim ad Parochos, ac Religiosos. Et quia testamentum morte confirmatum sepultura sequitur, de hac tractatur primum, de ipsis deiu parochiis et parochianis, demum de Decimis et oblationibus, quæ Paroche-

rum maxime propriæ sunt. Sepultura refertur ad *depositionem cadaveris*, et inhumationem, variosque *ritus* tum sacros, tum politicos, quibus ea peragitur, et qui nomine *Exequiarum* veniunt. Relate ad hos ritus sepultura vocatur *honesta*, *minus honesta*, *solemnis*, *non solemnis*; a ritibus sacris, et a loco benedicto aut sacro *Ecclesiastica.* Refertur dein ad *locum*, in quo fit inhumatio, denique *ad jura*; cum quæritur, quis gaudeat jure sepulturæ Ecclesiasticæ; quis jure eligendi sepulturam; quis jure sepeliendi: quo maxime refertur *justitia* Ecclesiæ parochialis, seu jus Parochorum, et privilegia quorundam Religiosorum. De Sepultura disseri potest ex *principiis humanitatis*, quæ ab affectata duritie, superbiaque Stoicæ Philosophiæ omnino segreganda est: dein *ex jure seu usu Gentium* etiam ethnicarum: ex *moribus populi fidelis Israelitici*; denique ex *doctrina et praxi Christianæ religionis.* Sancti quidem Patriarchæ, uti a profanis impiorum ritibus animo maxime alieno fuerunt in vita; ita solicitam dederunt operam, ut exanime etiam corpus ab infidelibus sejungeretur post mortem (*a*). Catholica Ec lesia majore etiam sanctitatis, atque unitatis spir tu animata inde a primis temporibus singularem sepulturæ ecclesiasticæ curam gessit, et instar generalis regulæ tenuit id, quod S. Leo edixit: *Quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.* can. *de communione.* 1. XXIV. q. 2. c. 12. h. t. Uti enim gravissima est pœna, et dedecoris atque infamiæ plena, privari justa sepultura (*b*): ita per eam rite impensam ultimum præstamus officium defunctis; profitemur immortalitatem animorum, et resurrectionis fidem, piosque manes sacrificiis et orationibus juvare satagimus.

(*a*) Docet id Liber Genesis de Sara c. XXIII. de Abrahamo c. XXV. 9. De Isaaco c. XXXV. 29. De Ja-

cobo c. XLIX. 29. De Josepho c. L. 24. Exod. XIII. 19. Quæ exempla ad religionem christianam eleganter applicat Concilium Atrebatense an. 1025. tit. 7. apud Hartzh. T. 3. pag. 85.

(*l*) Deuteron. XXVIII. 26. l. 1. D. de Cadaverib. punitor.

§. 359. Ritus sepulturæ varii sunt, ceu lotio cadaveris, unctio, decens compositio et vestitus, usus luminarium, piæ preces et vigiliæ, exornatio funeris, comitatus et cantus lugubris funus ducentium, oblatio sacrificii, oratio funebris, ceremoniæ, quibus tumulo infertur cadaver. Siquos istiusmodi ritus adhibuerunt Ethnici, nequit continuo inferri, eos superstitiosos esse, aut ex ethnica superstitione primam duxisse originem; cum prior superstitione fuerit vera religio, et ab hac multi ritus manarint ad Ethnicos, fabulis dein, et superstitionibus incrustati. Siquis usus contra rationem aut sanctitatem religionis prave irrepsit, merito reprehenditur, tolliturque. Sic I. prohibetur immoderatio luctus, planctusque. I. Thessal. IV, 12. can. *ubicunque*. 26. XIII. q. 2. Concilium Tolosanum an. 1590. P. 2. c. 10. *de cura pro mortuis agenda*, ait: *Lamenta illa, ejulationes, et ut ita dicam, adumbratæ illæ Præficarum antiquitatum næniæ ab Ecclesia jussu Episcopi arceantur.* II. Incisiones carnis super mortuo, vetantur Levit. XIX. 28. III. Exenteratio et decoctio in aquis bullientibus pro commodiore transportatione ossium, prohibetur Extrav. 1. h. t. int. comm. IV. L. 113. §. 5. D. de legat. 1. deciditur, *ineptas voluntates defunctorum circa sepulturam (veluti vestimenta, aut siqua alia supervacua, ut in funus impendantur, non valere.* Adde l. 40. §. 2. D. de auro et argent. leg. et c. 3. h. t. V. Acute observat P. Zech de Sepulturis

§. 505. „ Cupit Ecclesia honorificam sepulturam pro conditione personarum, non tamen vanam, nec superbam, præsertim in illis tumulandis, qui ultra vires hereditatis debita relinquunt. "

§ 360. Illatione cadaveris facta etiam a privatis, Jure Romano locus fiebat *Religiosus*. §. 9. Inst. de rer. divisione. toto tit. D. et C. *de Religiosis, et sumtibus funerum*. Hodierno jure locus *Religiosus* non fit sine auctoritate ecclesiastica, per quam is, sine consecratione quidem, divino tamen cultui, et piis usibus destinatur. c. 4. de religios. domibus. Ejusmodi est monasterium, hospitale auctoritate Episcopi erectum, *cœmeterium*, id est; vi græcæ vocis *Dormitorium* (*c*), quod apud Catholicos piis ritibus initiari, et sacra benedictione ab usibus profanis eximi, atque ad tumulanda Fidelium cadavera destinari solet. De pollutione et reconciliatione Ecclesiæ vel cœmeterii agitur ad tit. *De consecratione Ecclesiæ vel altaris*. Illud notandum, non quamvis *profanationem* Ecclesiæ vel cœmeterii dicendam esse pollutionem; cujus effectus is est, ut, antequam reconcilietur, cadaver in eo sepeliri non debeat. Sine expresso canone Ecclesia vel cœmeterium pro pollutis habenda non sunt. Ex causa sepulturæ Ecclesia vel cœmeterium polluitur per sepulturam cadaveris pagani, aut notorie excommunicati (*d*). De Immunitate vero Ecclesiarum et cœmeteriorum agitur tit. penultimo hujus libri. In Digestis et Codice speciales extant tituli *de Sepulcro violato*. Cœmeteria Judæorum *contra malorum hominum pravitatem et avaritiam* singularis canonis sanctione a violatione defenduntur sub pœna infamiæ, privatione officii, vel excommunicatione. c. 9. de Judæis.

(*c*) S. Hieronymus adversus Vigilantium ita inquit: *Sancti non appellantur mortui, sed dormientes: unde*

et Lazarus, qui resurrecturus erat, dormisse perhibetur, et Apostolus vetat Thessalonicenses de dormientibus contristari.

(1) Id post constitutionem Martini V. in Concilio Constant. de notorio percussore Clerici, et de excommunicato *Denuntiato* omnino tenendum est, nisi ante mortem vel absoluti fuerint, c. fin. h. t. vel saltem signa pœnitentiæ dederint, et absolutionem post mortem ritu ecclesiastico obtinuerint. c. 28. de sent. excommun. De excommunicatis toleratis, etsi privari debeant sepultura ecclesiastica, tamen id intelligi non debet; quia alii fideles innocentes, quibus favet constitutio Martini V. ob molestias propinquorum defuncti rationabiles causas habere possunt, ut cum defuncto communicent quoquo modo, sicut communicare cum vivo poterant. Cessat ergo ratio allegata a P. Reiffenstuel §. 3. n. 85. h. t. Illud certum est, excommunicato occulte, sepolturam negari non posse, cum talis denegatio sit publica, quæ publicam requirit causam.

§. 361. *De Jure ecclesiasticæ sepulturæ* regula est: Omnes et soli fideles baptizati, in loco sacro sepeliri possunt, ac debent, nisi a Jure prohibeantur. Excluduntur ergo vi regulæ omnes non baptizati, ceu Judæi, Turcæ, Ethnici. Eodem pertinent infantes sine baptismo decedentes, et catechumeni, etsi Ecclesia pro iis oret, si credentes decesserint; uti colligitur ex S. Ambrosio de obitu Valentiniani (*e*).

(*e*) Si mulier prægnans obit, non humatur, antequam partus ei excidatur. l. 2. D. de mortuo inferendo. Si dein partus reperitur mortuus, sepelitur cum matre, etsi is baptismum non acceperit. *Partus enim, antequam edatur, mulieris portio est, vel viscerum.* l. 1. §. 1. D. de inspic. ventre.

§. 362. A Jure prohibentur sepeliri fideles quidam, id est, qui Sacramentum fidei ali-

quando perceperunt, ex gemino principio. 1. Quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus (§. 358. in fin.). 2. Ut ostendatur odium publici sceleris, et incutiatur horror peccati reliquis fidelibus. Ad primam classem pertiuent I. Hæretici, eorumque receptores, defensores, fautores. c. 8. et 13. §. 5. de Hæreticis. c. 2. eod. in 6. II. Notorie excommunicati (360. nota 2.). III. De nominatim interdictis eodem modo disserendum, uti de excommunicatis. Clem. 1. h. t. IV. Huc pertinent, qui se ipsos quodammodo excommunicant, id est, qui per annum integrum Confessionem sacramentalem, et tempore Paschali S. Synaxin sine justa causa omittunt (*f*).

(*f*) C. 12. de pænit. et remiss. Hæc tamen pæna omissæ Communionis non est latæ sententiæ, et a parocho, quia jurisdictionem in foro externo non habet, propria auctoritate infligi nequit. Van-Espen p. 2. tit. 4. c. 5. n. 17.

§. 363. Ad incutiendum peccati horrorem sepeliri prohibentur, I. qui in notorio ac certo peccato mortali absque pœnitentia decedunt. arg. can. *Pro obeuntibus*. 21. XIII. q. 2. II. Ex causa *homicidii*, mortui in torneamentis. c. 1. de Torneamentis. mortui in duello, etsi pœnitentes obeant (*g*), qui sibi ipsi voluntarie mortem inferunt. can. *Placuit*. 12. XXIII. q. 5. (*h*) III. Ex causa *injustitiæ* Usurarii manifesti, donec satisfecerint, quantum facultates ipsorum admittunt. c. 3. X. et c. 2. de usuris in 6. Religiosi proprietarii. c. 2. et 4. de statu monach. Qui decimas ad Ecclesiam pertinentes non restituunt. c. 19. de decimis. Si-

quod in casibus enumeratis dubium oritur, Ordinarius causa summarie cognita decidit.

(g) Concil. Trident. Sess. XXV. c. 19. de ref. Constit. Bened. XIV. quæ incipit: *Detestabilem*. Vid. Appar. V. C. Zaccaria ad Theol. et Jus Canonicum. Edit. Augustæ vind. 1783. pag. 318.

(h) Vid. Covarruv. variar. Resol. l. 2. c. 1. n. 11. Navarr. Consil. l. 3. Tit. de Sepult. cons. 6. Cadavera eorum, qui supremo supplicio afficiuntur, christiano ritu sepeliuntur, si pœnitentes obeant, et magistratus concedat.

§. 364. Qui indignos sepeliunt in loco sacro, graviter peccant, et quidem, si excommunicatos publice, et nominatim interdictos, vel usurarios manifestos, hæreticos, vel aliorum etiam corpora in cœmeteriis interdicti tempore, scienter sepelire præsumunt, excommunicationis sententiæ subjacent. c. 2. de Hæret. in 6. Clem. 1. h. t. Siquis excommunicatus (quod de vitando solet intelligi), aut paganus in loco sacro sepultus fuerint, cadaver illius, si ab aliorum corporibus discerni possit, exhumari, indeque projici debet. c. 12. h. t. et cit. c. 2. de Hæret. in 6. De pollutione Cœmeterii vid. §. 360. et ib. not.

§. 365. *De jure eligendi sepulturam*, notandum: I. Cuivis, qui jure sepulturæ gaudet, regulariter competit jus eligendi locum: si nullum elegerit, infertur in sepulcro Majorum, siquod tale extat, et cadaver eo transportari possit; demum his deficientibus proprius locus est cœmeterium Ecclesiæ parochialis. Hæc generalia sunt, mox explicanda singilatim. II. Ex privilegiis Summorum Pontificum Ecclesiæ fratrum Prædicatorum, et Minorum S. Fran-

cisci habent jus sepeliendi, eos nempe, qui apud ipsos sepulturam elegerint. Ea privilegia hodie juri communi inserta (*i*), et deinceps plerisque aliis Regularibus vel per specialem concessionem, vel per communicationem impertita sunt, non tamen Monialibus, nisi nova accedat licentia (*k*). III. Cum autem hæc privilegia in præjudicium Ecclesiæ parochialis, ejusque jurium vergant, hinc *primo* a Pontificibus gravissime prohibitum fuit, ne Religiosi aliquos ad vovendum, jurandum aut promittendum inducant, ut sepulturam in ipsorum Ecclesiis eligant, vel jam electam ulterius non immutent. c. 1. h. t. in 6. Clem. 3. § sane. de pœnis. *Secundo.* Illis privilegiis inest clausula *Salva justitia Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur*: id est, Ecclesiarum *Parochialium* quibus corpora Parochianorum jure communi quodammodo addicta jam sunt. *Tertio.* Ex hac clausula inserta privilegiis, quæ per se videntur odiosa, videtur sequi, corpus defuncti primo ad Ecclesiam parochialem deportandum esse, ut ibi celebreutur exequiæ præsente corpore, antequam deferatur ad locum electæ sepulturæ. Sed consuetudo hac quidem in re valet plurimum.

(*i*) Clem. 2. §. hujusmodi. Extrav. 2. inter com. h. t.
(*k*) Zech. de Sepulturis §. 510.

§. 366. Electio sepulturæ regulariter cuivis competit. c. 6. X. et c. 2. in 6. fine præjudicio tamen canonum aut eorum, qui propriam habent Majorum sepulturam. Siquis talem habeat ipsemet, non prohibetur aliam eligere, nec propterea dimissæ Ecclesiæ, nisi sit parochialis, tenetur solvere portionem canonicam. c. 2. in 6. Eligi potest sepultura in loco etiam *minus*

religioso, id est: eo, in quo non est Religiosorum fratrum conventus, nec frequenter Missarum solemnia celebrantur. cit. c. 2. §. 1. in 6. (*l*) Uxor non obstante mariti potestate eligere sepulturam potest. c. 7. h. t. ibi: *Cum electio ista ad eum potius statum pertineat, in quo mulier solvitur a lege viri.* Si sepulturam non eligat, et plures habuit successive viros, *est cum viro ultimo, cujus domicilium retinet et honorem, tumulanda*, c. 3. §. 1. in 6. Extra casum electionis *unaquæque mulier sequatur virum suum sive in vita, sive in morte.* can. *Unaquæque.* 3. *et* can. præc. 2. XIII. q. 2. Nec filiofamilias obstat patria potestas, quo minus sepulturam sibi eligat, modo pubes cit. c. 4. in 6. ubi additur: *Pro anima tamen sua præter ipsius* (patris) *assensum, nisi peculium castrense aut quasi castrense habeat, aliquid judicare non potest* (*m*). Impuberi filio pater eligere sepulturam potest, si consuetudo loci id habet. At *ubi consuetudo hujusmodi non habetur, impuberes sunt cum suis Majoribus, vel in parochiali Ecclesia tumulandi*. cit. c. 4. in 6. *Religiosi, nisi a propriis monasteriis adeo forsitan sint remoti, ut ad ea, cum moriuntur, commode portari non possint, nequeunt* (*cum velle vel nolle non habeant*) *sibi eligere sepulturam, sed sunt apud sua monasteria tumulandi*. c. fin. in 6. Excipi solent Abbates, qui circa regimen conventus, et sui ipsorum potestate atque arbitrio regendi pollent. Non placet exceptio; quia ea potestas alligata est ad canones et regulas ordinis; nec per Prælaturam eximuntur a generalis dispositione hujus canonis. Ceterum electio sepulturæ, etsi per ultimam voluntatem fiat,

non poscit ullas solemnitates; cum sit species mandati post mortem exequendi. §. 326. n. II.

(*l*) Ita l. c. decidit Bonifacius VIII. addens: *Licet Jura super hoc videantur esse diversa.* Nam Innocentius III. in Decretalibus c. 3. h. t. ait, pro sepultura eligi non posse *loca nova*, et *minus religiosa*, intelligens fortassis loca *profana*, uti contextus videtur indicare.

(*m*) Id est, ultima voluntate reliquere, quæ nomine *judicii* denotatur.

§. 367. Si quis sepulturam non eligit, apponendus est ad Majores suos, id quod institutis SS. Patrum V. T. maxime consentaneum est. c. 1. et 3. X. et c. 3. in 6. Secus tumulatur in Ecclesia parochiali; in qua *officia consuevit audire et ecclesiastica recipere sacramenta* (c. 2. in 6.), saltem tempore Paschali, et ante obitum. Hi enim censentur Parochiani hoc loco, etsi intra districtum Parochiæ duntaxat quasi domicilium nacti sint. Siquis habens domicilium in civitate vel castro ruri obit, non ibi, sed in sepulcro Majorum, vel parochia sepelitur, *dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari.* c. 3. in 6. Siquis alienum parochianum sepelivit, et sic falcem misit in messem alienam, uti dicitur c. 5. h. t., restituere debet cadaver, et quidquid occasione sepulturæ recepit. c. 5. et 6. h. t.

§. 368. *Justitia* Ecclesiæ parochialis, uti appellatur c. 9. h. t. consistit in jure percipiendi certam partem ex oblationibus et aliis, quæ ratione sepulturæ extra parochiam electæ obveniunt alteri Ecclesiæ. Ea pars appellatur *quarta funeralis et portio canonica.* c. 2. in 6.; et c. 1. dicitur pars *tertia* c. 2. pars *media.* c. 8. pars

quarta. Demum Clemens III. c. 9. decidit, attendendum esse ad consuetudines locorum (*n*).

(*n*) Tuentur sane Parochi iura sua canonibus aut legitima consuetudine nixa. Sed quis legitimam dicat consuetudinem, qua Parochi jura mortuarii exigunt, si alienum cadaver per districtum parochialem transvehitur forte in patriam suam, aut ad sepulcrum Majorum? Reditus stolæ, siquos consuetudo invexit, non dantur, nisi propter ministerium sacrum; et c. fin. de paroch. prohibetur parochis, *ne ab eis spiritualia exigant, quibus spiritualia non ministrant.* Conf. Zech de sepult. §. 512. et L. B. de Kreittmayr Adnot. in Cod. Bav. p. 2. c. 1. §. IV. n. 15.

TITULUS XXIX.

DE PAROCHIIS, ET ALIENIS PAROCHIANIS.

TITULUS XXX.

DE DECIMIS, PRIMITIIS, ET OBLATIONIBUS.

ARGUMENTUM.

I. Notio Parochiæ §. 369. *II. Decimarum varia divisio, et natura.* §. 371. *III. Quis teneatur solvere.* §. 383. *IV. Immunitas a solutione* §. 388. *V. De jure accipiendi Decimas.* §. 392. *VI. Decimae Novalium.* §. 398. *VI. Judex in causis decimarum.* §. 401.

§. 369. PAROCHIA in antiquis monumentis ecclesiasticis omnem districtum denotat, uni Episcopo subjectum, quem hodie diœcesin sumimus. Hoc sensu *Parochia*, *Paraecia* indeque dictus *Parochianus* videtur sumi c. 3. 4. et 5. de Parochiis. Contranomen *Dioecesis* sæpte usurpatum reperimus pro Ecclesiis ruralibus extra civitatem et Sedem Episcopi constitutis (*d*). Ex græca origine *Paraccia* denotat plurium domo-

rum viciniam, et districtum parochialem hodierno significatu exprimit, sive potius coetum fidelium, cui præest Presbyter ad curam animarum, intra certos limites ex officio exercendam, auctoritate ecclesiastica deputatus.

(*a*) In Collatione Carthaginensi anni 411. Cognit. 1. c. 176. de districtu cujusdam Episcopi dicitur: *Unitas illic perfecta est, non solum in ipsa civitate, verum etiam in omnibus diœcesibus*, *h.* e. omnibus Ecclesiis per villas et vicos constitutis. Concil. Edit. Mansi Γ. IV pag. 134.

§. 370 Qui hodie *Parochus* nuncupatur, in Jure nostro nunc simpliciter vocatur *Presbyter* (*b*), nunc *Rector Ecclesiae* c. 3. de Clerico ægrot. *Sacerdos, qui in paraeciali Ecclesia praelationis officio fungitur.* c. 4. ib. *Plebanus*, c. 3. de offic. judic. ord. et c. 5. de Statu monach. *Parochialis Ecclesiae curatus* Clem. 2. v. *Verum ne Parochiales.* de Sepult. Hinc qui latinitatem amant, Parochos vocant, *Curiones* sacros, a *cura* vel *curia*, quæ vox ipsa derivatur a *cura* ex antiqua Romanorum nomenclatione, quorum urbs in plures curias fuit distincta, quæ nostro tempore vocarentur *paraeciae.*

(*b*) C. 2. h. t. ubi Presbyteri diebus dominicis et festis, antequam Missam celebrent, plebem interrogare jubentur, an alterius paræcianus in Ecclesia sit, *qui proprio contemto Presbytero ibi velit Missam audire: quem si invenerint, statim ab Ecclesia abjiciant.* Qui ex hoc loco, et similibus aliis inferunt, parochianos obligationi non facere satis, qui in Ecclesiis Religiosorum praescripto Sacrificio ac divino cultui intersunt; idem de aliena quavis parochia affirmare debent. Sed ab aliis parochis tam alieno animo fere non sunt, ac a Religiosis, quorum tamen opera utuntur perpetuo. Ceterum jura spiritualia Parochorum per omnes Decretalium libros disperguntur; quare necesse non est, ut uno hoc colligantur loco; cum praesente titulo temporalia ipso-

rum jura attingantur maxime, et c. 4. statuatur, ne a parochianis, qui domicilium mutarunt, et nihil spirituale ab ipsis jam percipiunt, quidquam temporale exigant.

§. 371. In temporalibus Parochorum juribus præcipuas censent *Decimas*; qua voce denotatur decima pars fructuum et lucrorum juste quæsitorum Ecclesiæ ministris solvenda. Sunt autem Decimæ I. *Reales*, aut *Personales*. Reales præstantur ex fructibus, quos natura profert tum spontanea fere bonitate, tum adjuta hominum industria; ceu Decimæ frumenti, vini, olerum, pomorum, fætuum, rerumque ex animalibus provenientium, nempe lactis, lanæ, ovorum, mellis, butyri, casei. Nam *in pecudum fructu etiam fœtus est, sicut et lac, et pilus, et lana.* l. 28. D. de Usuris. Istiusmodi etiam vocantur Decimæ *Prædiales*, utpote ex prædio, et solo profectæ; eodemque referuntur fructus civiles, percepti ex locatione, jure emphyteutico, censibus laudemiis etc. *Personales* sunt, quæ penduntur ex lucris industria, arte, ingenio partis. Quo referuntur lucra ex artefactis, negotiationes, salariis ratione offici, dignitatis, mercibus locatæ operæ stipendiis militiæ, spoliis hostium, pecunia redacta ex venatione, aucupio, piscatu (*c*).

(*c*) Interest inter hanc utramque speciem: nam reales debentur expensis non deductis, et illi fere Ecclesiæ, intra cujus fines proveniunt fructus. Personales non debentur nisi deductis expensis; secus enim non intelligitur lucrum: ac debentur illi Ecclesiæ, intra cujus fines habitat is, qui lucrum percipit. Accedit, quod Decimae personales maximam partem desierint contraria consuetudine. Ceterum hae binae Decimarum species distinguuntur c. 20. h. t. Neque necesse est, *Mixtas* addere, id est, tum natura, tum industria hominum provenientes. Quid est enim, quod nullam fere poscat industriam, forte poma et fœnum; et tamen multi alii fructus referuntur ad Decimas reales; ad quas etiam

mixtas referunt ipsi auctores, qui eas a praedialibus nomine distinguunt.

§. 372. II. Reales Decimæ aliæ vocantur *Majores*, ex frumento, vino, oleo. Aliæ *Minores* seu minutæ olerum, pomorum, leguminum. c. 30. Distinctio necessaria est; quia fit non raro, ut intra eundem districtum uni majores, alteri minores debeantur; ac tum consuetudo locorum fere definit, utram ad speciem certi fructus referri debeant.

§. 373. III. Sunt. Decimæ *antiquæ* jam ante præstari solitæ. Sunt *Novales* ex fundis recens ad culturam redactis; de quibus speciatim agetur. IV. Sunt Decimæ *ecclesiasticæ*, quæ ex titulo spirituali percipiuntur: sunt *Laicales*, et quidem *stricte*, quæ origine sua profanæ sunt; quales olim Domini imposuerunt suis prædiis loco tributi, pensionis vel canonis annui. Aliæ *minus stricte laicales*, quæ origine sua et institutione titulum spiritualem habuerunt: ab eo dein auctoritate ecclesiastica legitime separatæ Laicis concessæ sunt. Quæ laicis locantur, aut in feudum vel emphyteusim conceduntur, titulo spirituali, et jure directo manente penes Ecclesiam; ad *ecclesiasticas* sine dubio referri debent.

§. 374. Decimæ *materialiter* acceptæ, sunt ipsi fructus et lucra: *formaliter* est jus eas percipiendi. In Decimis ecclesiasticis istud jus est spirituale, seu spirituali *annexum consequenter*; quia ex titulo spirituali, nempe ex officio sacro, cui annexum est, provenit. Nam I. docet ipsa religio naturalis, multoque distinctius revelata, atque adeo usus seu jus gentium etiam ethnicarum, supremo Deo, bonorum omnium Largitori, quidquam ex iis, quæ ipsius dono percipimus, ad ejus cultum referendum esse, tum ut universale ejus dominium profiteamur,

tum ut eidem animo grato ac submisse in acceptis referamus ea, quæ ipsius beneficentia, providentiaque multo magis, quam nostro labore percipimus. II. Eadem docente religione naturali et revelata, et gentium consuetudine, ea, quæ Deo sic offeruntur ad ipsius cultum, impenduntur in sacrificia, aliosque obeundæ religionis necessarios sumtus, et maxime ad sustentandos ministros religionis. Hinc Paulus I. Cor. IX. explicans præceptum naturale et divinum ait: *De altari* (in quo fere oblationes fiunt) *participant, qui altari deserviunt; et de sacrario edunt, qui in sacrario operantur.* Titulus ergo participandi de altari, edendi de sacrario est spiritualis, fundatus in officio, et ministerio sacro (*d*).

(*d*) Hæc doctrina eleganter exponitur c. 22. 26. 33. h. t. et c. 16. de præbend.

§. 375. Ex his inferes corollaria momenti maximi. I. Quia jure naturali et divino generatim præceptum est, ut conferantur sumtus ad obeundam religionem, atque alendos ejus ministros necessarii, sacrosancta Ecclesia, quæ divino regitur Spiritu, pro accepta divinitus potestate disponendi circa causas religionis et ministrorum ejus, recte instituit Decimas, easque adhibitis etiam sacris pœnis præstari jubet, cogitque. c. 5. 6. 7. 14. 26. h. t. Cumque ex debito præstandæ sint Decimæ, juste damnata fuit propositio 18. Wiclefi: *Decimæ sunt puræ eleemosynæ: et possunt Parochiani propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre.* Porro *Debitum*, sive obligatio præstandi Decimas fundatur in virtute religionis, quæ ipsa justitiæ pars est, qua debitum cultum Deo deferimus, ut docet S. Tho-

mas 2. 2. q. 8. et q. 81. art. 5. Si cui dein Decimæ auctoritate Ecclesiæ assignatæ sint, is acquirit jus perfectum eas exigendi, et capiendi, cui juri respondet obligatio Decimas præstandi, ac siquid de iis subtractum vel retentum est, compensandi. c. 7. h. t. Qui Decimas ex *justitia commutativa* deberi ajunt, non id volunt, quasi inter Colonum, qui Decimas præstat, et Parochum, qui ex debito exigit, intercederet commutatio aut compensatio pro functionibus parochialibus; sed quod assignatione Decimarum per Ecclesiam facta Parocho, is jus perfectum ad Decimas acquirat; quale jus non tantum ex contractibus onerosis, sed etiam ex lege oriri potest. *Finis* Decimarum est cultus divinus: jus vivendi ex Decimis, easque administrandi proxime oritur ex auctoritate et determinatione Ecclesiæ.

§. 376. II. Si quæritur, anne et cui debeantur Decimæ, eæ causæ ob titulum spiritualem et jurisdictionem Ecclesiæ ad forum ecclesiasticum pertinent. III. Ob eundem titulum spiritualem laici sunt incapaces juris directi Decimarum ecclesiasticarum, idque sine simonia pretio temporali emi vendi non potest; cum enim illud jus titulo spirituali annexum sit, nec sine eo existat; dici debet: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.* can. *Siquis.* 7. I. q. 3. IV. Fieri tamen potest, ut titulus spiritualis a jure Decimarum separetur auctoritate legitima, et sic illud jus alienetur, ac profanum fiat, sic, ut Ecclesia omni deinceps jure privetur: quod non item contingit, si Decimæ in emphyteusin, aut feudum dantur.

§. 377. V. Obligatio solvendi Decimas prædiales ex natura sua est onus immediate inhæ-

rens fructibus, non prædiis, nisi quatenus hæc virtute sua continent fructus. Id manifestum est ex c. 28. ibi: *Fructus autem ipsos alienari non posse credimus, nisi cum onere Decimarum.* et c. 33. ibi: *Hi, ad quos census vel tributa indecimata pervenerint (quoniam res cum onere suo transit), ea — decimare cogantur.*

§. 378. VI. A Decimis titulo spirituali nixis, de quibus agitur hoc titulo, longe differt illud Decimationis genus, quod nonnunquam in gravi reipublicæ aut Ecclesiæ necessitate imponitur reditibus beneficiorum, piarumque causarum auctoritate Summi Pontificis; quodque rationem collectæ, aut subsidii caritativi habet. De hoc genere memorabiles declarationes extant Clem. 2. et Extrav. un. int. com. h. t.

§. 379. Explicata natura Decimarum ecclesiasticarum, ejusque consectariis respondendum est ad objecta quorundam. I. Si obligatio præstandi Decimas ex ipsa deducitur religione, sequitur, eas esse *juris divini* in novo etiam Testamento. De veteri enim id constat. At vero Decimas esse divino jure debitas vix est præter P. Reiffenstuel, qui asserere ex Recentioribus audeat. R. d. M. Obligatio quidquam conferendi ad Dei cultum, ejusque ministros sustentandos, quatenus propria offerentis necessitas patitur, et necessitas religionis exigit, est juris divini tam naturalis, quam positivi, c. Obligatio id præcise faciendi præstatione Decimarum, est juris divini, n. Alii ajunt, ejusmodi obligationem esse juris divini quoad *substantiam*, non autem *modum*; quia obligationes naturales positivæ, et multæ etiam obliga-

tiones Juris divini in nova Lege quoad modum quantitatem, frequentiam actuum etc. fere sunt indeterminatæ. Quæres, cur Decimæ dicantur *non ab hominibus sed a Deo institutæ.* c. 14. et c. 5. in part. decisa. h. t. R. 1. Quia, ut dictum est, quoad substantiam, sive obligationem conferendi aliquid ad Dei cultum, sunt juris divini; ut adeo præceptum Ecclesiæ, id exequendi præstatione Decimarum, sit mera determinatio Juris divini. 2. Quia id præceptum ecclesiasticum præstandi Decimas, ad imitationem divini Juris in V. T. est introductum; ac per se gravissima, et naturali ratione nititur, profitendi Dominium universale Dei, gratumque animum testificandi erga Largitorem bonorum omnium.

§. 380. II. dicunt. Lex Decimarum V. T. politica fuit seu Judicialis, quæ promulgata per orbem lege Christi penitus cessavit; ergo a veteri lege argumentum pro justitia Decimarum duci non potest. a. p. Tribus Levitica divinis ministeriis mancipata in V. T. et jure Decimarum a Deo donata nullam partem in divisione terræ promissæ nacta est. Unde conveniens erat, ut sustentaretur Decimis reliquarum tribuum, quibus tantundem fere accrevit ex portione terrarum, quantum tribui Leviticæ obtigisset. Lex ergo Decimarum V. T. mere politica fuit, seu in singulari constitutione Status Judaici fundata. R. 1. d. a Lex Decimarum V. T. fuit *politica*, quadam parte, et simul *moralis*, nixa ratione perpetua profitendi universale Dominium Dei, et ex donis ab eo datis quidquam conferendi ad summum ipsius cultum; c. fuit mere politica. n. Non dico, eam legem vigere nunc vi Mosaicæ promulgationis,

quæ ad solum populum Israeliticum pertinebat; sed tum generali divino Jure, tum speciali ecclesiastico. Hinc indulgente vel approbante Ecclesia in quibusdam provinciis præsertim Orientis Decimarum usus non est; quod colligitur ex c. ult. de Paroch. ubi Papa ait: *Si agri in eorum parœcia constituti fructus percipiunt, et in ultramarinis provinciis ratione prædiorum Decimæ persolvuntur.* et c. 32. h. t. ibi: *In aliquibus regionibus quædam permistæ sunt gentes, quae secundum suos ritus Decimas de more non solvunt, quamvis censeantur nomine Christiano.* R. 2. Si lex veteris Testamenti nihil prorsus ad nos pertinet, ne ex morali quidem ratione; cur Patres, cur Concilia toties ad legem V. T. provocant? uti patet ex iis, quæ Thomassinus recenset p. 3. l. 1. c. 4. et seqq. Imo cur Paulus in epistola I. ad Corinthios. C. IX. scripta circa an. 56. diffuso jam Evangelio, et extincta lege, de qua antea ad Galatas scripserat: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*; cur, inquam, Paulus ex veteri lege argumentatus est? Cur addit: *Propter nos haec scripta sunt*; *et* distincte omnino: *Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere* (e).

(e) S. Thomas 2. 2. q. 87. art. 1. legem veterem Decimarum partim judicialem fuisse, partim moralem docet.

§. 381. III. dicunt: Nulla est ratio, cur *præcise decima pars* fructuum et lucrorum Deo offeratur, et Dei ministris præstetur. R. 1. Vox, *decimæ*, non ita præcise sumenda est semper; quia oblationes ex fructibus et emolumentis pro divino cultu ministris Ecclesiæ solvendæ ali-

quando Decimæ appellantur, licet ex consuetudine aut speciali lege non determinate præstetur pars *Decima*, sed vigesima, aliquando etiam pars minor; imo vox *decimarum* nonnunquam pro quovis censu clericis præstito intelligenda est (*f*). 2. Cur Abraham Melchisedecho, qui erat *sacerdos Dei altissimi*, DECIMAS *dedit ex omnibus*, quæ de manibus quinque regum eripuerat? Genes. XIV, 20. Cur Patriarcha Jacob profecturus in Mesopotamiam pro felici reditu vovit Deo: *Cunctorum, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi*? Genes. XXVIII, 22. Cur Deus per Moysen præcepit: *Decimas tuas, et primitias tuas non tardabis reddere*? Exod. XXII, 29. Cur apud Ethnicos toties occurrit votum solvendi *Decimas* Herculi, et Diis aliis? l. 2. §. 2. D. de Pollicit. Sed Philosophis nostri ævi forte satisfaciet id, quod secundum Platonicos numerus Decimus perfectissimus sit; qui omnes inferiores continet, et per quem superiores numerantur.

(*f*) S. Cyprianus epist. 66. Clericos comparans Levitis V. T. eos in *honore sportulantium fratrum tanquam decimas ex fructibus accipere ait*, id est, ex reditibus Ecclesiæ perinde sustentari, ac olim Levitæ alebantur ex Decimis.

§. 482. IV. Ajunt: Doctrina Canonum de Decimis non est generalis, nec adhiberi potest ad Decimas stricte *laicales*, cujusmodi fuerunt Decimæ *Dominicæ* seu Dominicales, quæ a subditis tributi loco Principibus præstabantur, uti patet ex antiquis monumentis Regum Francicorum, imo ex S. Scriptura, I. Reg. VIII. 15. 17. Jus ipsum Romanum varia profanarum Decimarum genera recenset. Nec, inquiunt, Canonum doctrina applicari potest ad casum,

quo ambigitur, utrum Decimæ ex prima origine fuerint laicales, an ecclesiasticæ; quia præsumi potest, esse laicales ex primæva institutione, aut a titulo spirituali penitus avulsas. R. Non nego, extitisse jam olim Decimas stricte laicales, earumque genera quædam exhiberi in Romano Jure, et antiquis monumentis: ajo etiam, ad has non pertinere doctrinam Canonum. At in dubio, quales ex primæva institutione fuerint Decimæ, cum communi Auctorum sententia statuo, præsumendum esse, eas ex prima origine fuisse ecclesiasticas. 1. Quia præsumtio fit ex iis, quæ frequentius, et quæ ex generali lege et consuetudine contingunt. At constat, multo maximam partem Decimas fuisse ecclesiasticas, easque generali lege et consuetudine solutas fuisse, et debuisse solvi. De qua re abundant acta Conciliorum cujusvis ætatis, Decreta Pontificum, scripta Patrum, aliorumque Auctorum. 2. Quia constat, plurimas Decimas, quæ in manibus fuerunt laicorum, et origine et prima institutione fuisse ecclesiasticas, et ad laicos pervenisse aliquando ex causa in Ecclesiæ commodum redundante, e. g. propter expeditiones bellicas contra barbaros, propter defensionem Ecclesiarum: aliquando ex injusta Nobilium usurpatione, obtentu defensionis Ecclesiarum, aut etiam prædæ, præsertim turbulentis illis temporibus, quando Romani Pontifices et Imperatores inter se collisi, Episcopos etiam Germaniæ in varias distraxerunt partes, bonaque Ecclesiarum deprædationi militum exposuerunt. Locus non est, pluribus verbis ista exponendi. Ceterum plena Decimarum a titulo spirituali avulsio, cum per Canones generatim prohibita sit, ne fiat, nisi rarissime; præsumi non potest, sed probari debet ab iis, qui suam intentionem in ea fundant.

§. 383. Esposita natura Decimarum, prima est quæstio, quis obligetur eas solvere, quibus ex rebus, et quo modo. Eodem pertinet immunitas a solvendis Decimis juste acquisita. Generalis regula est: *Fidelis homo de omnibus, quæ licite potest acquirere, Decimas erogare tenetur.* c. 23. nisi nempe juste sit exemtus. *Ad Prædiales* tenetur, qui titulo profano fundos possidet in districtu Ecclesiæ, vel Parochiæ, cui Decimæ debentur. *Ad Personales*, qui ab Ecclesia Sacramenta percipit. At his fere obstat contraria consuetudo, saltem quoad determinatam partem decimam. Equidem non dubito, quin multi gravibus per omnem vitam distenti laboribus ac curis longe uberiores haberent proventus, si liberaliores se, magisque gratos erga Largitorem omnium bonorum exhiberent. Vestigia Decimarum personalium videntur relicta in reditibus stolæ, in mortuario, in nummo a confitentibus in Paschate dari solito, aliisque Parochorum exiguis sportulis, quarum criminatores veteri usu personalium Decimarum facile refelli possunt.

§. 384. A generali lege Decimarum prædialium descendendum est ad particulares decisiones Canonum. Ac 1. Reges etiam ac Principes ad eas tenentur. Capitular. de Partibus Saxoniæ. c. 16. Concil. Gratelean. in Anglia an. 928. c. 1. Concil. Edit. Mansi T. XVIII. col. 351. Cum ergo Principes hac obligatione se ipsos solvere nequeant; nec alios poterunt. c. 25. 2. Religiosi, nisi habeant privilegium. Quo extante tenentur tamen ad Decimas ex fundis jam antea Decimarum juri obnoxiis, ex generali ratione, quod bona non debeant transire ad alios cum præjudicio Decimatoris ordinarii. c. *nuper* 34.

h. t. Fieri tamen potest, ut Religiosi quidam etiam quoad hoc onus specialiter sint privilegiati, si nempe juri communi cit. c. 34. expresso aperte derogetur. 3. Ob cit. regulam jubentur Judæi, adeoque et alii infideles, *ad Decimas persolvendas, vel possessiones penitus renuntiandas.* c. 16. prohibendo scilicet, ne Judæis aliter vendantur prædia, nisi cum onere Decimarum, *ne forte occasione illa Ecclesiae valeant suo jure fraudari.* cit. c. 16. h. t. et c. 18. de Usuris. Ex simili ratione c. 17. de excessib. Prælat. indicatur, de Judæorum domibus quidpiam exigi; eoquod, nisi Judæi ibi morarentur, ab aliis habitatoribus proventus aliqui Parochis obtingerent (*g*).

(*g*) Singulari constitutione Imperii Cathol'cis reservantur Decimæ ex territorio alieno Acatholicorum antiquitus debitæ. P. Westph. Osnabrug. Art. 5. §. 46.

§. 385. Bina moventur dubia ad hunc locum pertinentia. I. Si debitor Decimarum obit non solutis Decimis, aut fundum decimabilem distrahit; utrum successor obligetur solvere Decimas? R. Successor universalis tenetur ad solvendas Decimas a testatore non solutas; quia una cum illo persona est: nequaquam autem successor particularis, qui emtione, permutatione etc. fundum acquirit. Quia obligatio solvendi Decimas immediate et directe inhæret fructibus, contra ac tributa, quæ inhærent rebus. Qui ergo fructus non percepit, Decimas solvere non tenetur (*h*). II. Si fundus Decimabilis locatur; quæritur, utrum locator, an conductor seu colonus obligetur præstare Decimas? De solo colono agit c. 8. et Clem. 1. h. t. de solo locatore c. 11. de utroque c. 14. et 26. Hæ tamen decisiones contrariæ non sunt, sed

conciliantur per c. 32. et 33. Dispiciendum nempe est, uter eorum integros aut partiales percipiat fructus, atque idcirco integras, vel partiales solvere Decimas debeat; quemadmodum distincte exponit Friderich de Decimis a. n. 116.

(*h*) Conf. §. 377. et Zech. de Decim. §. 46. et seq.

§. 386. De rebus, ex quibus præstandæ sunt Decimæ, spectari inprimis debet legitima consuetudo locorum: generatim autem, si in usu sunt Decimæ *personales*, eæ præstantur ex omnibus lucris, quæ active ex opere, labore, studio et humana industria juste acquiruntur. Non igitur debentur ex iis, quæ donatione, eleemosyna, hereditate, legato proveniunt. Talia enim non sunt fructus humanarum actionum. Lucra injusta et turpia Ecclesia rejicit, ne accipiendo Decimas videatur approbare. Decimæ *Reales* solvuntur ex omnibus corporalibus fructibus et proventibus rerum mobilium et immobilium. Si terra sæpius in anno fructus progignit, de singulis solvuntur Decimæ. c. 21. h. t. Videntur autem excipiendæ res minutissimæ, quæ ex privatis hortis, vivariis domesticis etc. percipiuntur non ad lucrum, sed usum proprium et quotidianum. Neque permittit æquitas, ut de re eadem solvatur duplex Decima. Qui ergo ex fœtibus ovium decimum agnum accipit, exigere non potest decimam partem lanæ ex ovibus tonsis, uti Decimæ non exiguntur simul ex baccis et ex oleo: ex manipulis frumenti in agro, et ex grano in horreo: ex uvis, et postea ex vino.

§. 387. De modo præstandi Decimas, cum ex justitia debeantur, eas præstari oportet, etsi

non exigantur; nec tacite pro remissis facile habendæ sunt, si tempore suo non petantur. Præstandæ sunt autem integræ sine diminutione. c. 4. 5. 8. 21. 23. 32. non deductis expensis et oneribus. c. 26. 28. 33. si nempe prædiales sint.

§. 388. De immunitate a solvendis Decimis deciditur I. Episcopus, Parochus, Clericus Beneficiatus de prædiis propriæ mensæ, Ecclesiæ, aut beneficii non tenentur lege Decimarum. c. *Novum genus.* 2. h. t. Additur ib. ***Illi profecto Clerici***, *qui a Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt*, *decimas eis debent.* Hæc verba videntur intelligenda de Clericis beneficium Ecclesiasticum non habentibus. II. Jure communi leprosi in commune viventes ad decimas de suis hortis et animalibus non tenentur. c. 2. de Eccles. ædif. III. Eodem jure, uti extat in corpore Juris, Religiosi *fere omnes de Novalibus suis. quæ propriis manibus*, *vel sumtibus excolunt*, *et de nutrimentis animalium suorum et de hortis suis decimas non persolvunt.* c. 10. Clem. 1. recensentur casus quatuor, quibus Religiosi Ecclesias, queis decimæ debentur, obtentu hujus privilegii fraudarunt, gravaruntque. IV. Communi ipso jure satis indicatur, immunitatem a solvendis decimis aliis præterea modis et titulis singularibus acquiri posse. c. 24. ibi: *Cum quilibet decimas solvere teneatur*, *nisi a præstatione ipsarum specialiter sit exemtus.* Ejusmodi tituli sunt Privilegium, consuetudo, præscriptio, pactum de non petendo, transactio, gratuita remissio de præteritis, aut futuris.

§. 389. Extra corpus Juris communis varii Religiosi varia exhibent privilegia non solvendi

decimas. De his notanda veniunt nonnulla de concessione privilegii, de interpretatione, de cessatione. I. Conceditur ex justa causa a Summo Pontifice, non ab Episcopo, multo minus a Laico c. 25. Facultas competit Episcopo ad tempus vitæ suæ remittendi decimas suæ mensæ debitas: interponendi decretum in legitima compositione super decimis: sibi retinendi vel alteri Ecclesiæ concedendi decimas ad nullam Ecclesiam spectantes, aut quas nunquam possederat c. 13. II. Interest inter privilegium *affirmativum* colligendi decimas, et *negativum* non solvendi. Illud ad novales generatim non extenditur: istuc vi verborum, et sensus proprii, licet odiosum sit, eximit a decimis antiquis et novalibus (*i*). III. Cessat privilegium, 1. si privilegiatus bona alienet in non privilegiatum; nisi ipsa prædia inde a tempore immemoriali gaudeant immunitate, a quocunque possideantur. 2. Si ex illo, progressu temporis ingens nascatur gravamen legitimis decimatoribus. c. 9. 3. Per non usum aut solutionem decimarum per tot annos, intra quos completur præscriptio contra privilegiatum. c. 6. et c. 15. de Privileg. 4. Contraria partium conventione legitime inita.

(*i*) C. 22. de privileg. Id tamen extendi non debet ad prædia conducta, et emphyteutica. c 8. et 12. neque ad colonos conducentes fundum privilegiatorum, nisi sit privilegium reale, quo ipse fundus exemtus est

§. 390. *Consuetudo* legitime præscripta, et 40 saltem annis continuata præstationem decimarum imminuere, et tollere omnino potest; etsi et ipsa tolli possit lege ecclesiastica. §. 380. Multo crebrior est consuetudo in definiendo modo Decimarum, specie fructuum, ac deciden-

do dubio, utrum huic vel alteri Ecclesiæ præstari debeant. c. 18. 20. et 32. §. 1. h. t. Idem dicendum est de legitima præscriptione, qua etiam Laici immunitatem a solvendis decimis obtinere possunt; cum ea nihil spiritnale contineat. Requiruntur autem contra parochiam anni 40 cum titulo: tempus immemoriale sine titulo. Contra alium, cui decimæ non debentur, sufficit tempus ordinarium cum titulo, quadragenarium sine titulo.

§. 391. De conventione, transactione, vel remissione super decimis non solvendis patent hæc. 1. Parochus vel Beneficiatus tali conventione suis successoribus præjudicare non potest sine consensu Episcopi. Ad remissionem gratuitam perpetuam requiruntur solemnitates ad alienationem necessariæ. Transactio pro pretio temporali super decimis Ecclesiæ non solvendis simoniaca non est; hæc enim immunitas non est aliquid spirituale; nec qui ab obligatione decimas solvendi ex suo fundo se liberat, censetur jus decimarum emere; quia dein fructus percipit tanquam ex consectario dominii, alteriusve juris. Ceterum conventio super decimis inita privilegio posteriore nullas decimas solvendi non evertitur c. 3. h. t.

§. 392. Ab obligatione solvendi Decimas transitur ad jus easdem accipiendi. Inprimis autem memoria repeti hoc loco oportet ea, quæ tit. XXV. hujus libri de natura ac fine redituum Ecclesiasticorum, et beneficialium disputavi. Sunt non pauci, qui, cum de decimis agitur, illud identidem in ore habent: Episcopus et Parochus habent intentionem fundatam in jure pro iisdem colligendis; nec raræ sunt querelæ, de tot decimis penes Religiosos, aliasque

pias causas existentes. At enim Decimæ, uti alia bona Deo et Ecclesiæ oblata, ex prima origine et fine offerentium, et ex mente Ecclesiæ eas acceptantis aut etiam exigentis nequaquam pro sola Episcopi, aut Parochorum sustentatione destinatæ sunt. In ipso Jure Decretalium c. 26. Decimæ appellantur *tributa egentium animarum*, non eo profecto sensu, quo avari, aut dissipatores bonorum animæ sunt perpetuo egentes. In Concilio Confluentino an. 922. præsentibus Carolo Franciæ, et Henrico Germaniæ Regibus c. 5. prohibetur primo, ne Laici decimas capiant, *sed potius Presbyteri Ecclesiarum eas accipiant, et inde restaurationem Ecclesiarum, et luminaria, et hospitum ac pauperum receptionem exhibeant, et pro sancta Ecclesia, ac pro statu regni, Dei misericordiam studiose implorent.* Universe notandum est, inquit P. Zech de Decimis in nota ad §. 60. sacros canones de colligendis Decimis statuentes, si non sæpius, saltem toties mentionem facere de pauperibus, quoties nominant Clericos. Non ergo mirandum est, tot Decimas pauperibus Religiosis et monasteriis fuisse assignatas, quorum præsertim maximi sunt, ac perpetui de religione, et salute animarum labores (*k*).

(*k*) Hanc doctrinam innumeris exemplis documentisque illustrat Thomassinus P. 3. l. 1. ubi c. 6. recensentur verba Othloni Presbyteri, qui vitam scripsit S. Bonifacii Apostoli Germaniæ, ac in præfatione de Decimis quædam attingens eas a prioribus Apostolorum successoribus in quatuor partes fuisse divisas docet, addens: „
„ Canones enim sancti, ex quorum auctoritate colliguntur Decimæ, non solum decimas dari, sed etiam inter varios jubent distribui, ut in urbibus quibuslibet, et vicis xenodochia habeantur, ut pauperes et peregrini alantur. Sed tam sanctum, et necessarium præceptum in plurimis locis non solum minui cura-

„ tur , sed etiam pene ignoratur. Nam solummodo il-
„ lud legitur , quod Decimæ Episcopis sint tribuendæ;
„ quid vero exinde agendum sit, vel si quidpiam aliud
„ curandum sit circa monasteria etc. ignorantiæ com-
„ mendatur.

§. 393. Ex hoc decimarum fine, ex origine et natura earum decidendum jam est, *cui* solvi debeant. I. Quamdiu administratio redituum Ecclesiæ tota penes Episcopum, et sub ejus auctoritate penes Oeconomos erat, Decimæ solvendæ erant his administratoribus redituum; seu Episcopo, non ut eas sibi retineret totas, sed ut secundum propositos quatuor fines dispensaret (§. 268.) II. Divisa paulatim communi redituum massa, cum parochis et aliis beneficiatis relinqueretur redituum suorum administratio, decimæ solvendæ sunt illis, quibus eædem legitima auctoritate, et maxime in fundatione fuerunt assignatæ (*l*). Assignatio autem hæc pro congrua inprimis sustentatione facta fuit non tantum parochis, sed aliis etiam beneficiatis non curatis e. g. Canonicis et Capitulis eorundem; quia non solum illi, qui Sacramenta administrant, et Verbum Dei prædicant, sed ii quoque sunt ministri Ecclesiæ, qui titulo beneficii, et ex officio inserviunt choro et altari pro salute populi.

(*l*) In Concilio Cabillonensis an. 813. can. 19. querela quorundam fratrum proposita fuit contra Episcopos et Abbates, quod decimas non sinerent dari Ecclesiis, ubi illi coloni Missas audiunt; uti extat apud Gratian. can. *Questi sunt*. 46. XVI. q. 1. et in Concil. edit. Mansi T. XIV. col 97.

§. 394. III. Religiosis multæ Decimæ legitima auctoritate, neque contra finem et naturam Decimarum fuerunt assignatæ; quæ proin sol-

vendæ iisdem sunt. Cum seculo duodecimo circa tempora Alexandri III. decimæ multis locis detinerentur a Laicis, et Ecclesiis restitui juberentur, quidam Laici eas in Religiosos transtulerunt. Contra hos Concilium Lateranense III. an. 1179. can. 9. edixit in hunc modum: *Ecclesias sane et Decimas de manu Laicorum sine consensu Episcoporum, tam illos* (fratres Templi, et Hospitalis), *quam quoscunque alios Religiosos recipere prohibemus, dimissis etiam, quas contra tenorem istum aliquo tempore receperunt* (*m*). Cum autem post Alexandrum III. Urbanus III. ejusque successores frustra urgerent Laicos ad Decimas Ecclesiis, unde distractæ fuerant, restituendas, et consultius videretur, eas locis Religiosis applicari, quam iniqua usurpatione detineri a Laicis; concessit Alexander IV. sec. XIII., ut Religiosi de manibus Clericorum recipiant vel acquirant illas Decimas, quæ ante Concilium Lat. sub Alexandro III. celebratum, ipsis Laicis in feudum perpetuo fuerant concessæ. Hæc Alexandri IV. dispositio extat c. 2. §. 3. h. t. in 6. Atque huic constitutioni, inquit P. Zech §. 36. de Decimis. acceptas ferunt fundationes suas monasteria quædam, quibus Laici pro sustentatione Decimas assignarunt, a se antea juste vel injuste possessas, legitime tamen in monasteria translatas.

(*m*) Concil. edit. Mansi T. XXII. col 223.

§. 395. Multo autem crebrius, faciliusque Decimæ iis dabantur monasteriis, quibus parochiæ erant incorporatæ. c. 27. h. t. ubi Innocentius III. ad Abbatem scribit: *Cum tibi sit concessum, - - ut decimas de laboribus terræ paraeciarum* TUARUM *cum integritate percipias etc.* adde c. 30. eod. Dubium non est, quin multis

in locis decimæ Episcopali jam mensæ aut monasterio vel alteri piæ causæ applicatæ fuerint, antequam parochus proprius constitueretur; ac tum admodum infirmum est argumentum, quod parochus habeat intentionem fundatam in Jure ad Decimas; uti manifestum est ex cit. c. 30. h. t. Excepto titulo fundationis, curæ parochialis, privilegii aut ordinationis ecclesiasticæ fateor, post divisam administrationem redituum Ecclesiæ de jure communi Religiosis vi status sui non debentur Decimæ, uti neque Clericis non habentibus beneficium ecclesiasticum. Quidquid enim illi pro salute populi faciunt, id non ex speciali Ecclesiæ destinatione, sed propria voluntate aut vi regularum Ordinis præstant. Quemadmodum autem ex reditibus ecclesiasticis secundum primævam eorum naturam alii pauperes præsertim de Ecclesia bene meriti alebantur; sic justissime Religiosis concessæ sunt Decimæ, variaque circa Decimas privilegia, illis præsertim, qui ex instituto suo clericales functiones obeunt, et Parochis adjumento sunt.

§. 396. IV. PAROCHIS debentur decimæ, quæ in fundatione Ecclesiæ parochialis iisdem assignatæ fuerunt. Si quarundam Decimarum destinatio dubia vel incerta est, Parochus ad eas dicitur, intentionem habere fundatam in Jure; quia Decimæ aliis beneficiis non annexæ, nec aliis applicatæ piis causis, censentur deberi Ecclesiæ illi, cui præ ceteris incumbit cura animarum. Debentur autem istiusmodi Decimæ, si Prædiales sint, illi Parochiæ, intra cujus fines prædia sita sunt. c. ult. de Parochiis. c. ult. de restitut. spoliat. in 6. Id prudentissime ordinatum est, ut jura Ecclesiarum firma et immobilia maneant. Neque exceptio

de pravis moribus Parochi admittitur, quo minus juri decimarum, quo gaudet, satisfiat (*n*).

(*n*) C. 26. h. t. conf. Propositio 18. Wiclefi cit. §. 375. Aliud videtur dicendum de exceptione neglecti a Parocho officii, et ministerii sacri. Nam in Capitulari I. an. 805. c. 6. actum est de his, *qui Decimas quidem assumunt, et de Ecclesiis non curant, ut omnimodis emendetur.* Concil. edit. Mansi T. XIV. in Append. col. 295. Saltem videtur ea exceptio valere ad jus retentionis in decimis.

§. 397. V. Episcopus post erecta beneficia præsertim parochialia percipit I. decimas Ecclesiæ Cathedralis; quæ spectant ad Episcopum ipsum vel ad Capitulum. II. Decimas ex prædiis; quæ non sunt intra fines cujusdam parochiæ particularis. c. 13. h. t. III. Quartam partem omnium Decimarum totius diœceseos de jure communi. c. 4. de præscript. et cit. c. 13. h. t. Sed hæc *Quarta* in plurimis diœcesibus consuetudine aut præscriptione vel ultronea Episcoporum cessione sublata est; cum aliunde ipsis satis provisum sit. IV. Habet Episcopus per totam diœcesin jus aliquod eminentius, quam parochus, non ut Decimas sibi aut mensæ suæ retineat, sed ut contra usurpatores, Decimas nomine Ecclesiæ parochialis exigat, si a Parocho requiratur, aut Parochus negligat. c. 2. §. 4. h. t. in 6.

§. 398. *Decimæ Novales* vel Novalium dicuntur, quæ proveniunt ex fundis recens ad culturam redactis, vel saltem ad culturam fructuum decimabilium; cum antea ex fundis provenerint fructus, nulli decimationis juri subjecti (*o*). Atque hæ censentur novales Decimæ *proprie dictæ*. Aliæ vocantur *improprie novales*, quando ratio culturæ mutatur, ita, ut, cum ex fructibus prioribus

decimæ e. g. majores fuerint debitæ uni decimatori, postea ex fructibus alterius generis decimæ e. g. minores debeantur alteri. Hoc casu dispiciendum est, utrum Decimæ debeantur ex *certo genere fructuum*, an ex *certis fundis*. Priore casu mutatio culturæ mutat etiam decimatorem, secus posteriore; salva tamen Parochorum congrua sustentatione. arg. c. 9. X. et c. 2. §. 2. h. t. in 6.

(o) Sic in locis, ubi ex consuetudine non dantur Decimae foeni, Novale dicitur, quando pratum convertitur in agrum. Novale igitur hoc loco non sumitur sensu Juris civilis *pro terra praecisa, quae anno cessavit.* l. 30. §. 2. D. de V. S. sed sensu Juris Canonici pro fundo *de novo ad culturam redacto, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuisset.* c. 21. de V. S.

§. 399. De Decimis Novalium proprie dictis decidendum est I. Si alius sit antiquus decimator, quam Parochus, ex privilegio, præscriptione, aut consuetudine, is decimas novales exigere non potest. Hi enim tituli sunt strictæ interpretationis; et ad ea, quæ antea non extiterant, nec possessa fuerant, extendi non possunt; nisi sit persona ecclesiastica, quæ per tempus longissimum, aut immemoriale in possessione est colligendi Decimas novales quascunque. II. Multo pinguior est titulus fundationis, quem habet decimator antiquus, et *universalis* in districtu parochiali. c. 30. ibi: *Cum ipsis terra illa ab antiquo fuerit decimalis, et non debeat una, eademque Ecclesia diverso jure censeri.* Duo videntur certa. *Primo.* Si non integer fundus, sed solum pars, priori decimabili cohærens de novo colatur; tunc qui Decimas antiquas collegit ex fundo, colliget pariter ex illius parte recenter culta, quia eadem res non debet diverso jure censeri. cit. c. 30. *Secundo.* Si Parochia monasterio vel alteri piæ causæ pleno jure incorporata est quoad temporalia; tum De-

cimæ novales non debentur Vicario, qui actualem curam animarum exercet, sed Parocho habituali, seu primitivo; quod videtur clare decisum c. *ex parte.* 27. h. t. Id distincte deducitur a Van-Espen in singulari dissertatione *de pristinis Altarium et Ecclesiarum incorporationibus.* III. Extra prædictos casus Decimæ novales proprie dictæ de Jure communi pertinent ad Parochiam, in qua fiunt Novalia, etsi alius sit decimator antiquus. c. 29. h. t. Atque hoc jure in hac et vicinis diœcesibus utimur inde a longissimo tempore.

§. 400. Contra hanc decisionem canonicam claram et indubitatam, communi etiam catholicorum Doctorum consensu firmatam, longissimique temporis munitam prærogativa, novam juris hæresin de Decimis novalibus invehere moliuntur nonnulli, dum eas non Parochis ullo casu, sed Episcopo deberi affirmant; etsi is de cetero in tota parochia nullas colligat Decimas. Qua igitur ratione, aut qua lege asserunt? Quia, inquiunt, Decimæ ecclesiasticæ origine tenus in Germania non parochis, sed Episcopis fuerunt assignatæ; idque ex antiquis monumentis seculi VIII. IX. ac X., atque ex instrumentis super fundatione Episcopatuum relictis probant. At resp. I. Non est hoc proprium Germaniæ, sed omnium Episcopatuum orbis, neque ad solas Decimas, sed universum redituum ecclesiasticorum genus pertinet, ut cura et solicitudo, ac perceptio redituum Episcopo assignetur, non utique, ut sibi reservet totum, sed ut secundum Canones dispenset. II. Prior est, et antiquior Episcopatuum fundatio ac dotatio, quam parochiarum; neque is status disciplinæ ecclesiasticæ in hac re, quo collectio ac distributio redituum penes Episcopos erat, ad nostra tempora applicari potest. Si rebus compo-

sitis, ordinatisque, et facta communium bonorum distributione, ac legitima portionum juriumque assignatione, ad priora communionis tempora pro arbitrio recurri potest; nihil jam in profano aut sacro regimine sat firmo consiset fundamento, et a ruina tutum erit. Eo ipso pristinæ communionis et æqualitatis obtentu seditiosi rerum turbatores utuntur hoc ævo, ut sacra et profana misceant, et civiles perinde, ac ecclesiasticas conculcent leges. III. Constitutis Ecclesiarum limitibus, et assignatis per legitimam auctoritatem reditibus, ac juribus, Decimæ non jam a solo Episcopo colligendæ, sed *quibuscunque aliis Ecclesiis, vel personis, quibus legitime debentur*, integre persolvendæ sunt, uti ait SS. Concilium Tridentinum Sess. XXV. c. 12. de ref. Si Decimæ novalium existant ex terris, quæ intra certam alicujus Ecclesiæ parœciam fuerint, Episcopus jubetur, eas eidem Ecclesiæ assignare, *retenta parte sua*, quæ tum erat quarta. c. 4. de præscript. Si quartam retinendi jus habuit olim; quomodo *totum* vindicare nunc potest? C. 31. h. t. Episcopo tribuitur *intentio de jure communi fundata*, pro conferendis nempe Ecclesiis, quæ per Hospitalarios detinebantur, ac fortassis etiam pro Decimis, de quibus ibi fit mentio. Verissimum id est, si contra Religiosos litigatur. At de parœciis res decisa est, nec præsumtioni relinquitur locus. Præterea cum Episcopi sit, parœciarum suarum jura defendere (§. 397. n. IV.), nequit continuo ad mensam Episcopalem referri, quod ab Episcopo vindicatur.

§. 401. In causis decimalibus, si contra Clericum agatur modo quocunque; Judex est ecclesiasticus: contra Laicum item, si in petitorio, et super jure Decimarum intentatur actio. §. 376.

In possessorio, cui nulla admiscetur juris quæstio, et super nudo facto, vel contra laicum conductorem vel emtorem fructuum decimalium adiri ex consuetudine potest Judex laicus; qui tamen exemplo Cameræ Imperialis solicite cavet, nequid in ferenda sententia de quæstione proprietatis tanquam ex nova decisione influat

TITULUS XXXI.

DE REGULARIBUS, ET TRANSEUNTIBUS AD RELIGIONEM.

TITULUS XXXII.

DE CONVERSIONE CONJUGATORUM.

TITULUS XXXIII.

DE CONVERSIONE INFIDELIUM.

TITULUS XXXIV.

DE VOTO, ET VOTI REDEMTIONE.

TITULUS XXXV.

DE STATU MONACHORUM, ET CANONICORUM REGULARIUM.

TITULUS XXXVI.

DE RELIGIOSIS DOMIBUS, UT EPISCOPO SINT SUBJECTÆ.

TITULUS XXXVII.

DE CAPELLIS MONACHORUM, ET ALIORUM RELIGIOSORUM.

ARGUMENTUM.

I. Genuina notio Ordinum Religiosorum, et multiplex differentia. §. 402. *II. Essentia Status Religiosi.* §. 417. *III. Novitii.* §. 419. *IV. De conversione conjugatorum et infidelium remissive.* §. 421. *V. Professi, et actu religiosi.* §. 422. *VI. Prælati.* §. 423. *VII. Domus Religiosæ.* §. 427. *VIII. Cappellæ Regularium* §. 430

§. 402. De Statu Religioso non ex erroribus, calumniisque profani Novatorum et Philosophorum vulgi, *cujus sapientia inimica est Deo* (*a*), sed ex divinis Scripturis, et mente SS. Ecclesiæ, et Traditione, Constitutionibus RR. Pontificum, ex doctrina Conciliorum, sententiis Venerabilium Patrum, Doctorumque clarissimorum, sanæque et incorruptæ rationis principiis judicium exquirendum, ferendumque est. Ex omnibus sane fontibus Ecclesiastici Juris longe aliam docemur philosophiam, quam homines impii, et hypocritæ, atque assentatores Principum orbi obtrudunt.

(*a*) Rom. VIII. 7.

§. 403. Quomodo in veteri lege adumbratus fuerit Religiosorum status in Nazaræis, Rechabitis, et Prophetarum filiis, atque inprimis in Elia, Elisæo, ac Joanne Baptista, eleganter exponit Hieronymus Platus de Bono Status Religiosi l. 2. c. 19. At veram, perfectamque

ejusdem status formam Divinus Servator, qui est Sapientia Patris, homines docuit propositis consiliis Evangelicis *perpetuae Castitatis* Matth. XIX. 11. 12. *Paupertatis* ib. v. 21. Luc. XIV. 33. et *Obedientiae* Luc. IX. 23. adjectis amplissimis promissis conferendi centuplum in hac vita et ipsam deinceps vitam æternam.

§. 404. ASCETAE vocabantur, qui hæc Christi consilia primis Ecclesiæ seculis apertius sequabantur, et religiosum statum pro conditione illorum temporum exhibeant. In his eminebant Apostoli, fideles magno numero Hierosolymis, Act. IV. 32. seq. Alexandriæ institutore D. Marco, locisque aliis. S. Ignatius M. salutat *Collegium Virginum*, easque hortatur, ut meminerint, cui se consecrarint. Athenagoras in Apolog. pro Christianis non dubitabat, admirationi Ethnicorum proponere id, quod hodierni Philosophi contemnunt, et reprehendunt; dum multos ex fidelibus in cœlibatu consenescere testatur; quod in eo statu Deo se arctius conjungendos sperent. Tertullianus l. 1. ad Uxor. c. 6. laudat eos, qui statim a lavacro carnem suam obsignant. Dignissima lectu sunt, quæ S. Cyprianus circa medium seculum III. scripsit de *Habitu Virginum.*

§. 405. *Monachorum* status nomen duxit a *solitudine*, initium a studio virtutis, et justa etiam persecutionum fuga (*b*) labente sec. III. ac dein currentibus IV. et reliquis dein seculis usque ad hæc tempora. Auctores præcipui fuerunt Paulus Thebæus, Pachomius, Antonius ejusque discipulus Hilarion, qui hanc vitæ rationem in Palæstinam et Syriam propagavit. S. Basilius dein a locis solis eandem ad homi-

num societates transtulit, atque a mera contemplatione ad ministeria aliis etiam impendenda traduxit, teste S. Gregorio Nazianz. in Orat. de Laudibus Basilii. Ex Oriente in Occidentem transiit monasticum institutum opera S. Athanasii, aliorumque Sacerdotum Alexandrinorum, qui persecutionem Arianæ hæresis fugientes, quasi ad tutissimum communionis suæ portum Romam confugerunt, multosque nobiles viros ac feminas ad venerationem ac imitationem magni Antonii permoverunt (*c*). Ab urbe Romana in circumjacentes insulas, et reliquam Italiam trajecta est vita monastica; inde in Gallias, in Africam curante S. Augustino, in Hispaniam et Angliam est diffusa; unde cum viris sanctissimis in nostram Germaniam transiit. Monachorum IV. et V. seculi varia erant nomina, nec par vitæ ratio. Erant *Anachoretae*, *Caenobitae*, *Sarabaytæ*, *Gyrovagi*, *Stylitae*, *Acaemetae* in tres cætus ita distincti ut divina officia diu, noctuque peragerent. His celebre Monasterium Constantinopoli extruxit Studius vir consularis a quo *Studitae* dicti sunt.

(*b*) Matth. X. 23. XXIV, 16. Hebr. XI, 38.

(*c*) S. Hieronymus epist. ad Principiam.

§. 406. Cum Monachi primorum temporum plerique essent laici, Clerici Ecclesiarum in urbibus habitantes inducti sunt, ut sub quadam regula, rebus propriis sponte renuntiantes in commune viverent. Unde *Canonicorum Regularium* nomen accessit. Auctores hujus instituti, vel potius restauratores vitæ sub Apostolis actæ, perhibentur S. Augustinus in Ecclesia Hipponensi, et S. Eusebius Vercellensis in Ecclesia sua Vercellis (*d*). Idque Clericorum in-

stitutum ad alias paulatim nonnullas Ecclesias manavit.

(*d*) S. Augustinus Serm. 49. et 50. de diversis. Possidius in Vit. S. Augustini c. 25. S. Ambrosius ep. 25. ad Ecclesiam Vercellensem sub. med.

§. 407. Seculo VI. *Benedictini* monachi a Patriarcha suo Benedicto nomen traxerunt in Occidente, qui jactis in monte Cassino ordinis fundamentis circa an. 530. regulam suis praescripsit *discretione praecipuam, sermone luculentam*, uti scribit S. Gregorius Dial. l 2. c. 36. Hanc in Occidente postea secuti sunt tot veterum monasteriorum Reformatores, et novorum Conditores, ut aliæ regulæ monasticæ, quæ in variis locis viguerant, paulo post exoleverint, posito etiam in variis Conciliis Decreto, ne Monachi alia posthac utantur, nisi sola Benedicti regula. Sub finem IX. et initium X. seculi languens vigor monasticus novas obtinuit vires a Cluniacensibus, auctore Bernone Abbate, ejusque successore S. Oddone. Colligitur autem ex epistolis inter Petrum Abbatem Cluniacensem, et D. Bernardum scriptis circa finem seculi XI., Cluniacensium etiam fervorem paulatim emarcuisse. Unde Deus novos excitavit vitæ monasticæ cultores, qui non modo Benedictinæ regulæ vigorem suum restituerent; sed eandem novis constitutionibus proposito accommodatis munirent. Tales fuerunt *Camaldulenses*, qui D. Romualdum, Monachi *vallis umbrosæ*, qui S. Gualbertum, et *Cistercienses*, qui SS. Robertum et Bernardum habuerunt auctores. Atque hi quidem opera, et auctoritate S. Bernardi plurimum aucti, propagatique, singularibus privilegiis a SS. Pontificibus donati sunt. Sæpe de his mentio fit in Jure nostro

atque in primis c. 10. et 34. de Decimis. c. 7. et 18. de Regularibus (e).

(e) Sub. S. Joanne Gualberto videtur invaluisse mos suscipiendi in Ordinem *fratres conversos*. Monachi enim jam tum ad cantandos in choro psalmos, aliaque officia clericalia adhibebantur. Cum autem multi viri seculares, prorsus rudes, et legendi etiam imperiti in monasteria S. Gualberti recipi flagitarent, is in duas classes suos distinxit, professione tamen pares, sic, ut literatos destinaret choro, illiteratos domesticis laboribus, injuncta recitatione orationis Dominicæ, et salutationis angelicæ certo numero repetitæ. Cistercienses Monachi conversos quosdam collocarunt in villis agriculturæ causa; cum habitatio monachorum deberet esse in claustro. Atque hi conversi non videntur votis solemnibus adstricti, nec in numero verorum Religiosorum fuisse. Posteriore, ac nostra etiam ætate discrimen fit inter *conversos professos*, et alios *oblatos*, aut *donatos*.

§. 408. Dum Monachi in Occidente S. Benedicti regulam fere sequerentur, in Oriente regulam S. Basilii: alii tum Canonici Regulares, tum Eremitæ regulam profitebantur S. Augustini. Ad illam seculo XII. accesserunt *Præmonstratenses* Auctore S. Norberto, dein sec. XIII. *Ordo Prædicatorum*. Eremitarum varia genera Alexander P. IV. an. 1256. in unum ordinem sub nomine Eremitarum S. Augustini congregavit. Eandem regulam plures deinceps assumserunt ordines, ceu ordo S. Pauli primi Eremitæ: B. V. Mariæ de Mercede redemtionis captivorum, Auctore S. Petro Nolasco: Servorum B. Mariæ de monte Senario: Clericorum regularium Theatinorum. Imo sub eadem regula militare voluerunt duo ordines Militares Religiosorum Equitum in nostris partibus celeberrimi, Equitum Hierosolymitanorum S. Joannis, et Teutonicorum B. V. Mariæ in Jerusalem.

§. 409. Post regulam S. Basilii, Augustini et Benedicti celebris est Regula S. Francisci, quam profitentur Fratres *Minores* diversarum congregationum; ita, ut, qui *Conventuales* dicuntur, suum habeant Ministrum generalem: alium *Observantes*, *Recollecti*, *Reformati*, et *Discalceati*: alium Patres *Capucini*.

§. 410. Nullam ex his regulam, sed proprias constitutiones amplectuntur *Carthusiani*, a S. Brunone instituti Sec. XI. *Carmelitae*, quorum alii sequuntur regulam per varios Pontifices mitigatam: alii, quos *Discalceatos* vocant, regulam ad primævum rigorem a. S. Theresia reductam. *Minimi*, instituti a S. Francisco de Paula. Denique *Clerici Regulares* varii postremorum seculorum, qui suis propriis, ab Apostolica Sede approbatis, confirmatisque institutis vivunt.

§. 411. Ex muliebri sexu olim celebres erant *Diaconissæ*, ad ministerium quoddam præsertim circa feminas præstandum Diaconis substitutæ: quarum institutum in his partibus penitus defecit. Alia est classis *Canonicarum*, quæ pariter, ac Canonici psallunt in choro vi instituti sui, et propterea Præbenda Ecclesiæ fruuntur. De his, quæ *seculares* se dici volunt, agitur c. 43. §. 5. de elect. in 6. et Clem. 2. de Statu Monachorum. Tertia est classis *Monialium*, vel Sanctimonialium, quæ eosdem fere, ac viri Religiosi, institutores habent. Sunt igitur aliquæ proprie *Monachales*, profitentes regulam SS. Pachomii, Basilii, Benedicti, Bernardi etc. Aliæ *Canonicæ Regulares* sub regula S. Augustini. Aliæ *Carthusienses*. Aliæ sub Ordinibus mendicantibus S. Francisci, S. Domi-

nici etc. Religiosos ordinum clericalium imitantur Virgines Salesianæ, et Ursulinæ, de instituendis puellis optime meritæ.

§. 412. Adjungenda est idea de *Tertiariis*, *Oblatis*, et *Eremitis*. Sancti Ordinum fundatores non pauci, cum multos homines devotionis ac pœnitentiæ gratia præditos, conditione status, matrimonii vinculo, aliisque ex causis impediri cernerent, quo minus admitterentur ad ordinem *primum*, quem viris, vel ad *secundum*, quem feminis recipiendis condiderunt; consilium ceperunt formandi *Ordinem Tertium de Pœnitentia*, qui omnis conditionis homines in seculo degentes complecti posset. Exemplum pio instituto dedisse videtur S. Norbertus (*f*). Secutus est post seculi lapsum S. Dominicus; apertiora autem initia habet ordo tertius S. Francisci de pœnitentia. Exemplum imitati sunt Religiosi Eremitæ S. Augustini, Carmelitæ, Paulani, Servitæ, postea etiam PP. Capucini. In numero Tertiariorum I. aliqui in communitate vivunt sub Prælati obedientia, emissis tribus votis substantialibus; qui proin veri Regulares sunt. II. Alii unum vel plura edunt vota, non tamen religiosa: vivunt in communitate, induti certo habitu ordinis. III. Alii absque ullis votis servant regulam, eamque approbatam a summis Pontificibus, Deoque in suis ædibus, signum ordinis sub veste seculari gestantes, in statu cælibe, aut etiam matrimoniali, pœnitentiæ et virtutis studium profitentes serviunt.

(*f*) Acta SS. Bolland. T. 1. Junii pag. 937.

§. 413. *Oblatorum* duplex est genus, utrumque rarum his temporibus, locisque. Primum eorum, qui impuberes aut infantes Monasterio

offeruntur a parentibus. De his, quamdiu hæc disciplina viguit, frequens fit mentio in Conciliis particularibus; quorum nonnullos Canones recenset Gratianus c. XX. q. 1. et 2. Lex durior, ob quam sic oblatis egredi deinceps ex Monasterio non licebat, mitigata est a Clemente III. c. 12. de Regular. et Cælestino III. c. 14. eod. multo etiam magis libertati professionis favit SS. Concilium Trid. Alii dicuntur *Oblati*, vel *Donati* qui perfectionis amore se, aut sua, vel utrumque Ecclesiæ, vel Monasterio offerunt. De his agitur c. 9. v. *perpetuo oblati.* de privileg. in 6. Clem. 1. de Decimis in fin. Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 11. de ref. conf. Benedict. XIV. de Synod. Diœces. l. 6. c. 3.

§. 414. *Eremitæ* in quinque classes videntur distribuendi. I. Sunt, qui tria substantialia vota in religione approbata edunt, ceu Camaldulenses. II. Qui in quadam congregatione vivunt modo ab Episcopo approbato cui etiam subjecti sunt. III. Qui auctoritate Episcopi serviunt cuidam Ecclesiæ, habitum ab eo suscipiunt, et sub ejus obedientia vivunt. Utraque hæc classis (de prima enim dubium non est) censetur gaudere privilegiis clericalibus; quia in numero personarum ecclesiasticarum non soli Clerici sunt, sed etiam alii divino officio legitima auctoritate mancipati, a strepitu mundanarum rerum segregati, et orationi, ac contemplationi dediti. can. *Duo sunt.* 7. XII. q. 1. IV. Alii habitum eremiticum suo arbitrio suscipiunt, et in eremo degunt. Hi a laica potestate ob hoc exemti non sunt. V. Nonnulli in his partibus habitum Tertiariorum cujusdam Ordinis de manu Prælati Regularis recipiunt, et sub ejus vel Episcopi obedientia inserviunt illi Ordi-

ni vel alteri Ecclesiæ. Hi spectant ad classem tertiam vel ad Tertiarios cum claustralibus degentes.

§. 415. Recensui Ordines Religiosos complures, ac præcipuos, quantum ad intelligendos Canones necesse videbatur. Displicet multis hoc ævo totum id vitæ regularis genus; qui cum totum calumniari non audeant, effrænem multitudinem, nimiamque diversitatem carpunt. In quem finem etiam Canones Conciliorum proferunt, non eos, qui in commendationem status religiosi extant maximo numero, sed qui multitudinem, novitatemque Ordinum coercent, c. fin. X. et c. un. de religiosis domibus in 6. At enim minus certe anteacti temporis studium pro novis condendis Ordinibus Ecclesiæ ac reipublicæ nocuit, quam ævi præsentis furor et impietas, omnes penitus extinguendi. Post editos illos in Conciliis generalibus Lateranensi, et Lugdunensi Canones de novis Ordinibus non condendis, sacrosancta Ecclesia novos Ordines non exiguo numero approbavit, confirmavitque, et mirifice fovit, atque etiam optimo Deo de fœtu novæ prolis, novoque militantis Ecclesiæ subsidio solemnes ac publicas gratias per orbem universum egit. Viro quidem sapienti, veræque religionis principiis imbuto opprobria illa, quæ hoc ævo in religiosos Ordines evomuntur, non minus eos commendare, ac conciliare debent, ac odia Sectariorum versus eosdem, ceu Wiclefi, et Lutheri. conf. Proposition. damnat Wiclefi 20. et seq. dein prop. 31. 34. 35. Prop. Lutheri 41.

§. 416. Multiplex Ordinum diversitas ac numerus revocari ad certas classes solet. I. Alii ducunt vitam *contemplativam*. ex vi primaria

instituti; quales sunt, qui solitudinem nomine profitentur: Alii *activam*, qui ad exteriora caritatis officia primario destinantur; quales sunt Equites Religiosi, Melitenses, et Teutonici, Fratres de misericordia, de redemtione captivorum: Alii denique *mixtam*; quales sunt ordines Prædicatorum, Minorum. II. Relate ad *ordinem Hierarchicum* Clerus primo generatim dividitur in Sæcularem, et Regularem. In Regulari primi sunt Canonici; sequuntur Clerici Regulares, Monachi, Mendicantes; quales sunt fratres Prædicatores, Minores, Eremitæ S. Augustini: Carmelitæ. c. un. §. 2. de religios. Domt in 6. Iisdem adscriptus est Ordo Servorum. B. V. M. et annumerantur domus Professæ Societatis Jesu; a quibus tanquam membris principalibus totus Ordo Clericorum regularium S. J. nomen et privilegia habet Ordinis Mendicantis (*g*).

(*g*) Ordines Mendicantes ex regula et professione sua, nec in communi habere reditus aut possessiones possunt. Ex concessione tamen Concilii Trid. Sess. XXV. c. 3. de Regul. omnibus Monasteriis et domibus etiam Mendicantium possidere licet bona immobilia, exceptis domibus S. Francisci Capucinorum, et eorum, qui Minores de observantia vocantur.

§. 417. Ordo religiosus, quatenus communis omnium essentia spectatur, est stabilis in commune vivendi modus fidelium ad christianæ caritatis perfectionem tendentium, editis tribus substantialibus votis paupertatis, castitatis et obedientiæ ab Ecclesia approbatus. Requiritur ergo I. *Studium perfectionis*, observando non præcepta solum, sed præcipua consilia Evangelica, per quæ impedimenta perfectionis removentur, concupiscentia carnis per castitatem, concupiscentia oculorum per paupertatem, superbia vitæ per humilem obedientiam.

Extrav. I. circa fin. v. *num prima rebus.* Joan. XXII. de V. S. II. *Obligatio voti*, qua inducitur stabilitas, et immutabilitas (*h*). III. *Professio*, qua quis se et sua religioni tradit secundum institutum cujusvis Ordinis; et religio eam traditionem acceptat. c. 13. et c. 16. de Regular. Olim professio sæpe fiebat enim tacite, c. 4. 9. 22. eod. IV. *Approbatio Ecclesiæ*; quæ sit a Sede Apostolica. c. un. de religios. Dom. in 6. Extrav. un Joann. XXII. circa fin. eod. Duplex autem distinguitur approbatio; primo *Judiciaria*, qua Pontifex præmisso maturo examine judicat, et authentice declarat, modum vivendi in regula Ordinis præscriptum esse sanctum, erroris et superstitionis expertem, ad viam perfectionis spectato fine et mediis conducibilem (*i*); secundo *Practica*, qua Pontifex Ordinem propositum efficaciter creat, seu erigit in communitatem et statum ecclesiasticum, ac vere religiosum, cujus vota certos habeant effectus, annexaque jura, Religiosis in genere concessa. Non omnia instituta pia, quantumvis laudentur a Summis Pontificibus, in vim Ordinis Religiosi sic approbata sunt.

(*h*) Substantialia dicuntur, omniumque Ordinum communia vota paupertatis, castitatis, et obedientiæ; et hujus quidem votum in ipsa regulæ professione aperte continetur. De binis reliquis Innocentius III. c. 6. de Statu Monach. in fin. ait: *Abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Ex vi specialium constitutionum his votis substantialibus nonnunquam adduntur alia simplicia vota c. g. circa Missiones, fugiendum ambitum, curandos infirmos, etiam peste afflatos.

(*i*) Extrav. un Joann. XXII. de religios. domib. ibi: *Sancta Romana, atque universalis Ecclesia – sicut religiosa et pia vota benigno favore prosequitur; sic su-*

perstitiosos conatus insolentium hominum detestatur, videlicet ne sub ovina pelle gregem Dominicum truculentia lupi rapacis invadat, sub pietatis imagine virus hæreticæ pravitatis obrepat, et sub prætextu conversationis angelicæ: incautis mentibus spiritus malignus illadat. Adde Clem. un. eod.

§. 418. In Personis religiosis triplex consideratur earum classis. I. *Novitiorum*, qui animo ducendi vitam religiosam probant religionem, et probantur ab eadem. II. Eorum, qui rite probati editis ritu consueto votis religioni se adstrinxerunt, et si vota solemnia fuerint, *Professi* appellantur. III. *Prælatorum*, aut Superiorum, qui aliis cum jurisdictione præsunt.

§. 419. In novitiis spectantur qualitates admittendorum, et admissorum ad novitiatum jura et obligationes. Qualitates admittendorum quædam sunt *speciales* pro diversitate Ordinum, aliæ *generales*. Hinc ii, qui admitti petunt, I. *examinari* debent de patria, parentibus, fide, anteacta vita, utrum ære alieno gravati sint ultra facultates, aut reddendis rationibus obnoxii. Tales enim admittendi non sunt (*k*). *Aetas* requiritur pubes pro tyrocinio c. 8. et 12. de Regul. Singularem casum respicit c.6. eod. Concil. Trid. Sess. XXV. c. 15. de reg. ad *valorem professionis* requirit annum decimum sextum expletum. III. *Libertas*, ut absit impotentia, fictio, vis et metuus. Huc pertinent capitula 1.3. 11. 12. 14. 15. de Regular. Libertati professionis singulariter providit Concilium Tridentinum de Regul. c. 17. 18. 19. Quo loco jus impugnandi professionem ex defectu ætatis, libertatis etc. extendit ad quinquennium. conf. Constit. Bened. XIV. *Si datam.* anni 1748. De purgatione metus, et ratificatione ejus, quod metu gestum est, agitur c. 2. 4.

§. 11. 12. de Regul. et Clem. 2. eod. IV. *Tempus probationis* per annum integrum. Concil. Trid. c. 15. de Regul. Jus antiquum de tempore probationis, cum olim nullum esset præscriptum, exprimitur c. 16. X. et c. 2. et 3. de Regular. in 6. (*l*). V. *Jus admittendi* quempiam ad tyrocinium, et postea ad vota, pendet ex singularibus Ordinum constitutionibus. Memorabilis est decisio c. fin. de Regular. in 6.

(*k*) Conf. Constitutio Sixti V. *Cum de omnibus.* anni 1587. et Const. Clementis VIII. *Cum ad regularem.* anni 1603. Jure etiam impeditur religionem ingredi Episcopus confirmatus, nisi accedat licentia Summi Pontificis. c. 10. §. 11. de renuntiat. et c. 18. v. *illa semper regula.* de Regul. Clerico autem ad religionem adspiranti Episcopus non recte obstat. can. un. XIX. q. 1. can. 2. XIX. q. 2.

(*l*) Annus integer probationis post susceptum habitum continuus sine interruptione esse debet. Fagnan. in c. insinuante. fin. n. 33. qui Clerici, vel voventes.

§. 420. Jura et obligationes Novitiorum sunt, ut regulas Ordinis conentur observare, et Prælato obediant; ad quod etsi non teneantur ex voto, tamen ipso ingressu, et permanentia se obligant. Retinent tamen intra annum probationis libertatem religionem deserendi. c. 20. et 23. de Regul. juncto Concil. Trid. c. 16. ubi contra præmaturam bonorum abdicationem singulariter consultum est libertati egrediendi: etsi ea constitutio utpote correctoria juris communis non videatur extendi ad casum, quo nondum ingressus in Novitiatum bonis suis renuntiat; eoquod animum ingrediendi habeat. Novitii retinent etiam beneficium ecclesiasticum, eique tempore probationis per vicarium deserviunt. c. 4. de Regul. in 6. Gaudent privilegio Canonis. c. 21. §. *quamvis*, de sent. excom. in 6. iis præterea juribus et

privilegiis, quorum communicatio ipsis per Pontificias Bullas, et approbatas Ordinum constitutiones expresse indulgetur, aut quando in personis Novitiorum læderetur ipsa religio.

§. 421. Speciatim quæritur de conjugatis, utrum stante conjugio jure gaudeant ingrediendi religionem. Hic enim ingressus intelligitur nomine *conversionis*; de qua hoc libro inscribitur Titulus XXXII. *de Conversione Conjugatorum.* Sed de relatione matrimonii ad jus ingrediendi religionem, vel suscipiendos Ordines, uti vicissim de relatione Ordinum aut votorum ad jus ineundi matrimonii decisiones Juris referuntur ad L. IV. *Qui Clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt.* conf. §. 8. hujus libri. Alio sensu conversio sumitur in subjecto titulo XXXIII. *de conversione infidelium.* Hoc pertinet ad Baptismum ab infideli susceptum; cujus effectus partim explicantur hoc libro III. *de Baptismo, et ejus effectu*; partim in l. IV. ubi agitur de disparitate cultus.

§. 422. Post. novitios spectantur ipsæ personæ *Religiosae*; quales emissione votorum fiunt. Hinc præmittitur titulus *de Voto et voti redemtione*; ac tum agitur *de Statu Monachorum*, *et Canonicorum Regularium*, id est, de juribus, et obligationibus ex statu religioso ortis. *Votum* est promissio facta Deo deliberate de bono meliore, et possibili. Quæ de promissione, variisque modificationibus ejusdem, de seria ac deliberata *voluntate*, *jure* promittentis sine alterius præjudicio, de materia, et effectu promissionis generatim statuuntur in Jure, omnia fere huc pertinent. Differt sane votum, et simplex propositum operis boni exequendi. c. 3. de voto. c. 20.

et 23. de Regular. De jure voventis aliquando juste dubitatur. c. 9. v. *in tanta quoque.* et c. fin. de voto. Dicuntur vota *realia*, quæ non in *faciendo* sed *dando* consistunt. c. 6. de voto. c. 18. de censibus. Effectus voti ex ejus natura et virtute religionis profluunt: alii annectuntur jure ecclesiastico et ex constitutione Ecclesiæ, ex qua præter *simplicia*, quædam dicuntur *solemnia*; eoquod vim habeant dirimendi matrimonium ratum, antea contractum, aut postea contrahendum, aut incapaces reddunt dominii temporalis acquirendi. De quo effectu memorabile extat c. un. de voto. in 6. Apud Religiosos non sola voti obligatio spectanda est, quæ est promissio de futuro, sed præterea vis plenæ traditionis et acceptationis, factæ per professionem. Interest in omni genere inter actum *promissorium*, et actum *executivum*.

§. 423. Rubrica etiam *de voti redemtione* inscribitur, quæ est liberatio a voti obligatione, eo nondum soluto; fitque I. *deficiente*, vel notabiliter immutata *materia* voti. c. 5. de Regular. in 6. II. *Defectu conditionis*, si votum fuit conditionatum. III. *Irritatione directa*; quæ competit ei, cui subjecta est voluntas voventis, ceu patrifamilias. can. *Mulier.* 14. XXXII. q. 2. et can. *Puella.* 2. XX. q. 2. et Prælato regulari respectu Religiosorum; qui velle, et nolle non habent. can. *Monacho.* 2. XX. q. 4. c. 27. de Electione in 6. IV. *Irritatione indirecta*; quæ competit ei, cui materia voti subjecta est, ceu marito respectu votorum quorundam uxoris. can. *Noluit*, 16. XXXIII. q. 5. V. *Commutatione.* Ipso jure alia vota commutari possunt in votum Religionis. c. 4. de voto. Alia exempla, et justæ commutationis causæ extant. c. 7. et 8. eod. VI. *Dispensatione*, quæ ex

potestate clavium Episcopo competit, nisi vota sint *reservata*; qualia sunt vota peregrinationis ultramarinæ: visitationis liminum SS. Apostolorum Petri et Pauli: in Compostella: castitatis: religionis. Extrav. 5. de Pœnitent. ac remiss. int. com. A redemtione voti differt justa *dilatio* executionis. c. 5. c. 8. de voto. Absente justa dilationis causa locum habet præceptum divinum naturale Deut. XXIII. 21. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus; et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, absque peccato eris. Quod autem semel egressum est de labiis tuis, observabis, et facies sicut, promisisti Domino Deo tuo, et proprie voluntate, et ore tuo locutus es.*

§. 424. Præmissa notione voti, atque etiam Ordinis et professionis religiosæ (§. 417.). obligationes Professorum generatim ex vi votorum, ipsiusque status religiosi, dein ex specialibus singulorum Ordinum regulis et constitutionibus dimanant. Etsi enim quoad substantiam omnes conveniant Ordines; tamen magnopere differunt in iis, quæ relate ad vota tria substantialia vocantur accidentalia, ceu quoad habitationem et stabilitatem loci, quoad rigorem et gradus paupertatis, obligationem et modum chori, victum, vestitum, et occupationes. De his multa Monachis præscripta sunt in Concilio Viennensi. Clem. 1. de Statu Monach. Speciatim ne extra claustra multum vagentur Religiosi, aut omnino aufugiant, vetitum est c. 7. et 24. de Regul. cit. Clem. 1. §. 5. Extrav. 2. de Regul. int. com. (*m*) Transitus ad aliam religionem, præsertim strictiorem, non est omnino vetitus, servatis tamen plurimis con-

ditionibus, et salvis specialibus privilegiis Ordinum. conf. c. 5. 10. 18. 22. de Regul, Extrav. 1. eod. int. com. Non obstante arctissimo vinculo inter Professum et Religionem, potest Professus manente votorum obligatione, a religione ejici, si incorrigibilis sit; id quod SS. Ordinum Fundatores decreverunt, et jus concedit. c. 10. de M. et O. c. 7. ne Clerici, vel Monachi. c. fin. de Statu Monachorum, et præcipue c. fin. de Regul. quod maxime in usu est. Dispensatione Summi Pontificis ex Religioso fieri potest non Religiosus; cum tota voti solemnitas ex Ecclesiæ constitutione sit. §. 422. Jura et favores Religiosis concessi continentur tum specialibus singulorum, cum communibus privilegiis, quæ variis diffusa titulis summatim colligit V.C. Zech. de Hierarch. Eccl. Tit. 36. §. 461. seq.

(*m*) De stricta Monialium clausura conf. c. un. de Statu Regularium in 6. Concil. Trid. c. 5, de Regul. Constitut. Pii V. *Decori.* anni 1570. Gregorii XIII. const. *Deo sacris.* anni 1572.

§. 425. *Superiores suu Prælati* Ordinum Religiosorum appellantur, qui in iis cum jurisdictione præsunt pro diversa regiminis forma in diversis Ordinibus, monarchica, aristocratica, vel democratica, plerumque non simplici, sed mixta. Eorum tres differentiæ et veluti gradus sunt. Nam alii sunt *Supremi*, seu Generales præsidentes toti Ordini, quocunque nomine vocentur: alii *Medii* seu *Provinciales*, qui ita præsunt alicui certæ provinciæ, ut subsint Generali: denique *Infimi*, seu *Superiores locales*, qui subjacent etiam jurisdictioni Provincialis. Vicarii autem subordinati, et respectu Abbatis Priores claustrales, aut Decani, vel Sub-Priores plerumque non annumerantur Prælatis, ordina-

ria jurisdictione præditis. In illis autem, qui in gradu superiore sunt, censentur habere jurisdictionem ordinariam et concurrentem cum inferioribus, nullo perturbationis periculo, imo ingenti ordinati regiminis adjumento.

§. 426. In Prælatis hisce spectatur 1. *Electio* secundum Ordinis constitutiones, aut jus commune l. 1. Decret. de Electione. 2. *Potestas*, seu jura, et obligationes. Potestas Superiorum Regularium alia dicitur *Dominativa*; qualis Patrifamilias in filios, et domesticos competit: alia est *Jurisdictionis spiritualis* tum pro foro interno e. g. per absolutiones; tum pro foro externo; quæ, supposita exemtione a jurisdictione Episcoporum, est potestas *quasi Episcopalis* (c. 3. de privil. in 6.), et continet *directionem* per præcepta personalia, statuta perpetua etc. quo etiam refertur jus dispensandi; ac *coercitionem* per censuras, corporis castigationes etc. Hæc coercitio a jurisdictione quasi Episcopali descendens, differt ab ea, quæ ex potestate dominativa profluit, ad correctionem paternam intra terminos domesticæ gubernationis. De officio et obligationibus Prælatorum multa præscribuntur ab Innocentio III. c. *Cum ad monasteriorum* 6. et c. *In singulis.* 7. de Statu Monach. eaque Clem. 1. in fin. eod. confirmantur. Privilegia et jura Prælatorum Regularium variis titulis dispersa colligit P. Zech de Hierarchia § 467. seq.

§. 427. *Domus Religiosæ*, de quibus inscribitur Rubrica tit. 36. *Ut Episcopo sint subjectæ*, sunt ædificia habitationi et usui Regularium destinata, eaque referri possunt tum ad partes interiores, seu *loca secreta et solita-*

ria, *quæ ab hominum separata convictu sunt*, *ad contemplandum*, *et Deo vacandum specialiter deputata*. c. 4. de V. S. in 6. atque hæc *proprie dicuntur Monasteria* : tum ad alia ædificia monasterio annexa; qualia sunt templa, officinæ, in quibus Laici operas pro mercede præstant, stabula, horrea, plerumque etiam horti; etsi hæc omnia cum interiori monasterio plerumque uno muro claudantur. Uti autem de re favorabili, aut odiosa agitur; ita latius aut strictius sumitur vox *monasterii*, aut *domus Religiosæ*.

§. 428. De erectione novi monasterii viget jus Concilii Trid. c. 3. de Regul. expressum (*n*), addita constit. 99. Clementis VIII. *Quoniam ad institutam*. et const. 31. Gregorii XV. *Cum alias*. quas in erigendis novis conventibus observari districte jubet Urbanus VIII. in const. *Romanus*. 25. anni 1624. præterea addens, ut numerus Religiosorum secundum quantitatem redituum et consuetarum eleemosynarum determinetur, nec postea augeatur: illa autem loca, in quibus duodecim Religiosi sustentari non poterunt, et actu non inhabitaverint, jurisdictioni Ordinarii subjacere intelligantur (*o*).

(*n*) Aliter præscriptum fuit c. un. de Excessib. Prælat. in 6. et Clem. 3. de Pœnis.

(o) Conf. Bened. XIV. de Syn. l. 3. c. 2.

§. 429. De subjectione domuum Religiosarum, aut exemtione relate ad potestatem Episcoporum, notandum est: I. Episcopus jure communi habet intentionem fundatam in Jure de subjectione monasteriorum, etiam post inductas locis plurimis exemtiones, nisi contrarium pro-

betur privilegio, aut præscriptione 40. an. allegato titulo. c. 7. de Privileg. in 6. II. Exemtiones paulatim invaluerunt, et per gradus, pro temporum ratione; cum præsertim Monachi primorum temporum, qui toti pendebant ab Episcopo, fuerint Laici. III. Primo viguit exemtio quoad legem diœcesanam (Lib. I. Decr. §. 523.) de qua non Episcopi, sed monasteria intentionem in Jure fundatam habent. IV. Quia exemtio per gradus et partes invaluit, orta est divisio in minus plenam, et plenam, quæ est libertas illimitata a potestate, et jurisdictione Ordinarii cum immediata subjectione erga Sedem Apostolicam. V. Criminatores exemtionum, vel potius adversarii Sedis Apostolicæ, a qua privilegia earundem emanarunt, aliud non agunt, nisi ut excessus Privilegiatorum, et angustias potestatis Episcopalis incredibiliter exaggerent; quasi nihil ab Episcopis, eorumque Vicariis, et secularibus Clericis contra Religiosos, eorumque perpetuos labores, ac mirificos Religionis atque Ecclesiæ progressus, qui ipsorum debebantur sudori et sanguini, peccatum unquam fuisset. At hi, quæso, expendat can. *Quam sit necessarium.* 5. et can. seq. XVIII. q. 2. Expendant constitutionem S. Pii V. *Etsi mendicantium* an. 1567. aliaque non pauca, in ipso Jure contenta, justa Religiosorum gravamina, quibus per leges sacras resisti debuit, et dicant: *Peccatum* (Cleri secularis) *non cognovi, nisi per legem.* Rom. VII. 7.

§. 430. Per *Capellas Monachorum et aliorum Religiosorum*, de quibus inscribitur tit. 37. h. l. intelliguntur Ecclesiæ curatæ et parochiales, extra monasterium positæ, eidem tamen unitæ. De his (nisi Prælati Regulares habeant

quasi diœcesin. §. 529. L. I. Decret.) deciditur: I. Episcopo in ea competit jurisdictio, ita, ut eam visitare, et expositum Religiosum etiam exemtum examinare, approbare, visitare et corrigere (quoad Parochialia) possit. Concil. Trid. c. 11. de Regular. II. Si tali Ecclesiæ non Regulares, sed Clerici seculares ad præsentationem Regularium præsunt, ii non ab ipsis, sed ab Episcopis removentur, si causa canonica id poscat. c. un. de Capellis Monach. in 6.

TITULUS XXXVIII.

DE JURE PATRONATUS.

TITULUS XXXIX.

DE CENSIBUS, EXACTIONIBUS, ET PROCURATIONIBUS.

ARGUMENTUM.

I. Notio Juris Patronatus. §. 431. *II. Vis et effectus* §. 432. *III. Modi acquirendi, et amittendi.* §. 438. *IV. Generales decisiones de censibus, exactionibus etc.* §. 442. *V. Cathedraticum et subsidium caritativum.* §. 445. *Procurationes.* §. 447.

§. 431. Agitur binis hisce Titulis de obligationibus Ecclesiarum, ac beneficiorum; quibus certa onera, et veluti servitutes incumbunt: qualia sunt jura Patronorum, census, exactiones, procurationes, quæ Visitatoribus impendi debent. *Jus Patronatus* præcipue consistit in jure seu potestate præsentandi Clericum ad beneficium vacans, fundata in Jure communi; estque *Ecclesiasticum*, quod acquiritur ex bonis ad Ecclesiam

pertinentibus; aut annexum est dignitati cuidam Ecclesiasticæ: *Laicum*, quod competit certæ familiæ, aut annexum est bonis profanis; etsi hæc ratione patrimonii sint penes Clericum. Hinc patronatus laicus maxime dividitur in *personalem*, qui personæ adhæret e. g. fundatoris, et descendentium: ac in *realem* vel accessorium, quod adhæret rei, ceu castro, prædio, universitati bonorum, ac propterea ad possessores transit.

§. 432. Vis et natura hujus juris, ejusque usus et effectus spectari debet relate ad patronum, qui præsentat Clericum, et Episcopum, qui præsentatum instituit; dein relate ad ipsum præsentatum; utrum, et quatenus jus ad beneficium acquirat obtenta præsentatione. I. *Praesentare* Clericum ad beneficium, non est ipsum dare beneficium, ac jus in eo, uti fit in collatione: multo minus est idem, ac dare missionem, curam animarum, vel institutionem authorizabilem (§. 119.); sed est designare Clericum, eumque præsentem sistere Episcopo, aut illi, qui jus instituendi habet, ut, si dignus sit, ex dispositione juris, et vi juris patronatus præ aliis *debeat* institui. Hinc talis institutio vocatur *necessaria*, et opponitur *liberæ*, quæ contingit in collationibus beneficiorum. Ex his deciditur: I. c. 4. h. t. Patroni laici, qui Episcoporum auctoritate neglecta Clericos suo arbitrio instituunt, et removent, dicuntur excommunicandi; et Clericus, qui Ecclesiam per Laicos sine proprii Episcopi auctoritate receperit, communione privandus. Si præsentatus auctoritate vel temeritate propria beneficium occupare non veretur, eo ipso jus, quod ex præsentatione habet, amittit. c. 18. de Præbend. in 6.

§. 433. II. Ut institutio sit canonica, sine qua beneficium obtineri nullum potest, in beneficiis patronatis neque jus solius Patroni, neque auctoritas solius Episcopi sufficit; sed utrumque requiritur *copulative*, ut ad voluntatem unius, alterius consensus saltem accedat, aut superveniat. c. 8. in fin. c. 10. c. 14. et 15. c. 20. can. *Decernimus.* 32. XVI. q. 7.

§. 434. III. Laicus præsentare debet intra quatuor, Ecclesiasticus intra sex menses. Uterque simul præsentare potest plures, Laicus potest etiam variare, id est, *successive* plures præsentare; ex quibus Episcopus eligit digniorem. Si autem a Patrono Ecclesiastico plures successive præsententur; qui prior est tempore, jure potior est. c. 24. X. et c. un. §. 1. in 6. facta unius institutione, alter ex præsentatione jus prætendere non potest. Si intra tempus legitimum nemo præsentetur, pro ea vice Ordinarius libere confert beneficium. c. 3. In Summis tamen Principibus ad præfixos temporis terminos tam exacte non attenditur. Jus Patronorum *Laicorum* adeo est inviolabile in Germania, ut eidem nec Papa per præventionem, nec Imperator per primas Preces, nec Episcopus per admissionem permutationis præjudicet.

§. 435. IV. Putant nonnulli, ex præsentatione oriri jus ad rem, uti ex electione ante confirmationem. Sed nescio, utrum hoc Juri communi satis consentaneum sit. Quapropter animadverte 1. Ut Præsentatus acquirat jus qualecunque, necesse est, ut sit dignus, nempe instructus ad beneficium requisitis (*a*). Patronus Laicus, si indignum præsentavit, variare potest; jus Patroni Ecclesiastici unica præsentatione videtur

consumi. c. 24. et c. 29. h. t. 2. Patronus non potest præsentare se ipsum. c. 26. h. t. *Cum inter dantem, et accipientem debeat esse distinctio personalis.* c. fin. de institut. Quod instar generalis principii in his materiis receptum est, ut ambitioni et fraudibus præcludatur locus. 3. In Decretalibus Præsentato jus quoddam *inchoatum* tribuitur. c. 5. ibi: *Antequam præsentatio per diæcesanum Episcopum approbetur, ratum non est, quod a Patrono fuerat inchoatum.* Istuc jus *inchoatum* non videtur habere vim juris ad rem; quod per se ratum est, et perfectum. Certe si plures simul vel successive præsententur, neuter videtur stricte habere jus ad rem. 4. C. 29. deciditur: *Constituimus, ut Episcopus, qui Præsentatum idoneum malitiose recusavit admittere, ad providendum eidem in competenti beneficio compellatur.* 5. *Institutus* ad præsentationem, retinet jus in re; nec amoveri potest, etsi patronus postea mutetur. c. 9. h. t. aut is, qui in possessione juris præsentandi existens præsentavit, postea in petitorio succumbat. c. 7. et c. 19.

(*a*) De præsentatione *dignioris* conf. Lib. I. Decr. §. 458.

§. 436. V. Etsi per præsentationem non detur ipsum beneficium, aut officium spirituale; tamen præsentatio, per quam institutio fit *necessaria*, est actus proxime præparatorius ad ipsum beneficium aut officium spirituale obtinendum; hinc jus Patronatus dicitur *spirituali annexum*, nec pretio temporali ipsum, ejusve usus aut exercitium æstimari, aut emi vendi potest. c. 16. Laici optare, aut desiderare possunt beneficiatum vel Pastorem, sed non ita præsentare, ut institutio sit necessaria; nisi tale jus præsentandi concesserit ipsa Ecclesia. Idcirco Laici jure communi *habilitati* dicuntur ad Jus Patronatus, etiam fe-

minæ, ac omnes *fideles*; unde soli non Christiani videntur excludi. can. 26. 27. 30. XVI. q. 7. In illis Germaniæ provinciis, ubi Pax Westphalica viget, Patroni Protestantes præsentant Catholicos, et Catholici præsentant Ministros Protestantes.

§. 437. VI. Præter jus præsentandi, Patrono debentur jura honorifica, ceu primus locus in processione, in Ecclesia, in thurificatione, oblationibus, aspersione aquæ benedictæ, osculo pacis etc. Et si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modeste succurritur. c. 25. Vicissim Patroni est, protegere Ecclesiam, ejusque conservandis juribus invigilare. can. *filiis*. 31. XVI. q. 7. Nec tamen vi patronatus jurisdictionem in Clericos a se præsentatos, nec bonorum Ecclesiæ administrationem habet. c. 23. h. t. et Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 3. in fin. de ref. Prælati tamen Regulares a Beneficiatis, quos præsentant Episcopo, rationes exigere de rebus Ecclesiæ temporalibus possunt. c. 3. §. 2. de Privileg.

§. 438. Explicata natura, usuque juris Patronatus, de modis id acquirendi et amittendi disseri adcuratius potest. *Modi id acquirendi* sunt *primitivi*, aut *derivativi*. Generatim docet SS. Concilium Trid. Sess. XXV. c. 9. de ref. in hunc modum: *Sicut legitima patronatuum jura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum institutione violare, æquum non est: ita etiam ut hoc colore beneficia ecclesiastica in servitutem, quod a multis impudenter fit, redigantur, non est permittendum.* Nullo penitus modo Patronatus acquiri potest venditione, late, aut stricte tali (§. 198). Neque bonorum pretium augeri potest ratione annexi Patronatus (§. 436.)

§. 439. Modi primitivi acquirendi Patronatus sunt *Fundatio* Ecclesiæ c. 3. h. t. Trid. l. c. vel *costructio* c. 25. h. t. vel *Dotatio* Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 12. de ref. Talis autem titulus ex authentico instrumento ostendi debet, aut etiam ex multiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat. Trid. l. c. Sess. XXV. Ubi plenior requiritur probatio in iis personis, aut communitatibus, in quibus id jus plerumque ex usurpatione quæsitum præsumitur. Alios Patronatus privilegio obtentos Concilium ibidem abrogavit. Ceterum qui uno ex prædictis titulis gaudet, jure Patronatus fruitur, etsi id specialiter sibi non reservarit. arg. c. 41. de Testib. nisi cum agitur de Ecclesia conventuali. c. 25. h. t.

§. 440. Modi derivativi sunt. I. *Successio hereditaria.* c. 1. et 3. h. t. Si bona ad plures heredes transeant, exercetur jus alternatim a singulis, vel ab omnibus simul, sic, ut in plures heredes unius ex pluribus patronis jus patronatus transeat in stirpes. Clem. 2. h. t. Quotiescunque autem præsentatio ad plures pertinet, *ut singulos*; ille censetur legitime præsentatus, qui plura suffragia, majoraque habet merita. c. 3. De dissensione Patronorum agitur. c. 1. 2. 3. II. *Donatio* cum consensu Episcopi c. 4. de Donat.; qui tamen consensus non requiritur, si donatio fit in communitatem ecclesiasticam, vel religiosam. c. un. in 6. h. t. III. *Dominium* plenum, vel saltem utile bonorum, quibus annexum est jus patronatus; quod etsi pretio temporali non æstimetur; tamen refertur ad fructus et commoda rei. c. 7. h. t. Oppignorato fundo non transit jus patronatus eidem annexum in creditorem. c. 18. de sentent. et re judicat.

§. 441. Extinguitur 1. jus patronatus reale interitu rei: personale, si deficit familia, cui annexum est. 2. Si destructa Ecclesia, titulus beneficii supprimitur. 3. Per renuntiationem, vel cessionem expressam vel tacitam; uti si Patronus Ecclesiam patronatam converti sinat in collegiatam vel conventualem, absque reservatione sui juris. 4. Per non usum, si Ordinarius est in possessione libertatis. 5. Si Patronus occidit beneficiatum. c. 12. de Pœnis. 6. Si Patronus se ingerit in perceptione fructuum beneficii patronati: si jus suum vendat, aliterve in alios transferat contra Canones. Trid. Sess. XXII. c. 11. de ref. et Sess. XXV. c. 9. de ref.

§. 442. *Census*, tanquam præstationes ordinariæ, *Exactiones*, tanquam extraordinariæ, et *Procurationes* debitæ Visitatoribus sunt onera realia, quæ Ecclesiis et beneficiis præter jura Patronorum incumbunt. Generales decisiones huc pertinentes sunt hæ. I. Quantamcunque vim *dominio* tribuant Recentiores quidam Scriptores, qui de peculio Clericorum agunt; tamen fateantur necesse est, Ecclesias, earumque Rectores ex reditibus Ecclesiæ, quorum Domini esse dicuntur, *ex justitia* teneri ad solvendos census, exactiones, procurationes legitime secundum Canones exactas. Idque profluit ex ipsa origine fundationis beneficiorum. c. 1. h. t. ex natura subjectionis. c. 2. et Rom. XIII. 6. Imo ipsa monasteria, quæ Ecclesias aut beneficia acquirunt, ejusmodi oneribus antea subjecta, ea præstare tenentur, nisi speciali juventur privilegio. Clem. 1. ibi: *Cum sit naturæ consonum, illos non recusare onera, qui rerum commoda complectuntur.* adde c. 19. h. t.

§. 443. II. Non obstante hac obligatione justitiæ, ob hominum avaritiam facile contingit,

ut nova et injusta onera imponantur Ecclesiis, beneficiis et beneficiatis, aut pristina augeantur. Neutrum fieri potest a quopiam, nisi justa ex causa, et concessu Canonum; non ab Episcopo c. 9. non a Rectore Ecclesiæ vel beneficiato, etiam interposito juramento. c. 3. c. 11. non a monasteriis c. 13. non a Patronis c. 15. non a Collectoribus Papæ c. 12. non a Laicis c. 10. X. c. 4. in 6. Clem. 3. h. t. Hinc examinanda est consuetudo, quæ ob unum alterumve præstationis actum leviter allegari solet; etsi ad corruptelas pertineat. conf. Lib. I. Decret. §. 224. Præterea in causam census vel exactionis inquirendum est. c. 5. h. t. ibi: *Respondemus, quod census ignorantiæ nec divinis, nec humanis legibus reperitur: oportet quippe, ut omnis census, ad quid, et quando persolvi debeat, præsciatur.*

§. 444. III. Si de quantitate censuum dubium existit, 1. spectari jubetur id, quod in vicinis provinciis observatur c. 22. h. t. 2. Locum habet unica præscriptio ad diminuendas præstationes annuas. c. 20. quæ est memorabilis decisio; qualem Jus Romanum non habet. conf. L. II. Decret. §. 494. 3. Si moneta, qua solutio census vel pensionis fiebat, in usu esse desiit, fit solutio secundum *æstimationem pensionis antiquæ*, ita, ut creditor relate ad valorem extrinsecum novæ monetæ tantundem habeat, ac in priori obtinuerat moneta. c. 26. h. t. 4. Si oblationes aut præstationes quædam annuæ ex voto fuerint ortæ, eæque anteactis temporibus extiterint difformes, sive in quantitate inæquali; tunc *volentes solvere ad minorem* (quantitatem, vel mensuram) *non sunt cogendi, ut ad majorem persolvant.* c. 18. ibi: *Quo-*

niam eum hujusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius sunt a viris ecclesiasticis exigenda, ne tanquam exactores videantur lucris temporalibus inhiare. 5. Instar regulæ sumendum est, eam in exactionibus quibuscunque moderationem adhibendam esse, ut Beneficiato congrua sustentatio, quam antea habebat ex beneficio, maneat salva. In quem finem tendit dispositio Concilii Trident. Sess. XXIV. c. 13. de ref. Ex eadem causa jubentur monasteria, quibus Ecclesiæ quoad temporalia unitæ sunt, tantam Vicario perpetuo assignare portionem, *unde jura possit episcopalia solvere, et sustentationem habere congruam.* Clem. 1. de jure patronat. c. 12. de præbend. 6. Denique ex singulari æquitate Juris Canonici cœci dicuntur immunes a collectis, sive exactionibus extraordinariis. c. 4. ibi: *Quia eum, quem cœcitas sua gravat, inhumanum est nimis in collectione affligere: cui debuerat ex collectis, si esset necessitas, misereri.*

§. 445. De jure imponendi censum antiquum, aut novum, perpetuum aut temporalem, dictum est tit. XII. hujus libri a §. 146. Antiqui census species est *Cathedraticum*, quod in signum subjectionis et honorem Ecclesiæ cathedralis ita præstatur inde ab antiquissimis temporibus (*b*), ut manente subjectione contra id præscribi haud possit (*c*), etsi præscriptio et consuetudo valeat ad ejus quantitatem definiendam; quæ in multis locis permodica est. arg. c. 22. h. t. Tenentur autem cathedraticum solvere omnia Beneficia, Capellæ et Ecclesiæ etiam filiales, quæ sub titulo speciali separatum a Parochia beneficium retinent. Ecclesiæ Monasteriorum, sicut a reliqua lege diœcesana; ita etiam a cathedratico immunes sunt. can. *inter cetera.* 8.

X. q. 3. can. *cum pro.* 34. XVI. q. 1. can. *quam sit.* 5. XVIII. q. 2. Ecclesiæ autem Monasteriis incorporatæ obligantur jure cathedratici. Clem. 1. h. t. c. fin. de Capellis Monach. ibi: *Monachi lege tibi diœcesana subjecti.* c. 16. de officio jud ord.

(*b*) Can. 1. X. q. 3. ex Concil. Braccarensi an. 572. can. 8. ibid. c. 7. de Donat. c. 20. h. t. c. 16. de offic. jud. ord.

(*c*) Bened. XIV. de Synodo l. 5. c. 7. n. 6.

§. 446. Ad exactiones, tanquam præstationes extraordinarias, pertinet *subsidium caritativum* quod *ex causa manifesta et rationabili* (*d*), ab Episcopo cum consilio Capituli, et ab eo, qui jurisdictionem quasi Episcopalem habet cum caritate exigi potest, ac præstari debet ab omnibus beneficiatis, qui reditus percipiunt, non tamen a Monasteriis, quæ sunt libera a lege diœcesana; ad quam subsidium caritativum pertinet, nisi ratione Ecclesiarum Monasteriis subjectarum.

(*d*) C. 6. v. prohibemus. h. t. De Decimis Papalibus, quæ ad subsidium caritativum revocantur, conf. Zech. de Rebus Eccl. Sect. III. tit. XII. §. 183.

§. 447. *Procurationes*, quæ ponuntur in Rubrica, sunt necessarii sumtus ac expensæ, quibus Archiepiscopi, et Episcopi, vel alii illorum loco Diœcesin aut Ecclesias actu visitantes indigent pro competenti sustentatione sua. Hæc autem sustentatio continet victum et habitationem Visitatoris, honestique comitatus, et equorum necessariorum. Hæ Procurationes olim etiam Legatis Apostolicæ Sedis tanquam debitæ præsta-

bantur. c. 17. h. t. Episcopalis obligatio ac jus visitandi ex natura officii Pastoralis intelligitur manifeste; unde etiam æquitas procurationum deducitur; contra quas præscriptio (nisi forte immemorialis) non admittitur, quamdiu subjectio erga Visitantem perdurat; nec consuetudo non solvendi procurationem satis probatur ex eo, quod Visitati nunquam antea Episcopum procuraverint. c. 16. de præscript. c. 24. de cens. Si Episcopus cuidam Ecclesiæ alia jura remisit, non censetur remisisse procurationem c. 21. de cens. Contra varia gravamina et abusus Visitationum, ac Visitatorum agitur locis pluribus in Jure nostro, in primis ex Concilio Later. III. et IV. c. 6. et c. 23. de Censib. Clem. 2. et Extrav. un. eod. intcom. Concil. Trid. Sess. XXIV. c. 3. de ref. De jure Archiepiscoporum circa visitationes et procurationes agitur c. 14. et 25. de cens. Norma vero, et limites visitationis eisdem præscribuntur c. 1. 2. 3. et 5. eod. in 6. et a Concil. Trid. l. c.

TITULUS XL.

DE CONSECRATIONE ECCLESIÆ, VEL ALTARIS

TITULUS XLI.

DE CELEBRATIONE MISSARUM, ET SACRAMENTO EUCHARISTIÆ, ET DIVINIS OFFICIIS.

TITULUS XLII.

DE BAPTISMO, ET EJUS EFFECTU.

TITULUS XLIII.

DE PRESBYTERO NON BAPTIZATO.

TITULUS XLIV.

DE CUSTODIA EUCHARISTIÆ, CHRISMATIS, ET ALIORUM SACRAMENTORUM.

TITULUS XLV.

DE RELIQUIIS ET VENERATIONE SANCTORUM.

TITULUS XLVI.

DE OBSERVATIONE JEJUNIORUM.

TITULUS XLVII.

DE PURIFICATIONE POST PARTUM.

ARGUMENTUM.

I. Notiones et decisiones generales de Liturgicis. §. 448. II. Consecratio et Execratio Ecclesiæ vel Altaris: Reconciliatio eorundem, uti et cœmeterii. §. 453. III. Celebratio Missarum, Sacramentum Eucharistiæ, Divina officia. §. 463. IV. Baptismus, et ejus effectus. §. 466. V. Custodia Eucharistiae etc. §. 471. VI. Reliquiae et Veneratio SS. §. 472. VII. Observatio Jejuniorum. §. 474. VIII. Purificatio post partum. §. 475.

§. 448. Jura locorum, rerum, personarum, immediate pertinentia ad obeundam et exercendam religionem per Sacrificium, Sacramenta, Sacramentalia, divinum officium etc. in præfixis titulis indicantur potius, quam pro dignitate exponuntur. Pleraque enim petenda sunt ex

Ritualibus, Cæremonialibus, Pontificalibus, ex libris Theologorum, etiam Polemicorum, ex collectionibus et Commentariis sacrorum Rituum. Tractatio respicit 1. *Jura locorum*, quæ pro obeundo divino cultu consecrari, aut benedici debent. 2. *Jura rerum* sacrarum aut benedictarum, quæ ad Sacrificium peragendum, Sacramenta administranda etc. proxime requiruntur. 3. *Jura personarum*, quæ Sacrificii peragendi, Sacramentorum administrandorum, benedicendi, consecrandi, ritus instituendi etc. facultate et auctoritate pollent. Hæc prænotavi, ut ea, quæ a variis varie tractantur, ac sæpe generali nomine *Liturgicorum* comprehenduntur, ad formam quandam juris, ejusque summa capita revocarentur.

§. 449. Distingui oportet, quid in actibus religionis, ceu in Sacrificio, et Sacramentis sit ex origine et institutione divina: quid ex traditione et ordinatione Apostolica, vel ecclesiastica descendat: quid ad *substantiam* ejusmodi religiosi actus pertineat; et quid *accidentale* sit. Sacrificium et Sacramenta quoad substantiam ex origine, et institutione divina proveniunt; sacri quidam ritus, et exteriores actiones religiosæ, ad ornatum cultumque Sacrificii et Sacramentorum, sunt ex traditione et ordinatione Apostolica et ecclesiastica, et stricte *Sacramentalia* nuncupantur. Quia autem Ecclesia actus quosdam religiosos, piasque cæremonias exemplo Sacramentorum, aut imitatione veteris legis instituit; idcirco nomen *Sacramentalium*, ut etiam hæc comprehendat, nonnunquam latius sumitur. Pleraque Sacramenta in usu, seu actione transeunte e onsstunt. At Eucharistia etiam extra usum asscitrvaur.Sic etiam nonnulla Sacramentalia, ceu

benedictiones, quæ ab Episcopis et Abbatibus fiunt super populum, sita sunt in actione transeunte; alia permanent, ceu res benedictæ, aut consecratæ.

§. 450. Potestas instituendi, ac pro temporum ratione mutandi Sacramentalia, ritus ac pias cæremonias penes Ecclesiam est. Id ostendit ipse usus ab Apostolorum temporibus deductus. Quia autem non nulli ritus proxime referuntur ad dogma, aut uniformes esse debent in catholica Ecclesia; sic, ut ipsa difformitas aut mutatio scandalum gigneret in populo fideli; non quivis Episcopus, aut Synodus Episcoporum particularis ritus institutos, receptosque mutare potest. Patet id ex Concilio Trid. can. 13. Sess. VII. de Sacramentis in genere. *Siquis dixerit, receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.* In his multa sunt, quæ pertinent ad causas majores Sedi Apostolicæ reservatas. c. 3. de Baptismo. A jure instituendi aut mutandi ritus dissert jus eosdem exercendi. Quidam enim potestatis Episcopalis proprii sunt, aut in Abbatibus requirunt privilegium Apostolicum; ceu consecrationes Ecclesiarum. Alii pertinent ad jura parochialia; uti fit in purificatione post partum. Nonnulli clericorum et maxime Presbyterorum sunt communes. Universe jus instituendi aut mutandi ritus ad potestatem jurisdictionis; jus exercendi, ad potestatem ordinis, etsi non solius, pertinet. conf. Lib. I. Decretal. §. 476.

§. 451. Maximi faciendi sunt sacri Ecclesiæ catholicæ ritus, summaque veneratione obeun-

di, excipiendi et spectandi. Probatur id 1. ex antiquissimo eorum usu. 2. Ex hominum sanctissimorum exemplo. 3. Ex ipsa sanctitate Ecclesiæ, quæ divino Spiritu regitur; neque ritus suos contemni, aut tanquam ineptos, vel superstitiosos reprehendi patitur (*a*). 4. Ex eorum vi et effectu spirituali; cujusmodi est auxilium aliquod, vel bonus motus gratiæ, remissio culpæ saltem venialis, remissio pœnæ temporalis, Dæmonis expulsio, vel coercitio, ne lædat, commodum aliquod temporale, ceu sanitas (*b*).

(*a*) Exemplis id declaravi in Jure Eccl. Publ. §. 320. ubi de nota Sanctitatis Ecclesiæ egi. Contemtus et impia ludibria, quibus homines a vera religione alieni, et maxime Novatores nostri ævi ritus catholicæ Ecclesiæ proscindunt, viro bono et sapienti convincentis argumenti loco est, eosdem Deo gratos, ac dæmonibus exosos, et infestos esse.

(*b*) Qua ratione hi effectus per Sacramentalia producantur, Theologi examinant, Suarez in 3. p. S. Thomæ Tom. 3. disp. 15. Sect. 4. Valentia Tom. 4. disp. 7. q. 4.

§. 452. Generaliter statui solet: I. Si decenter, rituque consueto Sacrificium peragi, aut Sacramenta administrari non possint, præstat, ea omittere. c. fin. de celebrat. Missar. Baptismus ob necessitatem etiam omissis solemnitatibus administrari debet. II. Semel consecrata non debent iterum consecrari, nisi consecrationem amiserint. can. *Ecclesiis*. 20. dist. 1. de consecrat. Sacramenta quidem Baptismi, Confirmationis et Ordinis ob impressum characterem sine sacrilegio iterari non possunt. Trid. Sess. VII. can. 9. de Sacram. in genere. III. Res Deo consecratæ, aut sacra Ecclesiæ supellex ad usus profanos adhiberi, aut cuipiam commodari non debent. can. 42. et 43. dist. 1. de consecr.

§. 453. *Consecratio Ecclesiæ* est actus solemnis, quo ædificium legitima auctoritate Deo et divino cultui per unctionem et sacras cæremonias dedicatur; consequenter a communi usu ad cultum religiosum transfertur. Distingui in primis debet Ecclesia seu templum ab Oratorio privato, aut publico; dein consecratio a benedictione. Consecratio est propria muneris Episcopalis (*c*). Fit ab Episcopo loci, in quo sita est Ecclesia, per chrisma, quo inunguntur duodecim cruces in parietibus depictæ, aliasque ceremonias in Pontificali Romano descriptas, imposito nomine alicujus *Patroni*, id est, Personæ sanctæ: aut *Tituli*, seu mysterii, aut rei ad personam pertinentis. Hujus consecrationis solemnitas singulis annis repetenda est. can. 16. dist. 1. de consecr. Benedictio fieri debet, si ante consecrationem officia divina in templo celebranda sint. Hæc ergo solum præparat Ecclesias ad consecrationem, et constituit in eo statu, ut functionibus sacris inservire possint, donec commodo tempore consecrentur: fit sine unctione, aqua benedicta communi et ordinaria: a simplici etiam Sacerdote, ab Episcopo ad hoc deputato.

(*c*) Cl. Zech. de Hierarch. §. 468. nota 21. testatur, auctoritate Benedicti XIV. consecrationem Ecclesiæ Abbati, et Principi Campidunensi commissam fuisse. Ceterum c. 2. de consecr. Eccl. deciditur: *In diœcesi tua licet tibi Ecclesiis dedicationem impendere tam diebus Dominicis, quam privatis.* Solet autem ea solemnitas fere peragi diebus Dominicis, aut SS. solemnitatibus, præmisso pridie jejunio tum ab Episcopo consecrante, tum ab iis, qui Ecclesiam sibi consecrari petunt.

§. 454. *Oratorium privatum* dicitur locus privata solum auctoritate, et in domo hominis privati deputatus divino cultui: si ingressum habet ex publica via, censetur *publicum*, multo-

que magis, si etiam privatum Oratorium consecratur ab Episcopo; tunc enim non privata, sed publica auctoritate, ac perpetuo dedicatur divino cultui; ut adeo ipse consecrationis actus repugnet statui privati Oratorii; quod per se tantum refertur ad *Loca pia* (uti ædiculæ passim in viis publicis pro transeuntium devotione constructæ), quæ sunt in dominio privatorum, ac in commercio humano; et privata etiam auctoritate ad usus profanos reduci possunt (*d*). Oratoria in palatiis Episcoporum, et in claustris Regularium, perpetuo destinata divino cultui, non computantur inter privata.

(*d*) Concilium Trid. Sess. XXII. c. 8. de ref. Episcopis tribuit jus visitandi *Pia loca omnia* (præter Oratoria Regum), nequid in iis extet, aut fiat, quod decentiæ divini cultus repugnet.

§. 455. Non decet divina officia ac præsertim Missas celebrari in locis profanis, *nisi pro summa contingat necessitate.* can. 11. dist. 1. de consecr. Unde Ecclesia recens extructa, *est, quam citius fieri potest, consecranda.* Cum autem Ecclesia, nisi de dote provisum ei fuerit, non sit consecranda; sequitur, ut, qui consecrandam curavit, eam dotare debeat. c. 8. de consecr. Eccl. Consecratio cum sit res facti, non præsumitur, nisi sit Ecclesia cathedralis; levioribus tamen conjecturis probatur. Si nullum consecrationis probabile indicium suppetat, sine scrupulo consecranda est. can. 16. dist. 1. de consecr. Oratoria publica benedici, satis est, nullus enim Canon consecrationem imperat, nullus prohibet.

§. 456. Altaria, super quibus celebratur Sacrificium, semper consecrata esse debent tam *fixa* quæ loco, in quo construuntur, adhærent, quam *Portatilia*, seu *Viatica* (c. 30. de Privileg.),

biliter læditur, aut Reliquiæ auferuntur c. 1. eod. 3. Altare *fixum* consecrationem perdit, si lapis mensæ disjungitur a suo stipite, aut columnis, quibus insistit. cit. c. 1. Id non censetur fieri, si tabula lapidea una cum stipite vel columnis absque disjunctione de loco movetur, et in alium transportatur.

§. 460. *Polluitur* Ecclesia I. injuriosa humani sanguinis effusione, vel homicidio. c. 4. et fin. X. c. un. de consecr. in 6. II. Adulterio vel luxuriosa humani seminis effusione c. 5. de adult. can. 19. et seq. dist. 1. de consecr. c. un in 6. III. Sepultura cadaveris pagani vel excommunicati. c. 7. de consecr. Eccl. can. 27. et 28. dist. 1. de consecr. (*f*) Iisdem modis polluitur Ecclesia tantum benedicta, et Cœmeterium.

(*f*) Ut Ecclesia vel cæmeterium censeantur polluta, et celebratio Divinorum prohibita, Auctores passim requirunt, ut effusio sanguinis proveniat ex vulnere. cit. c. 4. ut excommunicatus, cujus sepultura polluitur Ecclesia vel caemeterium, non fuerit toleratus. conf. §. 360. et universe, ut haec delicta fuerint publica vel notoria: quia totum hoc introductum est, ut fideles detestationem concipiant sceleris, quo sanctitatem locorum laesam norunt. Aliqui ex paritate cum sepultura excommunicati pollui censent Ecclesiam, quae consecratur ab Episcopo notorie excommunicato.

§. 461. De Execratione et pollutione comparate ad Ecclesiam, Altaria et cœmeterium deciditur: 1. Si Ecclesia execratur, non continuo consecrationem perdunt Altaria extra casus §. 459. indicatos 2. Vicissim si Altare ob fractionem aut disjunctionem de novo consecrandum est, opus non est, etiam Ecclesiam consecrari de novo. can. 19. dist. 1. de cons. c. 1. de con-

secr. Eccl. et ibi Eman. Gonzalez. 3. Polluta Ecclesia polluitur Altare *fixum*, tanquam præcipua Ecclesiæ pars. Id extendi non potest ad Altare portatile, quod per accidens in Ecclesia polluta reperitur. Si autem polluta Ecclesia reconciliatur, uti mox dicam, simul reconciliata censentur Altaria. 4. Polluta Ecclesia cœmeterium contiguum, quod usque ad Ecclesiæ parietes vel muros pertingit, censetur pollutum. Non tamen polluto cœmeterio Ecclesia, quantumvis contigua, censetur polluta; *ne minus dignum majus; aut accessorium, principale ad se trahere videatur.* c. un. d. consecr. Eccl. in 6. 5. *Non unum, sed plura cæmeteria esse noscuntur, quæ, quamvis sibi cohærentia, pariete tamen medio sejunguntur; ideoque violato eorum altero, alterum, licet ex uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus, non propter hoc reputabitur violatum.* ibid.

§. 462. *De Reconciliatione* Ecclesiæ pollutæ vel cœmeterii deciditur: 1. Si Ecclesia ab Episcopo consecrata fuit, reconciliatio fieri debet ab Episcopo (c. 9. de consecr. Eccl.) *per aquam cum vino et cinere benedictam.* c. 4. eod. Ritus extat in Pontificali Romano, et Ritualibus. Summus Pontifex aliquando singulare concedit privilegium vel Episcopo, ut committat reconciliationem inferiori Sacerdoti, aqua ab Episcopo benedicta: vel ipsi Sacerdoti, ut reconciliet Ecclesias ex delegatione Episcopi. 2. Si Ecclesia non consecrata, sed tantum benedicta fuit, reconciliatio ab Episcopo cuidam Sacerdoti delegari potest absque privilegio; fitque per aquam communem benedictam cum sale c. fin. eod. 3. Reconciliatio cœmeterii, quod ab Episcopo solemniter fuerat initiatum, fit ab ipso Epi-

scopo, vel ex delegatione Papæ ab alio Sacerdote, aqua per Episcopum benedicta: si vero cœmeterium a simplice Sacerdote fuerat benedictum, a tali etiam reconciliatio fieri potest per aquam a se exorcizatam; non tamen sine præscitu Episcopi. Quod c. 7. eod. dicitur, non est in usu.

§. 463. *De celebratione Missarum* expendi inprimis debet Doctrina catholica de SS. novæ legis Sacrificio, exposita a Concilio Trid. Sess. XXII. ubi extat *Decretum de observandis, et evitandis in celebratione Missæ.* In Decretalibus de delictis quibusdam et abusibus agitur c. 7. c. pen. et ult. De Missa *conventuali* c. 11. *de feria.* c. 2. *in Coena Domini.* c. 12. de Missa unica in die c. 3. et 5. de Canone c. 6. de aqua miscenda vino cit. 6. et 8. de purificatione et ablutione c. 5.

§. 464. *De Sacramento Eucharistiæ* Fides catholica exponitur Sess. XIII. Concil. Trid. De eadem diligenter asservanda, et reverenter deportanda ad infirmos, agit c. 10. de celeb. Missæ. In antiquis Canonibus mentio fit de variis usibus, in quos adhibita olim fuit Eucharistia, et quos vel nunquam approbavit, vel etiam rejecit, ac damnavit Ecclesia. Ejusmodi fuerunt; quod ea cum fidelium defunctorum corporibus fuerit tumulata: quod accusati de crimine, ut innocentiam suam testarentur seseque purgarent, Eucharisticum sumserint Sacramentum, sibique aliquando repentinum interitum, si objecti criminis rei essent, fuerint imprecati (*g*): quod in consecratione Altaris sacrosancta Eucharistia cum Reliquiis

Sanctorum, aut si hæ deessent, sola fuerint recondita.

(*g*) Illicitus non erat hic purgationis modus, praesertim si publica auctoritate adhibebatur. Nec enim miraculum a Deo exigebatur, sed unice ad confirmandam veritatem et testificandam innocentiam tendebat, perinde ac fit in juramentis, quae semper implicitam imprecationem continent (Lib. II. §. 292.). Nemo tam impius, et salutis suae immemor praesumebatur, ut, si objecti criminis esset conscius, sanctissimum Christi Corpus in judicium et condemnationem suam esset sumturus. Ob invalescentem tamen quorundam hominum malitiam, et sacrilegii periculum is modus purgationis paulatim in desuetudinem abiit; ac RR. Pontifices generalem praescripsere formam canonicae purgationis, omnibus *peregrinis judiciis* interdictis. c. 8. de purgatione canonica.

§. 465. ***Divinum Officium*** est certa ratio laudandi, precandique Deum mente simul ac voce, auctoritate Præsulum Ecclesiæ instituta (*h*). Apud Scriptores id nominatur *Psalterium*, *Cursus*, vel Cursus ecclesiasticus, *Opus Dei*; apud Græcos, *Canon Synaxis* aut *Collecta*; quia ad has fundendas preces colliguntur fideles; *Agenda*, *Horæ canonicæ*, *Breviarum*. Multi sunt hoc ævo temerarii Scriptores, qui vel totum id impugnant, quod Breviarium dicimis ex obligatione recitandum, vel ritum, cantum, linguam latinam. Sed quem antiquissimus Ecclesiæ usus, universalis jam recepta consuetudo; Auctoritas RR. Pontificum, et Conciliorum, exempla sanctissimorum hominum non movent, atque a dicaci temeritate collibent, a viro probo juste contemnitur, nec attendi meretur. Unde, quæ inprimis memoranda videntur, paucis attingam. I. Can. 59. Concil. Laodiceni, quod celebratum fuit seculo IV., prohibuit, *privatos et vulgares* aliquos Psalmos di-

cere in Ecclesia. Unde S. Agobardus Archiepiscopus Lugdun. ait: *Non ergo cujuscunque sigmenti sed Spiritus Sancti eloquiis Majestas divina laudanda est* (*i*). Hæc privatorum commentis opponuntur, non publicæ Ecclesiæ auctoritati. II. Reverentia, ac devotio in obeundo divino officio commendatur ac præscribitur c. 9. de celebrat. Miss. ex Concil. Lat. Clem. 1. eod. ex Concilio Vienensi (*k*). Adde Concil. Lateran. sub Leone X. Sess. 9. (*l*) et Trident. Sess. XXIV. c. 12. de ref. ubi Canonici jubentur compelli ad divina officia *per se* obeunda, *atque in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei Nomen reverenter, distincte, devoteque laudare*. III. Quatenus divinum Officium publicas in Ecclesia preces denotat, aliud dici potest *ordinarium*, quod statis semper temporibus, fixoque ordine peragitur: aliud *extraordinarium*, quod pro temporum necessitate, atque Ecclesiæ calamitate extra ordinem legitima auctoritate aliquando indicitur. Exemplum pro temporum nostrorum perturbatione imitandum extat Extrav. unic. de celebratione Miss. IV. Pro omni autem officio tam ordinario, quam extraordinario interdicta est per Canones lasciva Musica et profana cantorum melodia. Extrav. un. de vita et honest. Cleric. int. com.

(*h*) Bellarmin. l. 2. de bonis Operib. c. 10.

(*i*) Van-Espen in Can. 59. Concil. Laodiceni.

(*k*) In eodem Concilio facultas datur Clericis, etiam religiosis, qui Domestici sunt Cardinalium vel Episcoporum communionem Apostolicae Sedis habentium, coaptandi se in divino officio ipsi Cardinali, vel Episcopo.

(*l*) Hujus Concilii Decretum confirmavit, declaravitque S. Pius V. constit. 135. in Bullar. Roman. ubi ait:

Statuimus, ut, qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserint, omnes beneficii, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur: qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejus diei amittant.

§. 466. Rubrica *de Baptismo et ejus effectu* trahi potest ad omnia Sacramenta novæ legis; quia Baptismus *Sacramentorum fundamentum, et janua est reliquorum.* c. 2. de cognat. spirit. in 6. et quia est *Sacramentum fidei.* c. 7. de Divort. unde *Infideles* proprie sunt, qui nunquam suscepto baptismo Ecclesiam ingressi, aut Christianam fidem professi sunt; de quibus inscribitur titulus 33. hujus libri *de Conversione Infidelium.* Hæretici et Schismatici non tam *converti*, quam *reverti* dicuntur ad Ecclesiam, ejusque unitatem. *Catechumeni*, qui ante baptismum fluminis christianam fidem amplectuntur, atque profitentur, ac etiam de peccatis, siquæ commiserint, perfecte dolent, fiunt membra Christi et Ecclesiæ quoad conjunctionem *internam per gratiam* c. 4. de baptismo: per baptismum fluminis dein quoad conjunctionem *internam et externam* cum jure percipiendi alia Sacramenta, et communia Ecclesiæ bona (*m*). Pro Catechumenis defunctis orat Ecclesia. c. 2. de Presbyt. non baptizato. si nempe baptismum *non contemtus religionis, sed terminus necessitatis excludit.* Quo modo explicandus est can. 37. dist. 4. de consecr.

(*m*) Conf. Jus Eccl. Publ. §. 384. pag. 786. de Baptismo sanguinis conf. can. *firmissime* 3. XV. q. 1.

§. 467. Doctrina de Sacramentis in genere, ac dein de Baptismo et Confirmatione exponitur

a SS. Concilio Tridentino Sess. VII. In Decretalibus fit mentio de *forma*. c. 1. de Bapt. de *materia et forma* simul c. 5. de *necessitate ministri* alicujus, qui baptismum administret. c. 4. Demum Clement. un. h. t. prohibetur, ne baptismus administretur in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed in Ecclesiis tantum, exceptis Regum vel Principum liberis, et casu necessitatis. De intentione ad Sacramentum administrandum, vel percipiendum necessaria, ex instituto agitur in Theologia, probaturque, in Ministro requiri intentionem actualem, aut virtualem: in subjecto rationis compote sufficere habitualem, ita; ut positivus actus et consensus voluntatis de suscipiendo Sacramento ante extiterit, nec fuerit retractatus. Exemplum extat c. 3. in fin. de baptismo, ubi dormientes et amentes recte baptizari dicuntur, *si prius Catechumeni extitissent, et habuissent propositum baptizandi*, id est, baptismum suscipendi.

§. 468. Ex hac necessitate intentionis saltem habitualis in susipiente adulto, oritur quæstio de valore baptismi, qui administratur invito, ac deciditur. c. 3. *Primo. Id est religioni Christianæ contrarium, ut semper invitus et penitus contradicens ad recipiendam et servandam christianitatem aliquis compellatur. Secundo. Inter invitum et invitum, coactum et coactum aliqui distinguunt.* Conf. Lib. I. Decr. §. 570. vis enim seu, coactio conditionata internum voluntatis consensum per se non excludit. Hinc *is, qui terroribus, atque suppliciis violenter attrahitur, et ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit sacramentum, —— characterem suscipit Christianitatis impressum, et ipse tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam fidei christianae.*

Quo loco hæc inseruntur verba: *Sicut et is, qui ficte ad baptismum accedit. Ille vero, qui nunquam consentit, sed penitus contradicit, nec rem nec characterem suscipit Sacramenti.*

§. 469. Quia baptismus ad salutem, et alia Sacramenta valide suscipienda omnino necessarius est non tantum necessitate *praecepti*, sed etiam *necessitate medii* (quoad salutem obtinendam saltem in voto) hinc deciditur: 1. Ordinatus ante baptismum, prius baptizari: dein ordinari debet. tot. tit. de Presbytero non baptiz. 2. De quibus dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur forma conditionata. c. 2. de baptis. propter reverentiam nimirum Sacrameti. *De illo tamen, qui natus de christianis parentibus, et inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter praesumitur, quod fuerit baptizatus, ut haec praesumtio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis fo rsitan argumentis contrarium probaretur.* cap. fin. inf. de Presbyt. non bapt. 3. Non obstante necessitate baptismi ad salutem infantes infidelium usum rationis non habentes invitis parentibus, aut si ii desint, tutoribus infidelibus non baptizantur. S. Thomas in 3. p. q. 68. a. 10. Bened. XIV. Tom. 2. Bullar. const. 28. ubi hæ ponuntur exceptiones: *Primo.* Si parentes et liberi bello capti fiunt mancipia Christianorum. *Secundo.* Si liberi a parentibus exponuntur, derelinquuntur, omni cura destituuntur. *Tertio.* Siquis Christianorum infantem infidelium in extremo mortis discrimine constitutum deprehendit.

§. 470. De effectu baptismi quoad characterem et infusos habitus tractant Theologi. Ad Jus sacrum pertinet cognatio spiritualis, de qua l. IV. agitur, et jus infidelium conversorum circa libe-

ros infantes. De quo decidendum est I. Si pater infidelis ad fidem christianam convertitur, et infantem baptizari velit; is baptizandus est, etiam matre infideli dissentiente. c. 2. de convers. infidel. II. Idem fit, si mater ad fidem conversa infantem baptismo offerat, etsi pater dissentiat. arg. cit. c. 2. ibi: *In favorem maxime Christianae fidei.* III. Si avus paternus conversus infantem baptismo offert, etsi mortuo jam patre mater dissentiat, infans absque dubio baptizandus est. Nam parentum voluntas baptismati talium infantium necessaria est; parentum autem appellatione etiam avus paternus venit. l. 201. D. de. V. S. Non desunt præjudicia, vi quorum avus ad fidem conversus præferri debet non solum, si mater, sed etiam si pater dissentiat; quia præter favorem christianæ religionis, qui summus est, argumenti loco esse debet. can. un. XXXII. q. 3. IV. Si infidelis pater se velle christianam religionem amplecti asserat, ac se ipsum et filios infantes offerat baptizandos, postea autem consilii pœniteat, et infantes baptizari abnuat; ii non restituuntur eidem, sed baptizantur, et inter Christianos educantur (*n*).

(*n*) Conf. de his decisionibus cit. const. 28. a §. 15. et eruditissima dissertatio a Franc. Xav. Holl an. 1782. Heidelbergae edita sub titulo: *Harmonia Juris Naturæ, Canonici, Civilis et Publici Germaniæ circa educationem Liberorum in casu, quo uxor Hebræa, reluctante marito, ad Christiana Sacra transiit.*

§. 471. *Custodia Eucharistiæ, Chrismatis et aliorum Sacramentorum*, id est, Sacramentalium, qualia sunt vasa sacra, vestimenta etc. fieri diligenter debet *clavibus adhibitis, ne pos-*

sit ad illa temeraria manus extendi ad aliqua horribilia vel nefaria exercenda. c. 1. de custod. Euch. ac c. 10. de cel. Miss. De conservando nitore, ac munditia universæ suppellectilis sacræ, ac ne res profanæ extra casum necessitatis in Ecclesiis asserventur, contra Clericos dissolutos eleganter disseritur c. 2. eod.

§. 472. De Reliquiis SS. Martyrum, aliorumque, de quorum sanctitate legitima auctoritate constabant, quantam curam habuerint fideles inde a primis Ecclesiæ temporibus, ut religiose asservarentur, et colerentur, antiquissimis constat monumentis; ex quibus itidem Prælatorum Ecclesiæ solicitudo elucet præcavendi, nequa superstitio, falsitas, aut fictio miraculorum, vel simoniaca negotiatio circa Reliquias subreperet c. 2. de Reliquiis. Concil. Trident. Sess. XXV. *De invocatione, veneratione, et Reliquiis Sanctorum, et sacris imaginibus.* Nam etiam sacræ imagines huc pertinent; quæ si vetustate, aliove casu consumtæ, aut deformatæ fuerint, e templis, locisve sacris removeri, honestoque loco custodiri, aut supposito igne comburi debent; sic, ut cineres in sacrarium projiciantur; quemadmodum de pallis, aliisque rebus divino cultui dicatis, si usui non sint, sacri Canones edixere. cau. *Ligna.* 38. et seq. dist. 1. de consecr. Vivificæ crucis signum in locis sordidis, aut irreverentiæ obnoxiis pingendum non est; neque in solo, aut silice, aliisve marmoribus humi positis sculpendum, pingendumve. l. un. C. Nemini licere. Idem dicendum de imaginibus Christi, Deiparæ, aliorum Sanctorum.

§. 473. Veneratio *publica* Sanctorum prærequirit Beatificationem, aut Canonizationem

eorundem; quæ dudum reservata jam est Apostolicæ Sedi. c. 1. de Reliquiis et Ven. SS. cum sit causa saltem consecutive redundas in totam Ecclesiam, et accuratissimam poscat inquisitionis, judiciique formam. *audivimus*, inquit Alexander III. cit. c. 1. *Quod quidam inter vos diabolica fraude decepti, hominem quemdam in potatione et ebrietate occisum, quasi Sanctum (more infidelium) venerantur.* Astutior, ac pejor diabolica fraus nostro hoc seculo obcœcavit *Convulsionarios* ad tumulum Diaconi Paris orantes, variaque somniantes miracula (*o*). Hujus loci propria est *Heortologia*, sive tractatio de festis, eorumque religiosa observatione. Institutio quidem festorum universalium, universalem poscit auctoritatem, Summi nimirum Pontificis, Concilii generalis, aut universalis consuetudinis; quæ legi æquipollet (*p*). Festa particularia aut solemnitates locorum observari locis suis debent illæ, *quas singuli Episcopi in suis diœcesibus cum clero et populo duxerint solemniter celebrandas.* c. ult. de Feriis. Titulo de Reliquis et Venerat. SS. in 6. eleganter de festis 12. Apostolorum, quatuor Evangelistarum, et quatuor Doctorem Ecclesiæ latinæ, saltem in choro celebrandis: in Clementinis de Festo Corporis Christi, et augustissimo Eucharistiæ mysterio: in binis Extravagantibus int. com. de immaculata Conceptione Beatissimæ, ac Gloriosissimæ Virginis Mariæ agitur. Hæ constitutiones dignissimæ sunt, quæ iterato legantur, atque expendantur.

(*o*) Conf. Apparat. Eruditionis P. Josephi Biner P. X. c. 4. art. 9.

(*p*) De Jure ordinandi Calendarii Ecclesiastici, et indicendi ferias sacras egi c. ult. libelli Chronographici. Epitomen Constitutionum Pontificiarum, quae spectant

ad Festa Christi Domini, B. Mariae Virginis, aliorum SS., ad imagines item, et Reliquias SS. eorumque Canonizationem ac Beatificationem exhibet Guerra Tom. I. Epitom. Pontif. Constitut.

§. 474. *De Observatione Jejuniorum* ex instituto agitur in Theologia morali; ubi distinguitur I. Jejunium *Naturale* pro accipienda SS. Eucharistia. c. 5. de celebr. Missar. II. *Ecclesiasticum*., quod præscriptis ab Ecclesia temporibus, et Jure communi in omnibus Apostolorum, etiam S. Matthiæ, vigiliis observandum est, *praeter vigilias Apostolorum Philippi et Jacobi et B. Joannis Evangelistae*. c. 2. de observat. jejun. Si vigilia incidat in Dominicam, jejunium anticipatur die sabbati. c. 1. et 2. eod. III. *Abstinentia a carne*, quæ cessat, si festum Nativitatis Dominicæ incidat in feriam 6. (aut sabbatum) c. 3. eod. Quam minime molles facilesque esse nos oporteat in admittendis excusationibus circa jejunii legem, patet ex c. 2. eod. Qui vero ejus obligationem gravem capere nolunt, expendat, quæso, damnatas ab Alexandro VII. universaque Ecclesia propositiones n. 23. 29. 30. 31. (*q*).

(*q*) De Jejunio quatuor temporum Gratianus in Decreto agit p. 1. dist. 76. de aliis jejuniis p. 3. de Consecr. dist. 5. Guerra Constitutiones Pontificias ad jejunium pertinentes recenset Tom. I. pag. 110.

§. 475. Ad ritus sacros Ecclesiæ refertur *Purificatio post partum*. Lege Mosaica (Levit. XII.) mulieres christianæ non tenetur c. un. de Purif. post part. Consuetudo tamen, etsi vim juris obligantis non habeat, laudabiliter observatur, ut mulieres post partum per aliquot hebdomades domi se contineant, et ante ingressum in Ecclesiam præscriptis in Rituali precibus benedictionem a

Paroco suo recipiant, candelam offerant, et honorarium eidem relinquant. Administratio publisca et solemni, uti Sacramentorum, ita et Sacramentalium quando fit cum superpelliceo, stola et aqua benedicta, et cum oblatione candelæ, ad solum Parochum inter fines parochiæ suæ spectat, qui intentionem fundatam in oblationibus habet. Gavantus in Thesauro SS. Rituum p. 4. Tit. 19. regulam ponit hanc: Benedictiones in Missali positæ, cum illud cuivis Sacerdoti suppetat, expleri possunt a Sacerdote quocunque: quæ vero sunt in Rituali, a solo Parocho. Sed consuetudo huic regulæ suas exceptiones addidit.

TITULUS XLVIII.

DE ECCLESIIS ÆDIFICANDIS VEL REPARANDIS.

ARGUMENTUM.

I. Diversae Ecclesiarum denominationes. §. 476.
II. Novarum ædificatio et reparatio. §. 477.

§. 476. Ecclesiæ pro diversitate *Rectorum*, qui præsunt, aut *functionum*, quæ in iis obeuntur, varia sortiuntur nomina. Est enim Ecclesia *cathedralis*, imo *Metropolitana*, *Primatialis*, *Patriarchalis*. Est *Collegiata*, seu Canonicorum secularium: *conventualis* Religiosorum, et *Abbatialis*, si habeat Abbatem. *Diaconiæ* vocantur illæ Ecclesiæ Romanæ, quibus præsunt Diaconi Cardinales *(a)*. Est *Parochialis*, quæ ob fontem aquæ ad baptismum sanctificatæ dicitur *Baptismalis*. Ecclesia *Mater* vel *Matrix* fixam notionem non habet. Nunc denotat eam, a qua Ecclesiæ aliæ postea propagatæ sunt. c. 3. h. t. nunc cathedralem cui opponuntur inferiores ti-

tuli et Ecclesiæ parochiales, singulos habentes Presbyteros: nunc Ecclesiam primariam, et aliis digniorem oppidi. Clem. 1. de Sent. excom. nunc denique parochialem, seu baptismalem relate ad Ecclesias *Filias*, seu *Filiales* eidem unitas. *Curata* dicitur Ecclesia, cujus Rector curam habet animarum, et jurisdictionem saltem pro foro interno. Nuncupatur etiam Ecclesia *Regularis*, et *Sæcularis*. *Monasteria* nunc vocantur Ecclesiæ quædam majores ex veteri Canonicorum instituto, qui secundum Canonem, seu regulam monasticæ disciplinæ æmulam in iis vivebant. Aliæ sunt *Capellæ Monachorum* §. 430. Quo nomine etiam veniunt Sacella exteriora, seu Oratoria Religiosorum, etiam Monalium, ad quæ Laicis quoque patebat accessus. Sed nunc *Ecclesiæ* vocantur, si in iis verbum Dei prædicatur, et Laicis quoque Sacramenta administrantur: *Capellæ* autem, *Sacella*, vel *Oratoria publica* sunt minores Ecclesiæ non parochiales, divino cultui dicatæ, ad quas aditus permittitur fidelibus ex via publica. Denique alia dicitur Ecclesia *exemta*, alia *non exemta*. Omnes in diœcesi sitæ præsumuntur subjectæ Episcopo, nisi exemtio probetur: non tamen sitæ intra parochiam præsumuntur subjectæ Parocho, nisi ipse subjectionem probet.

(*a*) Baron. in Notis ad Martyrologium die 8. Augusti.

§. 477. *Ad aedificandas novas Ecclesias*, maxime parochiales, requiritur I. *justa causa*, ne quæstus causa fiat can. 120. dist. 1. de consecr. sed propter necessitates Parochianorum. c. 3. h. t. Trid. Sess. XXI. c. 4. de ref. aut in commodum Leprosorum, quorum consortium alii devitant. II. *Competens dos* etiam pro Rectore et Ministro novæ Ecclesiæ sustentando. Ac potest

Episcopus non obstante juramento de rebus Ecclesiæ non alienandis de reditibus suis etiam Ecclesiæ providere, ut nova Ecclesia pro necessitate fidelium ædificetur c. ult. h. t. Rectores etiam perochialium Ecclesiarum de superfluis ad id concurrere coguntur. c. 4. h. t. II. *Ne cui praejudicium contra canones generetur*. Hinc saltem audiri debet Patronus, Rector, aliique Ministri veteris Ecclesiæ. c. 2. et 3. h. t. IV. *Auctoritas Episcopi* (*b*), et pro nova Ecclesia collegiata, multoque magis cathedrali etiam auctoritas Summi Pontificis (*c*).

(*b*) Pontificale Romanum p. 2. de Benedict. et Impositione primarii Lapidis.

(*c*) Zech. de aedific. Eccl. §. 19.

§. 478. *De reparandis Ecclesiis*, quæ vetustate, aut temporum injuria damnum passæ sunt, inprimis notio separationis, refectionisque expendenda est ex l. 1. §. 6. D. de rivis. Hac quidem in re reparationis nomine venit, si aucto parochianorum numero prior Ecclesia amplianda, vel de novo construenda est (*d*). Dein fit distinctio inter Ecclesias parochiales, et alias inferiores, quæ ob inopiam restaurari nequeunt, de quibus disponit Concil. Trid. Sess. XXI. c. 7. de ref. Nomine autem Ecclesiæ intelliguntur etiam ædes habitationi Parochi, aut Beneficiati destinatæ; non tamen horrea aut stabula, quæ ex emolumentis œconomicis conservari ac reparari debent. Nec dubium est, quin Beneficiati semper teneantur primi ad modicam refectionem ædium parochialium, ad sarta tecta etc. perinde ut usufructuarii. l. 7. C. de Usufructu. Quodsi a Beneficiato neglectum fuit, juste adstringuntur ejus heredes, quantum ad eos per-

venit. Ad reparandam Ecclesiam cathedralem maxime obligantur Episcopus et Canonici: tum etiam peti solet subsidium caritativum a Clero diœcesano.

(*d*) Petrus Peckius de Eccles. reparandis. c. 2. n. 2.

§. 479. *Parochiales Ecclesiæ*, etsi juris Patronatus sint, refici ac restaurari debent I. ex dote earum, seu *ex fructibus et proventibus quibuscunque ad easdem Ecclesias quomodocunque pertinentibus.* Trid. Sess. XXI. c. 7. de ref. II. Ex superfluis reditibus Beneficiati vel Parochi. c. 1. h. t. Patet idem ex doctrina da Peculio Clericorum tradita, et can. 26. 27. 28. 30. 31. XII. q. 2. III. Si hæc non sufficiant, Concil. Trid. l. c. decernit, ut Episcopi *omnes Patronos et alios, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum, Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant, quacunque appellatione, exemtione et contradictione remota.* Tria hic attinguntur genera personarum, Patroni, Decimatores, ipsi Parochiani.

§. 480. Patroni ex communiore sententia ad reparandas Ecclesias debent concurrere, etsi alia emolumenta non percipiant, quam omnibus patronis communia, nempe honorem, præcedentiam, jus præsentandi, et se alendi, si ad inopiam perveniant (*e*). Decimatores etiam Laici compelli possunt ad concurrendum, quocunque titulo jus decimandi ad eos pervenerit; semper enim excepta intelligitur extrema Ecclesiæ necessitas; nec vero præsumi potest, decimas esse origine sua profanas, aut secularizatas. §. 382. Demum si collectatio pro reparanda Ecclesia Parochiali ad populum devolvitur, ac in eo sint possessores fundorum ab onere

decimarum immunes, hi ante alios et plus aliis videntur adstringendi, nisi eam immunitatem ingentibus suis expensis et magno Ecclesiæ emolumento comparassent.

(*e*) Zech. de Ecclesiis aedif. §. 25.

TITULUS XLIX.

DE IMMUNITATE ECCLESIARUM, COEMETERII, ET RERUM AD EAS PERTINENTIUM.

ARGUMENTUM.

I. Fundamentum immunitatis realis et localis circa actus profanos et onera realia. §. 481. *II. Distinctio inter bona Ecclesiastica, inter onera, et titulos ea imponendi.* §. 484. *III. Justitia et injustitia titulorum.* §. 486.

§. 481. Rubrica denotat immunitatem *Localem* et *Realem* (Lib. II. Decret. §. 53.), per quam a locis sacris et benedictis excluduntur actus et usus profani, et regulariter onera realia præstationum, quibus alia bona et loca profana subjacent. Fundamentum hujus immunitatis situm est in religione, ac reverentia rebus locisque Deo dicatis debita, etsi naturam et substantiam *physicam* rerum et locorum temporalium per oblationem Deo factam non immutent (*a*). Ad localem immunitatem pertinet *Jus Asyli sacri*, de quo agi solet L. V. Decretal.

(*a*) Conf. J. E. P. §. 397. pag. 823.

§. 482. Nomine Ecclesiarum, quæ immunitate gaudent, etiam veniunt, quæ consecratæ nondum sunt, modo ad divinum cultum legitima auctoritate sint destinatæ. c. 9. h. t. loca

item Ecclesiis adhærentia, uti Sacristia, porticus, atrium, præsertim cœmeterium. c. fin. X. et c. 2. pr. in 6. In domibus etiam ad Ecclesiam pertinentibus Judices vel Ministri publici, placitum vel hospitium quasi pro consuetudine sibi vindicare haud possunt. c. 1. nisi nempe ejusmodi ædes ante conduxerint, et inhabitent.

• §. 483. Actus et usus profani, qui in Ecclesiis fieri prohibentur, sunt I. *Judicia sæcularia*, tum criminalia tum civilia, ita, ut sententiæ in Ecclesiis latæ *omni careant robore firmitatis.* c. 5. X. c. 2. §. *Ordinarii.* in 6. (*b*). II. Contractus negotiationes, et Nundinæ. Irritatio tamen ejusmodi actuum non expressa est per Canones. III. Profani ludi theatrales. c. 12. de vit. et honest. Cler. IV. Conventus profanarum societatum, convivia, seditiosæ conclamationes, deambulationes, usus pro habitatione vel asservatione supellectilis profanæ c. 2. de custodia Euch. nisi propter hostiles incursus aut alias necessitates. V. Munitio Ecclesiæ per modum castri vel propugnaculi ad alios offendendos. can. *Sanctorum.* 14. X. q. 1. VI. Præcipue sub gravissimis pœnis et sacrilegii reatu prohibetur, ne vis inferatur Ecclesiæ, effringendo fores, diripiendo res sacras aut profanas. can. *quisquis* 21. XVII. q. 4.

(*b*) Sperellus p. 1. Decis. 51. Soll Tract. de Immunit. Eccl. p. 4. c. 4. n. 486. Si Episcopus Judici Laico licentiam dat, reum vel testem examinandi in loco immuni, adjici solet, ubi opportunum vel necessarium videtur, protestatio, de qua agitur c. 2. de Homicid. in 6. Universe ab Ecclesiis excludi deberet omnis actus, qui requirit auctoritatem Judicis secularis; quia is tribunal suum in Ecclesiis erigere non potest. Aliud est, quod in Ecclesiis habeantur Concilia ecclesiastica (Be-

nedictus XIV. de Synodo l. 1. c. 5.) disputationes aut collationes graduum ex scientiis sacris, inaugurationes ac coronationes Imperatorum ac Regum, creationes illustrium Equitum, et alicubi ex antiqua consuetudine electiones vel confirmationes Magistratuum civilium; talia enim quodammodo annumerantur actibus sacris; quia implorato divino auxilio pro bono Ecclesiae et civitatis peraguntur.

§. 484. Circa onera realia, quæ bonis Ecclesiasticis imponi possunt, distingui oportet inter genera bonorum, quæ Ecclesiastica dicuntur: inter varia onera: et varios titulos eadem imponendi. I. *Bona Ecclesiastica* alia sunt *sacra* vel *benedicta*: alia temporalia quidem bona Ecclesiarum, Monasteriorum, piarum causarum, ad divinum cultum, ministros sustentandos, alendos pauperes destinata, ac stricte Ecclesiastica: demum alia clericalia, quæ in manibus jam sunt Clericorum, eaque titulo sacro aut profano acquisita; uti explicavi Tit. de Pecul. Cler.

§. 485. II. *Onera praestationum* alia sunt *personalia*, quæ personis sine respectu ad eorum bona imponuntur, ceu capitatio. Alia sunt *realia*, quæ sine respectu personæ ipsis fundis aut bonis incumbunt. Demum *mixta*, quæ personis imponuntur cum respectu quodam ad bona e. g. pro modo redituum, aut facultatum.

§. 486. III. Titulus exigendi præstationes reales aut profluit 1. *ex jure et dominio particulari*, ceu ex feudo, emphyteusi Ecclesiæ data. 2. *Ex pacto vel reservatione* præstationis facta tunc, cum bona in Ecclesiam transferrentur. 3. *Ex jurisdictione aut potestate suprema Principis*, qua Ecclesiæ bona, perinde uti alia civium bona profana onerare posset, ut

ad communes Reipublicæ expensas concurrant. 4. *Ex necessitate extraordinaria publica*, cui sublevandæ facultates Laicorum non suppetunt, ita, ut approbante et consentiente auctoritate Prælatorum Ecclesiæ bona Ecclesiastica collectis et exactionibus graventur.

§. 487. Bini priores tituli, nempe juris aut dominii particularis, vel pacti sine dubio justi sunt ac legitimi; de quarto seu ultimo idem aperte ex Concilio Lateranensi III. deciditur in hunc modum c. 4. h. t. ibi: *Quocirca sub anathematis districtione fieri de cetero talia prohibemus: nisi Episcopus et Clerus tantam necessitatem vel utilitatem inspexerint, ut absque ulla exactione ad relevandas communes utilitates vel necessitates, ubi Laicorum non suppetunt, facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda.* Idem repetitur ex Concilio Lateran. IV. c. 7. h. t. additis pro casu indicato tribus veluti clausulis. 1. *Praedicti Laici humiliter et devote recipiant cum gratiarum actione*, id nempe, quod ab Ecclesiis pro casu communis utilitatis vel necessitatis confertur; non igitur arroganter velut ex justitia, et vi majestatici juris debitum propria auctoritate extorqueant. 2. Additur: *Propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex prius consulatur: cujus interest, communibus utilitatibus providere.* 3. Secularia Decreta exactionum, si contra præscriptam formam eduntur, declarantur irrita: *Quia vero nec sic quorundam malitia contra Dei Ecclesiam conquievit, adjicimus, ut constitutiones et sententiae, quae a talibus, vel de ipsorum mandato fuerint promulgatae, inanes et irritae habeantur, nullo unquam tempore valiturae.*

§. 488. Sola vi jurisdictionis Laicorum aut supremæ Principum potestatis bona Ecclesiastica, perinde ut profana civium bona, exactionibus, aliisque oneribus gravari non possunt. Patet enim tum auctoritate Scripturæ utriusque Testamenti, tum ex Traditione perpetuaque Ecclesiæ doctrina, tum aliis omnibus canonicis locis, bona Ecclesiastica tanquam Deo specialiter oblata, ac divino cultui destinata eam induere moralem qualitatem, ut singulari quadam ratione *Bona Dei* censeantur, et sine sacrilegio violari, ac diripi non possint. Quod a Viris præstantissimis dudum editis tractatibus apertissime demonstratum est.

TITULUS L.

NE CLERICI VEL MONACHI SECULARIBUS NEGOTIIS SE IMMISCEANT.

ARGUMENTUM

I. Clericis, et multo magis Religiosis interdicta est negotiatio lucrativa. §. 490. *II. Nonnulla officia secularia.* §. 491. *III. Et suo modo quaedam artes.* §. 492.

§. 489. Est hic titulus Appendix tituli primi hujus libri *de vita et honestate Clericorum.* Rejectus est in hunc locum ob eam fortassis causam, quod vel maxime ad Religiosos pertineat, de quorum statu prius agi debuit, quam officium hoc negativum ex statu eorum profluens exponeretur. Certum est enim, quod ipsa Rubrica vim Canonis habeat, qui Religiosos multo magis obligat, quam Clericos. Et quia in præcedentibus titulis a rebus et locis Deo dicatis omnis actus et usus profanus excluditur; recte fit, ac consequenter, ut personis Deo conse-

cratis profanæ et seculares negotiationes interdicantur.

§. 490. *Negotia secularia* latius dicuntur, quæ mundum et carnem potius, quam rectam rationem sapiunt, ac Laicis etiam fidelibus interdicta sunt per Apostolum Rom. XII. 2. *Nolite conformari huic seculo.* Nonnulla hujusmodi recensentur c. 1. h. t. Strictius intelliguntur ea, quæ Laicis per se concessa, Ecclesiasticis personis interdicta sunt. Unde Apostolus ad Timotheum scribit: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* II. Tim. II. 4. In his I. *Negotiatio* censetur, non *œconomica*, qua quis fructus ex fundo colligit, aliasve res emit ad suam et familiæ sustentationem, et quæ superflua sunt, vendit; hoc enim licitum est omnibus; sed *lucrativa*, qua quis lucri et questus causa res emit, aliove titulo oneroso comparat, ut carius vendat; quod fit duplici modo. 1. Si res emtæ non mutatæ, nec in aliam formam redactæ carius venduntur; quæ est negotiatio lucrativa *proprie talis.* 2. Si res emtæ per industriam, ac laborem mutatæ, et in aliam redactæ formam venduntur. Utroque casu videndum est, utrum Religiosus aut Clericus per alios sic negotietur, an per se; quod multo gravius prohibitum est Negotiatio, proprie talis utrisque gravissime prohibita est sub excommunicatione ferendæ sententiæ c. 6. h. t. Si ter moniti non desistant, perdunt privilegium immunitatis quoad vectigalia ac portoria. c. fin. de vit. et hon. Cler. Quoad alteram speciem negotiationis videndum est, an fructus propriorum fundorum sic mutentur, ac dein vendantur; quod licitum est, et ad negotiationem œconomicam pertinet; an vero res coemantur, ut in aliam redigi formam, ac vendi possint;

quod prohibitum est, si fiat lucri causa. cit. c. 6. can. 2. 9. 10. dist. 88. Concil. Trid. Sess. XXII. c. 1. de ref.

§. 491. II. Prohibentur *officia Civilia* ceu *Tabellionis*, sive Notarii publici c. 8. nisi in foro Ecclesiastico et in causa inquisitionis contra hæreticos. c. 11. §. 1. de Hæret. in 6. *Procuratoris* excepta defensione orphanorum aut viduarum c. 1. h. t. *Officia Politica*, ceu Administratoris, Judicis, Præfecti Principum secularium. c. 2. 4. 5. h. t. *Officia Militaria*, ceu ordinatio aciei, præfectura machinarum bellicarum. c. 9. h. t. can. 3. XX. q. 3. Religiosis multo districtius hæc prohibentur. c. 4. in f. h. t. Ad hunc locum pertinet judicium sanguinis, quod gravissime interdictum est c. 5. et 9. can. 29. seq. XXIII. q. 8. adde c. fin. in 6.

§. 492. III. Prohibetur studium publicum Physicæ, id est, Medicinæ c. 3. et fin. Exercitium item artis chirurgicæ, præsertim per incisionem et adustionem c. 9. h. t. et c. 19. de Homicid. Studium item Juris civilis in publicis Scholis. c. 3. et ult. h. t. Permittitur tamen quis Leges audire secundario, ut perfectius intelligatur Jus canonicum. Barbosa in c. fin. h. t. Relate ad Religiosos contrarium videtur colligi ex c. 3. h. t. Universitates quædam privilegio Apostolico muniuntur admittendi ad audiendas Leges etiam Clericos; et Doctores publici SS. Canonum in Universitatibus semper creantur tanquam Doctores utriusque Juris. c. fin. X.; et c. 1. in 6. non omnibus Clericis, sed Presbyteris vel habentibus dignitatem aut personatum studium publicum Juris civilis interdicit. Denique c. 2. in 6. Religiosi professi habitum tum temere dimittentes, et ad

quæcunque accedentes studia literarum, non obtenta licentia Prælati et Conventus, ipso jure denuntiantur excommunicati; similiter et Doctores, qui eos ad audiendas Leges vel Physicam retinet.

O. A. M. D. G.

REIMPRIMATUR

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magister.

Jos. della Porta Patr. Constantinop. Vicesgerens

REIMPRIMATUR

Fr. Philippus Anfossi Sac. Palatii Apostolici Magister.

NIHIL OBSTAT

D. Paulus Pancaldi Abbas Cisterciensis.